This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MARCI ANNAEI LUCANI

PHARSALIA

CUM

NOTIS SELECTIS HUG. GROTII,

INTEGRIS ET ADAUCTIS RICH. BENTLEII,

DUOBUS SPECIMIN. EZRAE CLERCQUII VAN IEVER,

DUABUS EPIST. INED. FRANC. OUDENDORPII,

QUIBUS

VARIAS LECTIONES MSS. NUNC PRIMUM COLLATORUM,
DISSERTATIONEM DE SPURIIS ET MALE SUSPECTIS
LUCANI VERSIBUS, SCHOLIASTAS INEDITOS,

ADNOTATIONEM SUAM,

NEC NON

INDICES LOCUPLETISSIMOS

ADDIDIT

CAROL. FRED. WEBER,

VIMARIENSIS,

PHILOS. DOCT. CIZENSIS GYMNAS. CONRECTOR.

VOLUMEN SECUNDUM

CONTINENS

PHARSALIAE LIB. IV—X. ET DISSERTATIONEM.

LIPSIAE,

APUD GERHARDUM FLEISCHER.

MDCCCXXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

M. ANNAEI LUCANI

PHARSALIA

SIVE

DE BELLO CIVILI

LIBRI X.

VOLUMEN II.

Digitized by Google

Digitized by Google

M. ANNAEI LUCANI
PHARSALIAE
LIBER QUARTUS.

At procul extremis terrarum Caesar in oris
Martem saevus agit non multa caede nocentem,
Maxima sed fati ducibus momenta daturum.
Jure pari rector castris Afranius illis,
5 Ac Petreius erat: concordia duxit in aequas
Imperium commune vices, tutelaque valli
Pervigil alterno paret custodia signo.
His praeter Latias acies erat impiger Astur,
Vectonesque leves, profugique a gente vetusta
10 Gallorum Celtae miscentes nomen Iberis.

2. nocentem, et *vel rubentem*, b. 3. mo*nu*menta, *vel momenta*, c, et in margine man. alia: *vel monimenta momenta.* 4. A*ff*ranius, b. 5. d*i*xit, quod correctum est in d*u*xit, a. 8. L*i*tias, in L*a*tias correctum, a. 9. Vetonesque, a. b. sed *e* in membr. erasa b. le*n*es, b. 10. *H*iberis, ita semper a.

2. — *Non multa caede nocentem,]* Placet quod Bersmanni codex suppeditat, RUBENTEM: ita supra II, 103.

— multaque rubentia caede
Lubrica saxa madent.

Rem ipsam Florus habet IV, 2. *Anceps variumque sed incruentum in Hispania bellum cum legatis Cn. Pompeji, Petreio et Afranio:* ubi frustra editum *et cruentum.*

9. *Vectonesque leves,]* Meliores libri habent VETTONES.

Digitized by Google

Colle tumet modico, lenique excrevit in altum
Pingue solum tumulo: super hunc fundata vetusta
Surgit Ilerda manu: placidis praelabitur undis
Hesperios inter Sicoris non ultimus amnes,
15 Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu,
Hybernas passurus aquas. at proxima rupes
Signa tenet Magni: nec Caesar colle minore
Castra levat: medius dirimit tentoria gurges.
Explicat hinc tellus campos effusa patentes,
20 Vix oculo prendente modum, camposque coercet
Cinga rapax, vetitus fluctus, et littora cursu
Oceani pepulisse suo: nam gurgite misto,
Qui praestat terris, aufert tibi nomen Iberus.
Prima dies belli cessavit marte cruento,
25 Spectandasque ducum vires, numerosaque signa

13. *H*ilerda, a. *Hy*lerda, c. 15. *c*omplectitur, a. d. 16. Hi*b*ernas, ut semper, a. 17. minor*i*, a. c. 18. *levat* in membr. erasa, b. 20. pr*a*edente in pr*en*dente correctum, a. co*h*ercet, supra scripta *n*, a. coerce*ns*, d. 21. li*t*ora, ita semper a. 22. mi*x*to, ut semper, a. 25. *n'u*osaque, i. e. nervosaque, c.

17. — *nec Caesar colle minore Castra levat:]* Codices alii habent LOCAT, et etiam MINORI.

— *Nec Caesar colle* MINORI
Castra LOCAT.

ut infra 169.

Illic exiguo paulum distantia vallo.
Castra locant.

et sic alii passim.

21. — *et littora cursu Oceani pepulisse suo:]* Si *suo cursu*, quid illud erit quod statim sequitur, *aufert* TIBI *nomen Iberus?* quippe *illi* dictum oportuit, non *tibi*. Corrige totam periodum,

— *camposque* coerces
Cinga rapax, vetitus fluctus, et littora cursu
Oceani pepulisse tuo: *nam gurgite misto,*
Qui praestat terris, aufert tibi
nomen Iberus.

24. *Prima dies belli cessavit marte cruento.]* Compositio non olet Lucanum. Deinde, cur prima dies *belli*, si carnit bello? Lego

Prima dies belli cessavit marte cruenti.

Livius VII, 7. *Quicquid hinc aut illinc communis* mars belli *aufert*. ubi Sigonius alia loca ex Livio adducit, *communem* belli martem. [cf. y, 13. ubi Drakenb. et VIII, 11.]

Digitized by Google

Exposuit: piguit sceleris: pudor arma furentum
Continuit: patriaeque, et ruptis legibus unum
Donavere diem. prono cum Caesar Olympo
In noctem subita circumdedit agmina fossa,
30 Dum primae praestant acies, hostemque fefellit,
Et prope consertis obduxit castra maniplis.
Luce nova collem subito conscendere cursu,
Qui medius tutam castris dirimebat Herdam,
Imperat, huc hostem pariter terrorque, pudorque
35 Impulit: et rapto tumulum prior agmine cepit.
His virtus, ferrumque locum promittit: at illis
Ipse locus. miles rupes oneratus in altas
Nititur: adversoque acies in monte supina
Haeret, et in tergum casura, umbone sequentis
40 Erigitur. nulli telum vibrare vacabat,
Dum labat, et fixo firmat vestigia pilo,
Dum scopulos, stirpesque tenent, atque hoste relicto
Caedunt ense viam. vidit lapsura ruina

26. p*ud*uit, *duit* in membr. erasa man. alia, et in margine manu eadem *vel piguit*, c. 28. *tum* o. Olimpo, ut semper, a. 30. p*er*stant, d. 33. castr. tutam, a. 37. *ho*neratus, c. 40. *li*brare, b, quod pro varia lectione in a.

28. — *prono cum Caesar Olympo]* Meliores codices, et notae variorum CUM, quod omnino retinendum.

29. — *subita circumdedit agmina fossa,]* *Subito* habebimus versu abhinc tertio, *collem subito conscendere cursu.* An legendum *occulta?* ut Caesar [Civil. 1, 42.], *opus in occulto faciebat.*

30. *Dum primae praestant acies,]* Quid sit *praestant*, si interroges, dicent interpretes, id esse quod *antestant.* Audio: sed nullo alio exemplo id confirmabunt. Quid moramur veram lectionem adsciscere, quod codices alii suppeditant?

Dum primae PERSTANT *acies. Perstabant*, permanebant in armis. Caesar ipse Civil. 1, 42. *Prima et secunda acies in armis, ut ab initio constituta erat*, permanebant: *post hos opus in occulto acies tertia faciebat: sic omne prius est perfectum, quam intelligeretur ab Afranio, castra muniri.*

Digitized by Google

Agmina dux, equitemque jubet succedere bello,
45 Munitumque latus laevo praeducere gyro.
Sic pedes ex facili, nulloque urgente receptus,
Irritus, et victor subducto marte pependit.
Hactenus armorum discrimina. cetera bello
Fata dedit variis incertus motibus aer.
50 Pigro bruma gelu, siccisque Aquilonibus haerens,
Aethere constricto pluvias in nube tenebat.
Urebant montana nives, camposque jacentes
Non duraturae conspecto sole pruinae:
Atque omnis propior mergenti sidera coelo
55 Aruerat tellus hyberno dura sereno.
Sed postquam vernus calidum Titana recepit
Sidera respiciens delapsae portitor Helles,
Atque iterum aequatis ad justae pondera Librae
Temporibus vicere dies: tunc, sole relicto,
60 Cynthia quo primum cornu dubitanda refulsit,
Exclusit Boream, flammasque accepit ab Euro.

45. producere, a. b. c. d. 48. ar*v*orum, a. 49. incertu[8], *s* man. sec. in membr. erasa, c. mo*t*ibus, *t* ex *r* correcta, a. 57. di*l*apsae, a. c. d. 60. refulxit, a. 61. Bore*a*n, a. b. d. *in* Eur. a. d. *ab*, b. sed in membr. erasa.

50. *Pigro bruma gelu, siccisque Aquilonibus haerens.]* Quid est *bruma haerens?* Lege certissime,

Pigro bruma gelu, siccisque Aquilonibus HORRENS.

57. *Sidera respiciens delapsae portitor Helles.]* Nescio an satis latine dictum sit, *portitor Helles:* id scio, non admodum apposite dictum, *portitor delapsae*, ejus scilicet quam non portavit. vix dubites corrigendum esse,

— *delapsae* PRODITOR *Helles*,

quam non pervexit, sed prodidit. Est emendatio viri egregii Petri Scriverii ad Martialis IX, 71.

Quid meruit terror Nemees, quid proditor Helles?

ubi codices plures, ut hic, perperam habent *portitor*.

61. *Exclusit Boream, flammasque accepit ab Euro.]* Codex Collegii Trinitatis *in Euro;* et codex Academiae *recepit*. Lege: EXCUSSIT *Boream, flammasque* RECEPIT IN *Euro*.

Digitized by Google

Ille suo nubes quascunque invenit in axe,
Torsit in occiduum Nabataeis flatibus orbem.
Et quas sentit Arabs, et quas Gangetica tellus
65 Exhalat nebulas, quicquid concrescere primus
Sol patitur, quicquid coeli fuscator Eoi
Impulerat Corus, quicquid defenderat Indos:
Incendere diem nubes oriente remotae,
Nec medio potuere graves incumbere mundo,
70 Sed nimbos rapuere fuga. vacat imbribus Arctos,
Et Notus; in solam Calpen fluit humidus aer.
His ubi jam Zephyri fines, et summus Olympi
Cardo tenet Tethyn, vetitae transcurrere, densos
Involvere globos, congestumque aeris atri
75 Vix recipit spatium, quod separat aethere terram.
Jamque polo pressae largos densantur in imbres;
Spissataeque fluunt: nec servant fulmina flammas,
Quamvis crebra micent: extinguit fulgura nimbus.
Hinc imperfecto complectitur aera gyro
80 Arcus, vix ulla variatus luce colorem,
Oceanumque bibit, raptosque ad nubila fluctus

63. Nabat*heis*, b. c. 65. qui*d*quid, ut semper, a. 67. In*t*ulerat, a. b. c. d. C*h*orus, b. c. d. 69. incu*m*bere, *u* ex *o* man. sec. correcta, b. 70. fuga, post *a* aliquid deletum est, c. 71. so*la*, *la* in membr. erasa, man. alia. c. 72. ubi *sunt*, sed ad marginem ··*jam* manu alia, c. Zeph*i*ri, ut semper, b. d. 74. congest*ū*que, *ū* in membr. erasa, c. 78. ful*mina*, c. Versus 78 et 79. inverso ordine leguntur, indicata tamen vulgata per b. a. literas, b. *extinguit*, in membr. erasa, man. alia, b. 79. Hic, c. d. sed in d. manus alia ·*n* addidit. ae*thera*, a.

68. *Incendere diem nubes oriente remotae,]* Forte *abscondere diem*. Seneca Controv. 16. *Terribili fragore horridae tempestates* absconderant diem.

Digitized by Google

Pertulit, et coelo defusum reddidit aequor.
Jamque Pyrenaeae, quas nunquam solvere Titan
Evaluit, fluxere nives, fractoque madescunt
85 Saxa gelu. tum, quae solitis e fontibus exit,
Non habet unda vias: tam largas alveus omnis
A ripis accepit aquas. jam naufraga campo
Caesaris arma natant, impulsaque gurgite multo
Castra labant: alto restagnant flumina vallo.
90 Non pecorum raptus faciles, non pabula mersi
Ulla ferunt sulci: tectarum errore viarum
Fallitur occultos sparsus populator in agros.
Jamque comes semper magnorum prima malorum

82. di*f*fusum, a. b. c. d. 83. P*i*renaeae, ut semper, b. d. 84. *nives* in membr. erasa, b. 85. tu*nc*, a. c. d. 86. via*m*, a. t*ā*, *ā* man. sec. b. t*unc* larg*is*, sed in margine larg*as*, man. alia, c. *a*mnis, a. d. et pro varia lectione in b. man. alia; additum est in a. *omnis* man. alia. 89. rest*agn*ant, *g* et *n* ex aliis literis, *u* et *r*, ut videtur, correctae sunt man. alia; sic et puncta et lineola, nec non in margine *restagnant* ab eadem manu. c. 90. Non, et man. alia *Nec*, a. 92. occult*is* — agr*is*, a. c. d. et pro varia lectione man. sec. in b.

82. — *et coelo defusum reddidit aequor.]* Errat vir summus, [Grotius] cum sic interpretatur, *aquas e caelo lapsas caelo reddidit:* immo vero, aquas e tullure haustas telluri reddidit. Codex Collegii Trinitatis, bonae notae, sic habet:

Et fusum de coelo *reddidit aequor.*

Illud autem *pertulit* haud sane placet: hoc enim roboris est et magnarum virium. Atqui arcum *imperfectum* hic describit, qui bibat quidem oceanum, sed non retineat. Quare libenter sic legerim,

Oceanumque bibit, raptosque ad nubila fluctus
RETULIT, ET RURSUM DE *coelo reddidit aequor.*

ubi *raptosque* perinde est, ac si diceres, *sed raptos;* quod Lucano solenne et perpetuum est. Illud addam, *sursum* et *rursum* in vetustissimis membranis scribi solere *susum* et *rusum;* unde degeneravit illud *fusum.* Horatius Serm. 1, 3. [75.]

— *aequum est*
Peccatis veniam poscentem
reddere rursus.

Digitized by Google

Saeva fames aderat: nulloque obsessus ab hoste
95 Miles eget, toto censu non prodigus emit
Exiguam Cererem. Pro lucri pallida tabes!
Non deest prolato jejunus venditor auro.
Jam tumuli, collesque latent: jam flumina cuncta
Condidit una palus, vastaque voragine mersit.
100 Absorpsit penitus rupes, ac tecta ferarum
Detulit, atque ipsas hausit: subitisque frementes
Verticibus contorsit equos, et reppulit aestus
Fortior Oceani: nec Phoebum surgere sentit
Nox subtexta polo: rerum discrimina miscet
105 Deformis coeli facies, junctaeque tenebrae.
Sic mundi pars ima jacet, quam zona nivalis,
Perpetuaeque premunt hyemes: non sidera coelo
Ulla videt, sterili non quicquam frigore gignit,
Sed glacie medios signorum temperat ignes.
110 Sic, o summe parens mundi, sic sorte secunda
Aequorei rector facias, Neptune, tridentis:
Et tu perpetuis impendas aera nimbis:
Tu remeare vetes quoscunque emiscris aestus.

95. egens, puncta atque *et* man. alia, quae ad marginem quoque scripsit *eget*. c. *nec* prod. d. 96. *Proh*, in membr. erasa b. 97. prelato, sed in margine man. alia *prolato*, c. 100. Absorsit, c. 101. Detulit et *vel depulit*, a. 102. Verticibus et *vel gurgitibus*, a. equos et *vel aquas*, a. b. *e*quos, et *vel aquas*, a. 103. sensit, a. b. 104. Sub*j*ecta, a. b. c. d. 106. *una*, c. 108. nec quic. b. 109. glacie*s*, d. ignes, et *vel estus* man. sec. b. 110. *parens*, in membr. erasa, b. 112. In*t*endas, et *vel* in*pend*as, b. 113. potes, *ve* manu alia, quae in margine quoque *vetes*, c.

100. — *ac tecta ferarum Detulit]* Majorem vim ostentat, quod alii codices praeferunt, DEPULIT.

Non habeant amnes declivem ad littora cursum,
115 Sed pelâgi referantur aquis: concussaque tellus
Laxet iter fluviis. hos campos Rhenus inundet,
Hos Rhodanus: vastos obliquent flumina fontes.
Rhiphaeas huc solve nives, huc stagna, lacusque,
Et pigras, ubicunque jacent, effunde paludes:
120 Et miseras bellis civilibus eripe terras.
Sed parvo Fortuna viri contenta pavore,
Plena redit, solitoque magis favere secundi,
Et veniam meruere Dei. jam clarior aer,
Et par Phoebus aquis, densas in vellera nubes
125 Sparserat, et noctes ventura luce rubebant:

116. Laxet*ur*, c. *re*nus, ut semper, c. 117. Rodanus, ita semper, c. 119. *huc* funde, d. 122. favere, *e* in membr. erasa, antea *o* fuisse videtur, ad marginem manu alia *favere*, c. 123. rarior et *vel clarior*, b. *cla*rior, et in margine *rarior. c.

123. — *jam clarior aer.]* Alii codices RARIOR. Quod accipimus, oppositum τῷ *densior, spissior.* Virgilius Georg. I, 418.

— *et Juppiter humidus austris*
Densat, *erant quae rara modo; et quae densa relaxat.*

124. *Et par Phoebus aquis, densas in vellera nubes Sparserat.]* Mirum vero, si nubes et *densae* et sparsae sint. Dices, perinde esse *sparserat densas*, ac si dixisset, *quae prius erant densae;* sed non opus est tali auxilio. Corrige,

— TENSAS *in vellera nubes*
Sparserat.

Noster alibi *tensum aera, tendit aethera.*

125. — *noctes ventura luce rubebant:]* Longae tenebrae adventante luce paulatim fugabantur, ea ferme facie quae est diei illucescentis primulum. GROTIUS. Operam ludit vir magnus, cum verba sensu cassa conatur explicare. Corrige,

Et MONTES *ventura luce rubebant.*

Montes quippe primi excipiunt lucem solis erupturi: et hic in terra res agitur; at Aenea navigante Virgilius VII, 25.

Jamque rubescebat *radiis* mare; *et aethere ab alto*
Aurora in CROCEIS *fulgebat lutea bigis.*

Sic enim obiter legendum, CROCEIS, non *roseis*, ob adjunctum *lutea.* sic alibi Ecloga IV. [43.]

Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti
Murice, jam croceo *mutabit vellera* luto:
Sponte sua Sandyx pascentes vestiet agnos.

Quem ultimum versiculum ideo subjeci, ut vetustissimum men-

Digitized by Google

Servatoque loco rerum, discessit ab astris
Humor, et ima petit, quicquid pendebat aquarum.
Tollere silva comas, stagnis emergere colles
Incipiunt, visoque die durescere valles.
130 Utque habuit ripas Sicoris, camposque reliquit,
Primum cana salix madefacto vimine parvam
Texitur in puppim, caesoque inducta juvenco
Vectoris patiens tumidum superenatat amnem.
Sic Venetus stagnante Pado, fusoque Britannus
135 Navigat Oceano: sic cum tenet omnia Nilus,
Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.

127. *U*mor, a. b. 129. calles, a. b. c. d. sed *c* in membr. erasa a. manu sec. et in margine c. manu alia "*valles*. 130. reliqui*d*, ut saepe in hoc verbo, b. Si*c*horis, ita semper, c. 132. pupp*e*m, c. ind*u*ta, c. inducta, d. 133. superenatat, sed *enatat* in membr. erasa, b. supere*mine*t, c. supere*mic*at, d.

dum inde tollam. Plinius Hist. Nat. xxxv, 23. *Sandaracha si torreatur aequâ parte Rubrica admixta, Sandycem facit: quamquam animadverto Virgilium existimasse herbam id esse, illo versu, Sponte sua Sandyx pascentes vestiet agnos.* Recte quidem Plinius: aut enim *herba* est Sandyx, aut otiose positum *pascentes.* Plinium ergo absolvimus: sed quis Virgilium? Quis enim fando audivit Sandycem, quo pictores utuntur, herbam esse? Sed avertat hinc ocius mendum, quod jam Plinii aetate hic inoleverat: lege enim,

Sponte sua Sandyx NASCENTES *vestiet agnos.*

ubi Sandyx, murex, lutum, non materiam, non terram, piscem, herbam significant, sed abstracte colorem. Quanto vero majus est, quod statim *nascentes* agni colorem eum ducunt, quam paulatim *pascentes?* Iterum Virgilius de agni colore agens, Georg. III, 390.

Illum autem, quamvis aries sit candidus ipse,
Nigra subest udo tantum cui lingua palato,
Rejice, ne maculis infuscet vellera *pullis*
NASCENTUM.

Sed ingerunt hic nobis Hesychium; qui, Σάνδυξ, ait, δένδρον θαμνῶδες, ἒ τὸ ἄνθος χροιὰν κόκκῳ ἐμφερῆ ἔχει, ὡς Σωσίβιος, *Sandyx, arbor spinosa, cujus flos colorem cocco similem habet, ut Sosibius.* Quidni ergo hic color coccineus agnos imbuat? Tu vero et grammaticum et testem plorare jube: ride vero illos, qui teneros agnos, non *herbam* cum Plinio, sed ex arbore summa flores carpere, belli homines imaginantur.

Digitized by Google

His ratibus trajecta manus festinat utrinque
Succisum curvare nemus: fluviique ferocis
Incrementa timens, non primis robora ripis
140 Imposuit: medios pontem distendit in agros.
Ac ne quid Sicoris repetitis audeat undis,
Spargitur in sulcos, et scisso gurgite rivis
Dat poenas majoris aquae. Postquam omnia fatis
Caesaris ire videt, celsam Petreius Ilerdam
145 Deserit: et noti diffisus viribus orbis,
Indomitos quaerit populos, et semper in arma
Martis amore feros, et tendit in ultima mundi.
Nudatos Caesar colles, desertaque castra
Conspiciens, capere arma jubet: nec quaerere pontem,
150 Nec vada, sed duris fluvium superare lacertis.
Paretur: rapuitque ruens in proelia miles,
Quod fugiens timuisset, iter. mox uda receptis
Membra fovent armis, gelidosque a gurgite cursu

137. transjecta, c. utrinque, b. c. d. 141. At, correctum in Ac, a. 142. sciso, s man. alia. c. cisso, d. rivus, b. c. sed is man. sec. in membr. erasa b. 145. diffusus, c. 147. Martis, supra scriptum *Mortis*, a. Martis, pro varia lectione, man. sec. in b. Martis in d quoque, correcta a ex o. 148. colles Caesar, c.

138. *Succisum curvare nemus:] Non quaerunt materiam ponti faciendo; sed materiam quaesitam et succisam* ponti faciendo adhibent. Id ostendit τῷ *utrimque*, hoc est, ex utraque fluminis ripa. Caesar ipse Civil. 1, 54. *Huc legionem postea traducit, atque* ex utraque parte *pontem institutum perfecit biduo.* Quare *utrimque succisum nemus curvare*, sine dubio idem est, ac *utrimque pontem instituere.*

142. — *et scisso gurgite rivis Dat poenas majoris aquae.]* Si ab interpretibus quaeris, quid sibi velit *majoris aquae*, respondent, *prioris inundationis.* Hi, si volunt, hoc sensu contenti sint: at non, puto, poeta ipse. Sicoris, parvus fluvius, dat poenas *majoris aquae*, quas Gyndes olim dedit Cyro. Nota res ex Herodoto [1, 202. v, 52.], Gyndem fluvium in 360 rivos a Cyro diductum esse.

Digitized by Google

Restituunt artus, donec decresceret umbra
155 In medium surgente die. jamque agmina summa
Carpit eques, dubiique fugae, pugnaeque tenentur.
Attollunt campo geminae juga saxea rupes
Valle cavae media; tellus hinc ardua celsos
Continuat colles: tutae quos inter opaco
160 Anfractu latuere viae: quibus hoste potito
Faucibus, emitti terrarum in devia martem,
Inque feras gentes Caesar videt. Ite sine ullo
Ordine, ait, raptumque fuga convertite bellum,
Et faciem pugnae, vultusque inferte minaces:
165 Nec liceat pavidis ignava ocoumbere morte:
Excipiant recto fugientes pectore ferrum.
Dixit: et ad montes tendentem praevenit hostem.
Illic exiguo paulum distantia vallo
Castra locant. postquam spatio languentia nullo
170 Mutua conspicuos habuerunt lumina vultus,
Et fratres, natosque suos videre, patresque;
Deprensum est civile nefas. tenuere parumper
Ora metu: tantum nutu, motoque salutant
Ense suos. mox ut stimulis majoribus ardens
175 Rupit amor leges, audet transcendere vallum
Miles, in amplexus effusas tendere palmas.
Hospitis ille ciet nomen; vocat ille propinquum:
Admonet hunc studiis consors puerilibus aetas:
Nec Romanus erat, qui non agnoverat hostem.

158. cav*a*, a. c. d. sed in d, *a* ex *e* correcta, et additum *in*. 160. p*e*tito, c. 165. N*e* liceat, c. 167. praevenit, correctum manu alia, antea p*e*rvenit, c, 169. loc*at*, superne scripta *n* ab alia manu, b. 171. *Hic* fratr. d. 172. depressum, correctum in depr*en*sum, a. depressum, c. 174. ardens, et man. sec. *vel* ard*ent*. b. 176. amplex*um*, d. 179. agno*scere*t, c.

Digitized by Google

180 Arma rigant lacrymis, singultibus oscula rumpunt.
Et quamvis nullo maculatus sanguine miles,
Quae potuit fecisse, timet. Quid pectora pulsas?
Quid, vesane, gemis? fletus quid fundis inanes?
Nec te sponte tua scelerî parere fateris?
185 Usque adeone times, quem tu facis ipse timendum?
Classica det bello; saevos tu neglige cantus:
Signa ferat; cessa: jam jam civilis Erinnys
Concidet, et Caesar generum privatus amabit.
Nunc ades, aeterno complectens omnia nexu,
190 O rerum, mistique salus, concordia, mundi,
Et sacer orbis amor: magnum nunc secula nostra
Venturi discrimen habent. periere latebrae
Tot scelerum: populo venia est erepta nocenti:
Agnovere suos. pro numine fata sinistro
195 Exigua requie tantas augentia clades!
Pax erat, et miles castris permistus utrisque

182. patuit et sec. manu *potuit*, a. 183. ves. *times*. a. inan*is*, a. 184. N*on* te, d. 185. *esse* tim. b. c. 186. de*nt*, a. d. et b, supra scripta *n* man. sec. bell*um*, a. bell*a*, sed *a* man. alia in membr. erasa c. bello, *e* et *u* man. sec. b. neglege, a. d. 187. fera*nt*, a. d. et b. supra scripta *n* manu alia. cessa, *s* addita est a man. sec. b. 193. nocenti, *ti* man. alia in membr. erasa, b. 194. *numine*, man. sec. in erasa membr. b. 196. erat *in*, superne scriptum *et* man. alia, c. castris miles, a. c.

186. *Classica det bello;]* Priores editiones habebant, *Classica dent bellum*, quod tuetur Frid. Gronovius Observ. IV. 26. narratque hanc novam lectionem ex conjectura Grotium *surrogasse*, cum omnis scriptura vetus habeat *dent bellum*. Fallitur vir eximius; quinque enim scripti, quibus usi sumus, universi habent *bello;* et unus tantum *dent*, ceteri *det*. quare hoc merito accipimus; cum et sequente versu sit, *Signa ferat;* ut utrobique idem nominativus *Caesar* subintelligatur.

196. *Pax erat, et miles castris permistus utrisque]* Concinnius alii codices,

Pax erat, et castris miles *permistus utrisque.*

Digitized by Google

Errabat: duro concordes cespite mensas
Instituunt, et permisto libamina Baccho.
Graminei luxere foci: junctoque cubili
200 Extrahit insomnes bellorum fabula noctes:
Quo primum steterint campo, qua lancea dextra
Exierit. dum, quae gesserunt fortia, jactant,
Et dum multa negant, quod solum fata petebant,
Est miseris renovata fides, atque omne futurum
205 Crevit amore nefas. nam postquam foedera pacis
Cognita Petreio, seque, et sua tradita venum
Castra videt, famulas scelerata ad proelia dextras
Excitat, atque hostes turba stipatus inermes

199. *d*uxere, d. 200. insomnis, a. 202. Exierint, a. 204. renovata, sed in margine man. alia *revocata*, c. 207. *in* proel., sed man. sec. in membr. erasa b.

198. — *et permisto libamina Baccho. Graminei luxere foci.]* Mendosum est et ineptum illud *permisto Baccho:* praesertim cum altero abhinc versu habuimus *permistus*. Tolle distinctionem plenam post *Baccho*, et repone,

— *Et* PRIMA SACRO *libamina Baccho,*
Graminei luxere foci.

Si compendiose scribas, similia sunt, *pmisto pmasco*. Ovid. Fast. III, 733, de Baccho,

Te memorant, Gange totoque Oriente subacto,
Primitias magno seposuisse Iovi.
Cinnama tu primus captivaque tura dedisti,
Deque triumphato viscera tosta bove:
Nomine ab auctoris ducunt libamina *nomen,*
Libaque, quod sacris *pars datur inde* focis.

Virgil. VI, 246.

Ignibus *imponit* sacris *libamina* prima.

Val. Flaccus V, 19.

Ipse gravi patera sacri libamina Bacchi
Rite ferens.

206. — *seque, et sua tradita venum Castra videt.]* Redit illud *castra* altero abhinc versu, *Praecipitat castris:* quare amplector codicis Regii lectionem,

— *seque et sua tradita venum*
CUNCTA *videt.*

Sic VIII, 509.

Regesque timet, quorum omnia *mersit.*

Nec vero satis modeste *sua castra*, quae cum Afranio communia erant, ut supra *v.* 4.

Jure pari rector castris Afranius illis
Et Petreius erat.

208. — *atque hostes turba stipatus inermes Praecipitat castris.]* Manuscriptus A. *Inermi.* Caesar Civil. I, 75. *Petreius armat familiam, cum hac et praetoria cohorte cetratorum barbarisque equitibus paucis, improvi-*

Digitized by Google

Praecipitat castris, junctosque amplexibus ense
210 Separat, et multo disturbat sanguine pacem.
Addidit ira ferox moturas proelia voces:
Immemor o patriae, signorum oblite tuorum,
Non potes hoc causae, miles, praestare Senatus,
Assertor victo redeas ut Caesare: certe,
215 Ut vincare potes. dum ferrum, incertaque fata
Quique fluat multo non deerit vulnere sanguis,
Ibitis ad dominum? damnataque signa feretis?
Utque habeat famulos nullo discrimine Caesar
Exorandus erit? ducibus quoque vita petenda est?
220 Nunquam nostra salus pretium, mercesque nefandae
Proditionis erit: non hoc civilia bella,
Ut vivamus, agunt. trahimur sub nomine pacis.
Non chalybem gentes penitus fugiente metallo
Eruerent, nulli vallarent oppida muri,

209. junctosque *et*, b. 217. feretis signa, d. 219. erit; et *vel?* man. sec. b. est; et *vel?* man. sec. b. 221. erit, *t* in membr. erasa, c. 223. calibem, b. c. d. metallo, *e* et *a* man. sec. in membr. erasa, b.

so ad vallum advolat. — *Nostri sinistras sagis involvunt gladiosque distringunt, atque ita se a cetratis equitibus defendunt.* Forte corrigendum,

— *atque hostes* TURMA *stipatus* EQUESTRI.

Certe *turma* legendum. Claudianus de bello Getico, 579.

Talia nunc pediti, turmae *nunc mixtus* equestri,
Dicta dabat.

212. *Immemor o patriae, signorum oblite tuorum.]* Mox sequitur *signa*. Deinde non *tuorum*, sed *meorum*: nam imperatoris sunt, non militis. ut, [infr. IX, 579.]

— *mea signa secuti.*

Forte legendum,

Immemor o patriae, LARIUMQUE *oblite tuorum.*

Quintilian. Declam. CCLX, p. 487. *Illud parum est, exulem esse domus suae, Larium suorum?* et certe si *signorum*, non *oblite sed proditor*. *Oblite* de absentibus, non, ut hic, de praesentibus.

218. — *nullo discrimine]* Suavior et Lucano solennis, compositio est, quam dat codex Regius,

Utque habeat nullo famulos *discrimine Caesar.*

Ceterum illud *nullo discrimine*, noli interpretari cum viro magno, *nulla differentia*, sed nullo periculo, nulla dimicatione.

Digitized by Google

225 Non sonipes in bella ferox, non iret in aequor
Turrigeras classis pelago sparsura carinas,
Si bene libertas unquam pro pace daretur.
Hostes nempe meos sceleri jurata nefando
Sacramenta tenent: at vobis vilior hoc est
230 Vestra fides, quod pro causa pugnabitis aequa.
Sed veniam sperare licet. pro dira pudoris
Funera! nunc toto fatorum ignarus in orbe,
Magne, paras acies, mundique extrema tenentes
Sollicitas reges, cum forsan foedere nostro
235 Jam tibi sit promissa salus. Sic fatur, et omnes
Concussit mentes, scelerumque reduxit amorem.
Sic ubi desuetae silvis in carcere clauso
Mansuevere ferae, et vultus posuere minaces,
Atque hominem didicere pati: si torrida parvus

227. *u*nquam, ante *u* aliquid deletum est, c. 230. pugn*antibus*, b. 231. Et ven. b. c. d. pudoris, *o* in membr. erasa b, manu sec. 232. F*e*dera, c et pro varia lectione b. 233. mundi, deest *que* in a. 235. om*n*s, ^{n}s man. sec. b. 237. clause, c. 238. minac*is*, a. 239. *h*orrida, a. orrida, d.

230. — *quod pro causa pugnabitis aequa.]* Priorem lectionem praetulerim,

— *at vobis vilior hoc est*
Vestra fides, quod pro causa pugnantibus *aequa*

Et *veniam sperare licet.* egregie, nisi quod Regius paulo concinnius *vobis at.* Clara per se est sententia: Ideo segnes ad praelia estis, parati ad desciscendum, quod in causa bona et pia, etiam victi veniam ab hoste speratis: illi contra, non *sceleribus*, ut vir magnus, sed desperatione veniae obdurati sunt. Huc tendit et Caesaris oratio VII, 314.

— *vincat, quicumque necesse*
Non putat in victos saevum destringere ferrum,
Quique suos cives, quod signa adversa tulerunt,
Non credit fecisse nefas.

At contra Pompejus omnes Caesarianos pro latronibus habet, non justis militibus, II, 531.

O scelerum *ultores, meliora*que *signa secuti!*

231. — *pro dira pudoris Funera!]* Dissentiunt hic codices, pars *Funera*, pars *Foedera*. Tu utrumque respue, et sic corrige,

— *proh dira pudoris*
VULNERA.

Sic et alibi VIII, 350.

— *patimurne* pudoris
Hoc vulnus?

Venit in ora cruor, redeunt rabiesque furorque,
Admonitaeque tument gustato sanguine fauces:
Fervet, et a trepido vix abstinet ira magistro.
Itur in omne nefas: et quae Fortuna deorum
Invidia caeca bellorum in nocte tulisset,
Fecit nostra, fides: inter mensasque, torosque,
Quae modo complexu foverunt pectora, caedunt.
Et quamvis primo ferrum strinxere gementes,
Ut dextrae justi gladius dissuasor adhaesit,
Dum feriunt, odere suos, animosque labantes
Confirmant ictu. fervent jam castra tumultú,
Et scelerum turba: rapiuntur colla parentum.
Ac velut occultum pereat scelus, omnia monstra
In faciem posuere ducum: juvat esse nocentes.

240. *ora*, sec. man. a. 242. Ferv*ent*, sed man. sec. *fervet*. a. et *a* trep. *a* man. sec. addita est, quam prima deleverat, a. *i*ra, *i* in membr. erasa, b. c. in b sec. manu. *o*ra, d. 244. nocte, sine *in*, d. 245. *mon*stra, a. b. c. d. 251. *Ac* turb. scel. b. Verba *Et turb. scel.* — *occultum*, in membr. erasa sunt scripta, d. 252. velu*d*, ita fere semper c.

245. *Fecit nostra, fides:]* Recte vir magnus *nostra* adscivit pro *monstra*. Id fefellit librarios, quod *nostra fides* una copulabant, eodem casu et numero. Sed dividenda sunt: *fides fecit ea crimina nostra esse, quae alias Fortunae crimina fuissent, in caeca bellorum nube et conflictu, cum amicus amicum, cognatus cognatum ignari jugulavissent.* Ceterum pro *nocte* probe habet Bersmanni codex NUBE. Sic et alibi IV, 488.

Non tamen in caeca *bellorum* nube *cadendum.*

et VI, 297.

Ante aciem caeca *trepidi sub* nube *timoris.*

Virgil. Aen. X. [809.]

Aeneas nubem belli, *dum detonet, omnem*
Sustinet.

251. *Et scelerum turba: rapiuntur colla parentum.]* Hic versus a codice Collegii Trinitatis abest; in codice Academiae fertur alia manu et interlinearis, in Bersmanni post tertium venit. Omnino κακῦ κόμματος, et rejiciendus. *Turba scelerum* invenuste, praesertim cum redeat illud *scelus* versu sequente. *Rapientur colla parentum*, indocte: quasi in mortuorum corpora hic saevirent, ut Marius et Sylla in civilibus odiis.

252. — *omnia monstra In fa-*

Digitized by Google

Tu, Caesar, quamvis spoliatus milite multo
255 Agnoscis superos: neque enim tibi major in arvis
Emathiis fortuna fuit, nec Phocidos undis
Massiliae, Phario nec tantum est aequore gestum.
Hoc siquidem solo civilis crimine belli
Dux causae melioris eris. polluta nefanda
260 Agmina caede duces junctis committere castris
Non audent, altaeque ad moenia rursus Ilerdae
Intendere fugam. campos eques obvius omnes
Abstulit, et siccis inclusit collibus hostem.
Tunc inopes undae praerupta cingere fossa
265 Caesar avet, nec castra pati contingere ripas,
Aut circum largos curvari brachia fontes.
Ut leti videre viam, conversus in iram
Praecipitem timor est. miles non utile clausis
Auxilium mactavit equos: tandemque coactus
270 Spe posita damnare fugam, casurus in hostes
Fertur. Ut effuso Caesar decurrere passu
Vidit, et ad certam devotos tendere mortem:
Tela tene jam, miles, ait, ferrumque ruenti
Subtrahe: non ullo constet mihi sanguine bellum;

255. armis, c. 262. omnis, b. d. 270. dampnare, et ita semper a. hostem, a. 271. discurrere, a. 272. tradere, b. 274. nullo, d.

ciem posuere ducum:] Codex Collegii Trinitatis, *In facie.* Noster VI, 159.

— *peterem felicior umbras*
Caesaris in vultu.

257. — *Phario nec tantum est aequore gestum.]* Laevius tersiusque exit, quod Bersmanni codex habet:

Massiliae, Phario tantum neo
in *aequore gestum.*

259. *Dux causae melioris eris.]* Ipsa sententia clamitat legendum esse,

Dux causae melioris ERAS.

274. — *non ullo constet mihi sanguine bellum:]* Placet magis, quod alii libri afferunt, VULNERE: quia mox redit illud alterum, *gaudebit sanguine fuso.* Caesar bello Gall. III, 24. *Tutius arbitrabuntur esse sine* ullo vulnere *victoria potiri.* et iterum Gall. III, 86. *Ita sine periculo legionum, et paene* sine vulnere

Digitized by Google

275 Vincitur haud gratis, jugulo qui provocat hostem.
En sibi vilis adest invisa luce juventus,
Jam damno peritura meo: non sentiet ictus;
Incumbet gladiis, gaudebit sanguine fuso.
Deserat hic fervor mentes, cadat impetus amens,
280 Perdant velle mori. Sic deflagrare minaces
Incassum, et vetito passus languescere bello,
Substituit merso dum nox sua lumina Phoebo.
Inde ubi nulla data est miscendae copia mortis,
Paulatim cadit ira ferox, mentesque tepescunt.
285 Saucia majores animos ut pectora gestant,
Dum dolor est, ictusque recens, et mobile nervis
Conamen calidus praebet cruor, ossaque nondum
Adduxere cutem: si conscius ensis adacti
Stat victor, tenuitque manus; tum frigidus artus

276. Ensi[bi], a. *contempta*, sed in membr. erasa, b. 282. Versus *Substituit* etc. in margine scriptus est, c. 283. miscend*i* a. b. c. d. sed *i* man. alia in membr. erasa c. et pro varia lectione in a legitur *miscendae*. Martis, a. b. c. d. sed in a ex mortis correctum est. 284. *fug*it, d. 289. *d*um, correcta *t* in *d*; et supra scriptum *vel tunc* man. alia, d.

bellum conficiemus. Tacitus Hist. III, 13. *Huc cecidisse, ut sine praelio*, sine vulnere, *vinctas manus et capta traderent arma.*

283. — *miscendae copia mortis.*] Ita quidam MSS. efficacius quam alii libri, *miscendi martis.* in septimo [101.] similiter:

— *mortesque suorum*
Permiscere meis. Grotius.

Pace tamen viri magni revocamus alteram lectionem, *miscenda copia martis*, vel ob id unum, quod praecesserat, *vetito passus languescere bello.* Quin et aliud est *mortes miscere*, aliud *mortem.* At *martem miscere*, ut III, 354.

Vulnera miscebunt *fratres.*

VI, 80.

Major cura ducem miscendis *abstrahit* armis.

VIII, 421.

— *quam quod vobis* miscentibus *arma.*

287. — *si conscius ensis adacti Stat victor, tenuitque manus;*] Rectius, quod alii codices habent, *manum.*

Digitized by Google

290 Alligat, atque animum subducto robore torpor,
Postquam sicca rigens astrinxit vulnera sanguis.
Jamque inopes undae, primum tellure refossa,
Occultos latices, abstrusaque flumina quaerunt:
Nec solum rastris, durisque ligonibus arva,
295 Sed gladiis fodere suis: puteusque cavati
Montis ad irrigui premitur fastigia campi.
Non se tam penitus, tam longe luce relicta
Merserit Assyrii scrutator pallidus auri.
Non tamen aut tectis sonuerunt cursibus amnes,
300 Aut micuere novi, percusso pumice, fontes:
Antra nec exiguo stillant sudantia rore,
Aut impulsa levi turbatur glarea vena.
Tunc exhausta super multo sudore juventus
Extrahitur, duris silicum lassata metallis.
305 Quoque minus possent siccos tolerare vapores,
Quaesitae fecistis aquae. nec languida fessi

291. adstringit, a. adstrixit, b. abstringit, c. 293. obstrusaque, b. c. 297. jam penitus, d. relicta, i ex u correcta in membr. erasa d. 299. tecti, a. b. d. cursibus, et in margine man. alia *fontibus*, c. 301. neque, c. d. sudentia, c. 303. Sic, et man. sec. *vel Tunc*, b. super exhausta, c. *simul* a. b. sed man. sec. b. 304. scilicum, et in margine man. alia *silicum*, c. 305. Utque, a. siccos possent, c.

291. *Postquam sicca rigens astrinxit vulnera sanguis]* Seneca Epist. p. 359. *Et per* adsiccata vulnera *recens dimittitur sanguis.* Et Epist. 59. *Deinde cum, represso sanguine,* sicci vulneris *dolor cresceret.*

298. *Merserit Assyrii scrutator pallidus auri.]* Sine dubio reponendum ASTURII, ex emendatione Nic. Heinsii. Silius lib. 1, 231.

— *Astur avarus*
Visceribus laceraе telluris mergitur imis,
Et redit infelix effosso concolor auro.

Vide ipsum ad Claudianum [in Prob. et Olyb. 49.].

305. *Quoque minus possent siccos]* Codices alii concinnius,

Quoque minus siccos possent *tolerare vapores.*

Digitized by Google

Corpora sustentant epulis, mensasque perosi
Auxilium fecere famem. si mollius arvum
Prodidit humorem, pingues manus utraque glebas
310 Exprimit ora super. nigro si turbida limo
Colluvies immota jacet, cadit omnis in haustus
Certatim obscoenos miles: moriensque recepit,
Quas nollet victurus, aquas: rituque ferarum,
Distentas siccant pecudes, et lacte negato,
315 Sordidus exhausto sorbetur ab ubere sanguis.
Tunc herbas, frondesque terunt, et rore madentes
Distringunt ramos: et si quos palmite crudo,
Arboris aut tenera succos pressere medulla.
O fortunati, fugiens quos barbarus hostis
320 Fontibus immisto stravit per rura veneno.
Hos licet in fluvios saniem, tabemque ferarum,
Pallida Dictaeis, Caesar, nascentia saxis
Infundas aconita palam, Romana juventus
Non decepta bibet. torrentur viscera flamma,
325 Oraque sicca rigent squamosis aspera linguis.
Jam marcent venae, nulloque humore rigatus

316. Destringunt, a. herbas, *a* man. sec. in membr. erasa b. madent*is*, a. 318. tener*ae*, et *vel tenera* a. b. sed in b. man. sec. sucos, ita semper b. d. medull*ae*, et man. sec. *vel a*, b. 325. s*p*amosis, ita semper a. b. 326. humore, *o* man. sec. in membr. erasa b.

310. — *nigro si turbida limo Colluvies immota jacet.]* Non bene inter se congruunt *turbida* et *immota*. Recipimus ergo ex aliis codicibus, quod per se significantius est,

Colluvies IMMUNDA *jacet.*

Sic alii, *immundus fimus*, etc.

317. — *et si quos palmite crudo, Arboris aut tenera succos pressere medulla.]* Cum palmitem vitis nominavit, non dicendum erat *arboris* in genere, sed peculiaris cujusdam arboris. Corrige,

SAMBUCI *aut tenera succos pressere medulla.*

Nam plurima inter omnes arbores sambuco medulla est.

Digitized by Google

Aeris alternos angustat pulmo meatus,
Rescissoque nocent suspiria dura palato.
Pandunt ora siti, nocturnumque aera captant.
330 Expectant imbres, quorum modo cuncta natabant
Impulsu, et siccis vultus in nubibus haerent.
Quoque magis miseros undae jejunia solvant,
Non super arentem Meroen, Cancrique sub axe,
Qua nudi Garamantes arant, sedere: sed inter
335 Stagnantem Sicorim, et rapidum deprensus Iberum
Spectat vicinos sitiens exercitus amnes.
Jam domiti cessere duces, pacisque petendae
Auctor damnatis supplex Afranius armis,
Semianimes in castra trahens hostilia turmas,
340 Victoris stetit ante pedes. servata precanti
Majestas, non fracta malis, interque priorem

327. pulmo, ante *l* aliquid deletum est, c. 328. Re-
s
cisoque, *s* manus sec. addidit in a. 329. ora *tamen*, a. b. sed in membr. erasa b, man. sec. 332. Quoque, supra scriptum *Ut*, fortasse glossae loco, d. jejuni*a*, *a* man. sec. in membr. erasa b. 335. Stannantem, c. Stagnantem, sed addita *t* man. sec. a. 336. amnis, a.

328. *Rescissoque nocent suspiria dura palato. Pandunt ora siti, nocturnumque aera captant.]* Ineptum et ignavum est illud SITI: quorsum enim tot pulcherrimis versibus saevissima jam descripta est sitis, si nunc demum SITIM nominat? mirum ni suspicaremur, loquendi aut cantitandi gratia ora pandisse. Neque magis placet *nocturnum aera:* nam esto ut frigidior sit: quid agendum erat interdiu? Codex Bersmanni et duo Regii pro SITI habent TAMEN; unde nascitur emendatio. Dixerat enim, quod verum est, ex ipsa inspiratione et exspiratione aeris, et crebro anhelitu, ora aridiora facta, sitimque auctam esse: corrige igitur,

Pandunt ora TAMEN, NOCITURUMQUE *aera captant.*

330. *Expectant imbres, quorum modo cuncta natabant]* Languidum est illud *Expectant.* Lege

EXOPTANT *imbres, quorum modo cuncta natabant.*

Nempe, quos nuper oderant et execrati sunt, nunc exoptant.

Digitized by Google

Fortunam casusque novos, gerit omnia victi,
Sed ducis, et veniam securo pectore poscit.
Si me degeneri stravissent fata sub hoste
Non deerat fortis rapiendo dextera leto:
At nunc sola mihi est orandae causa salutis,
Dignum donanda, Caesar, te credere vita.
Non partis studiis agimur, nec sumsimus arma
Consiliis inimica tuis. nos denique bellum
Invenit civile duces: causaeque priori,
Dum potuit, servata fides: nil fata moramur.
Tradimus Hesperias gentes, aperimus Eoas,
Securumque orbis patimur post terga relicti.
Nec cruor effusus campis tibi bella peregit,
Nec ferrum, lassaeque manus. hoc hostibus unum,
Quod vincas, ignosce tuis. nec magna petuntur.
Otia des fessis, vitam patiaris inermem
Degere, quam tribuis: campis prostrata jacere
Agmina nostra putes: nec enim felicibus armis
Misceri damnata decet, partemque triumphi
Captos ferre tui: turba haec sua fata peregit.

344. degenero, *o* man. sec. antea *i* fuisse videtur, b. 345. *c*apiendo, c. d. sed in c. manus sec. *c* in *r* correxit. 346. At *n*. causa, a. b. c. d. orandae sola, a. c. d. *magna* b, et man. sec. *vel sola*. 348. *non* sum*p*simus, c. su*m*imus, a. 352. Hesperia*s*, a. a perimus, ante *p* aliquid deletum est, c. 357. *de*fessis, a. b. d. Ocia des, sed *cia* et *d* man. sec. in membr. erasa, c. patia*mur*, d. in *h*ermem, c. in*h*ermes, d. inerme*m*, sed man. sec. a.

345. *Non deerat fortis rapiendo dextera leto:]* Placet aliorum codicum lectio,

— *capiendo dextera leto:*

ut r. 461. *Animique capaces Mortis.*

346. *At nunc solo mihi est orandae causa salutis,]* Scripti, quos viderim, omnes alio ordine,

At nunc causa *mihi est orandae* sola *salutis.*

Digitized by Google

Hoc petimus, victos ne tecum vincere cogas.
Dixerat: at facilis Caesar vultuque serenus
Flectitur, atque usum belli poenamque remittit.
Ut primum justae placuerunt foedera pacis,
Incustoditos decurrit miles ad amnes;
Incumbit ripis, permissaque flumina turbat.
Continuus multis subitarum tractus aquarum
Aera non passus vacuis discurrere venis,
Arctavit, clausitque animam: nec fervida pestis
Cedit adhuc; sed morbus egens jam gurgite plenis
Visceribus sibi poscit aquas. mox robora nervis,

362. ne tecum, *ne* man. alia adscriptum est, c. Supra v. vincere man. alia *degere*, sine signo, c. 363. Caes. facil. a. b. c. d. usus, c. d. 366. miles, ante *l* aliquid deletum est, c. 370. Artavit, ita semper in hac voce, a. c. clusitque, a. 371. Cepit; et man. sec. *poscit*, a. 372. *cepit* aquas, d.

362. — *victos ne tecum vincere cogas.]* Alii codices mollius,

Hoc petimus, victos tecum ne *vincere cogas.*

364. — *atque usum belli poenamque remittit.]* Placet aliorum librorum lectio,

Atque usus *belli poenamque remittit.*

367. *Incumbit ripis, permissaque flumina turbat.]* Quomodo autem *turbat* flumina, si non ultra *ripas* procurrit? Scribe,

INCUMBUNT RIVIS, *permissaque flumina* TURBANT.

Non in tanta siti ripis consistunt, sed in ipsa flumina prosiliunt. Ceterum codex Trinitatis *Incumbunt* et *turbant*, etsi in priore versu sit, *miles decurrit*, placet, nam ita supra, 313.

— *moriensque* recepit
Quas nollet *victurus aquas: rituque ferarum*
Distentas siccant *pecudes.*

Statius Thebaid. IV, 818. in siti plane simili,

Incubuere vadis *passim discrimine nullo.*
— *modo lene virens et gurgite puro*
Perspicuus, nunc sordet *aquis egestus ab imo*
Alveus.

Ut hic *vadis* et *sordet*: ita Nostor, *rivis* et *turbant.*

371. — *sed morbus egens]* Lego

— *sed* MORIS *egens.*

Seneca Epist. p. 290. *Sicut distillatio una, nec adhuc* in morem *adducta tussim facit.* Seneca Nat. Qu. VI, 14. p. 797. *Neque enim in nobis febris alias partes* moratius *impellit, sed per omnes pari aequalitate discurrit.* ubi plura Gronovius.

Digitized by Google

Et vires rediere viris. O prodiga rerum
Luxuries, nunquam parvo contenta paratu,
375 Et quaesitorum terra pelagoque ciborum
Ambitiosa fames, et lautae gloria mensae,
Discite, quam parvo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat. non erigit aegros
Nobilis ignoto diffusus consule Bacchus:
380 Non auro, murrhaque bibunt: sed gurgite puro
Vita redit. satis est populis fluviusque Ceresque,
Heu miseri, qui bella gerunt. Tunc arma relinquens
Victori miles spoliato pectore tutus,
Innocuusque suas curarum liber in urbes
385 Spargitur. o quantum donata pace potitos
Excussis unquam ferrum vibrasse lacertis
Poenituit, tolerasse sitim, frustraque rogasse
Prospera bella deos. nempe usis marte secundo
Tot dubiae restant acies, tot in orbe labores:
390 Ut nunquam fortuna labet successibus anceps,

373. red. viris, correcta *i* ex *e*, d. 374. paratis, a. et in b. pro varia lectione man. sec. 378. petit, c. 379. Bachus, ita semper b. d. 380. miraque, sed *mira* man. sec. b. mircoque, *ra* man. alia, ante *c* aliquid deletum est, et in margine *murea* man. alia, c. 384. curam, post *m*, quae man. alia est, aliquid deletum. c. *in*, correctum man. alia, c.

380. *Non auro, murrhaque bibunt:]* Codex Trin. *Murrave.* Recipimus: atque utinam semper hoc praestaret: nam aut codices nos fallunt, aut passim habet Lucanus *que*, ubi alii *ve* dicerent.

381. — *satis est populis fluviusque Ceresque, Heu miseri, qui bella gerunt.]* Male haec connectuntur in libris editis: quasi *fluvius et Ceres* satis esset bella gerentibus, sed non aliis. Minime hoc vult auctor. Et in bello et in pace panis et aqua naturae satisfaciunt. Illa vero, *Heu miseri, qui bella gerunt*, ad sequentia pertinent: victi enim, nudi, et spoliati, gratulantur sibi omnia dedecora, ob militiae vacationem.

Digitized by Google

Vincendum toties: terras fundendus in omnes
Est cruor, et Caesar per tot sua fata sequendus.
Felix, qui potuit mundi nutante ruina,
Quo jaceat jam scire loco. non proelia fessos
395 Ulla vocant, certos non rumpunt classica somnos.
Jam conjux, natique rudes, et sordida tecta,
Et non deductos recipit sua terra colonos.
Hoc quoque securis oneris fortuna remisit,
Sollicitus menti quod abest favor: ille salutis
400 Est auctor, dux ille fuit. sic proelia soli
Felices nullo spectant civilia voto.
Non eadem belli totum fortuna per orbem
Constitit: in partes aliquid sed Caesaris ausa est,
Qua maris Adriaci longas ferit unda Salonas,
405 Et tepidum in molles Zephyros excurrit Iader.
Illic bellaci confisus gente Curetum,
Quos alit Adriaco tellus circumflua ponto,
Clauditur extrema residens Antonius ora,
Cautus ab incursu belli, si sola recedat,
410 Expugnat quae tuta, fames. non pabula tellus
Pascendis submittit equis, non proserit ullam
Flava Ceres segetem: spoliabat gramine campum

391. tociens, c. totiens, a. b. ut semper. fundendus, *u* et *e* in membr. erasa, et in margine man. alia *fundandus*, c. 396. rudes, ante *d* aliquid deletum est. c. 397. deductos, correcta *e* ex *i* man. alia, et in margine *deduetos* man. eadem. c. 399. pavor, correcta *p* ex *f*, d. In c *pa* supra *fa* scriptae sunt sine signo. 402. belli, post *i* aliquid deletum est, c. 405. tepidum, ante *e* aliquid deletum est, c. 406. Curitum, c. 412. spolia^{bat}, *bat* man. sec. a.

412. — *spoliabat gramine campum Miles,]* Repone, SPOLIARAT, ut mox *vulserat*: neque enim, credo, *castrorum* herbas prius comederant, quam *campi*.

Digitized by Google

Miles, et attonso miseris jam dentibus arvo
Castrorum siccas de cespite vulserat herbas.
415 Ut primum adversae socios in littore terrae
Et Basilum videre ducem: nova furta per aequor
Exquisita fugae: neque enim de more carinas
Extendunt, puppesque levant, sed firma gerendis
Molibus insolito contexunt robora ductu.
420 Namque ratem vacuae sustentant undique cuppae,
Quarum porrectis series constricta catenis
Ordinibus geminis obliquas excipit alnos.
Nec gerit expositum telis in fronte patenti
Remigium: sed, quod trabibus circumdedit aequor,
425 Hoc ferit, et taciti praebet miracula cursus,
Quod nec vela ferat, nec apertas verberet undas.
Tunc freta servantur, dum se declivibus undis
Aestus agat, refluoque mari nudentur arenae.
Jamque relabenti crescebant littora ponto;
430 Missa ratis prono defertur lapsa profundo,
Et geminae comites. cunctas super ardua turris

414. siccas, *sicc* in membr. erasa, ad marginem *siccas*, man. alia. c. *vulserat*, in membr. erasa, ad marginem *vulserat* man. alia, c. *e*rbas, a. d. 417. nec enim, c. 419. Molibus, ante *l* aliquid deletum est, c. 420. cu*p*ae, a. 422. gemin*is*, *is* in membr. erasa c. 425. *ae* taciti, b. 426. verber*at*, c. 427. *Cum*, a. Tu*m*, c. *cedenti*bus, sed suprascriptum est man. alia *declivibus* sine nota, c., 428. *h*arenae, ut semper, a. 430. M*i*ssa, *i* man. sec. in membr. erasa, b.

420. *Namque ratem vacuae sustentant undique cuppae,]* Cuppam ingens vas vinarium instar seriae vel dolii esse, et inde ad frumentum conservandum et ad pontium fabricam adhiberi, ostendit Bentl. ex hoc et aliis locis ad Horat. Serm. II, 2, 127. Web.

431. — *cunctas super ardua turris Eminet, et tremulis tabulata minantia pinnis.] Cunctas super ἐγκλινικῶς, super cunctas, sive omnes tres rates eminet turris et tabulata.* At acutissimus Nic. Heinsius ad Silium IX, 641. *Junctae*, inquit, *tabulata tur-*

Digitized by Google

Eminet, et tremulis tabulata minantia pinnis.
Noluit Illyricae custos Octavius undae
Confestim tentare ratem, celeresque carinas
435 Continuit, cursu crescat dum praeda secundo:
Et temere ingressos repetendum invitat ad aequor
Pace maris. Sic dum pavidos formidine cervos
Claudat odoratae metuentes aera pennae:
Aut dum dispositis attollat retia varis
440 Venator, tenet ora levis clamosa Molossi;
Spartanos, Cretasque ligat: nec creditur ulli
Silva cani, nisi qui presso vestigia rostro
Colligit, et praeda nescit latrare reperta,
Contentus tremulo monstrasse cubilia loro.
445 Nec mora. complentur moles, avideque petitis
Insula deseritur ratibus: quo tempore primas
Impulit ad noctem jam lux extrema tenebras.
At Pompejanus fraudes innectere ponto

433. Illiricae, ut semper, c. d. 434. carin*as*, *as* manu sec. in membr. erasa, b. 437. indagine, sed in membr. erasa, man. sec. b. 439. Ac cum, c. 441. Sp*a*rtanos, *ar* in membr. erasa, c. Cretas*que*, *que* manus sec. addidit, b; in c ante *que* aliquid deletum est. 442. vestig. presso, c. 447. Imp*e*dit, a. b. c. d.

ris: sic lego, non cunctas. Non intelligo: nam in hac verborum constructione dicendum erat *eminent*, non *eminet*. Sed multa sunt condonanda in opere postumo.

446. — *quo tempore primas Impulit ad noctem jam lux extrema tenebras.]* Durum hoc et plane ferreum, *lux impellit tenebras ad noctem;* certe *detinet* potius quam *impellit*. Codices alii *Impulit*, alii *Impedit*, quidam *Impetit*. Miror vero, cur illud Grotius primus in textum receperit; nec tamen vel verbo explicaverit. In prima editione hoc ponit, *Impulit ad noctem: sic legendum, non Impedit, aut Impetit* · in tertia vero omissum hoc est; neque eo minus *Impulit* in textu retinetur. Nos, bona viri magni venia, revocemus priorem lectionem IMPEDIT hoc est, detinet, tardat, demoratur. *Ad noctem* autem non *motum* hic significat, sed *tempus* solum, *circa noctem*.

Digitized by Google

Antiqua parat arte Cilix, passusque vacare
450 Summa freti, medio suspendit vincula ponto,
Et laxas fluitare sinit, religatque catenas
Rupis ab Illyricae scopulis. nec prima, nec illa
Quae sequitur, tardata ratis: sed tertia moles
Haesit, et ad cautes adducto fune secuta est.
455 Impendent cava saxa mari: ruituraque semper
Stat (mirum) moles: et silvis aequor inumbrat.
Huc fractas Aquilone rates, submersaque pontus
Corpora saepe tulit, caecisque abscondit in antris:
Restituit rupes tectum mare, cumque cavernae
460 Evomuere fretum, contorti verticis undae
Tauromenitanam vincunt fervore Charybdim.
Hic Opiterginis moles onerata colonis
Constitit: hanc omni puppes statione solutae
Circueunt: alii rupes, ac littora complent.
465 Vulteius tacitas sensit sub gurgite fraudes.

449. C*y*lix, b. 451. lax*e*, b. catenas, *t* manu sec. in membr. erasa, b. 453. tardata *est*, d. 458. *undis*, a. 459. Restituit, in membr. erasa, b. ra*ptus*, a. b. c. 460. vorticis, c. 461. Tauromenitan*a*, *a* man. sec. in membr. erasa, b. Tauromi*n*itanam, et in margine man. alia: *Tauronitanam*, c. Tauro-
t t
minianam, *uni* in membr. erasa, d. *cari*bdim, a. b. c. *kari*bd. d. 462. Opit'ginis, ante *g* aliquid deletum est, c. 464. Circu*m*eunt, a. c. d. *et* lit. a. c. 465. Vult*eus*, in Vultejus man. sec. correctum, b.

459. *Restituit rupes tectum mare,]* Sensus erat commodus, nisi refragarentur manuscripti, qui *raptus* habent. Raptus igitur intellige rapinas, res ipsas raptas, corpora, naves, quae pertracta ad has cavernas, deinde iterum evomuntur. GROTIUS. In prima editione vir summus RUPES emendavit pro RAPTUS; in secunda damnavit; interim per omnes editiones illa *rupes* textui adhaesit; sed praetulerim omnium codicum lectionem, RAPTUS. Emendationis enim istius nec sensus commodus est, nec ad alterum comparandus. Ceterum pro *tectum mare*, quod sine manuscriptis non sollicito, dedissem equidem moralem huic sententiae affectum,
— *restituit raptus* IUSTUM *mare*.

Digitized by Google

(Dux erat ille ratis) frustra qui vincula ferro
Rumpere conatus, poscit spe proelia nulla,
Incertus qua terga daret, qua pectora bello.
Hoc tamen in casu, quantum deprensa valebat,
470 Effecit virtus: inter tot millia captae
Circumfusa rati, et plenam vix inde cohortem,
Pugna fuit, non longa quidem. nam condidit atra
Nox lucem dubiam, pacemque habuere tenebrae.
Tunc sic attonitam, venturaque fata paventem
475 Rexit magnanima Vulteius voce cohortem:
Libera non ultra parva quam nocte juventus,
Consulite extremis angusto in tempore rebus,
Vita brevis nulli superest, qui tempus in illa
Quaerendae sibi mortis habet: nec gloria leti
480 Inferior, juvenes, admoto occurrere fato.

466. ferr*i*, a. b. et in c pro varia lectione. 468. bello, *o* in membr. erasa, b. 469. cas*u*, *u* manu sec. in membr. erasa, b. 470. mi*l*ia, b. c. d. ut semper. 472. *umb*ra, a. b. c. d. 474. *tim*entem, c. 480. occurr*ite*, superne scriptum *vel occurrere*, a.

472. — *nam condidit atra Nox lucem dubiam.]* Friget et sordet hoc prae illa aliorum codicum lectione,

— *nam condidit* UMBRA
Nox lucem dubiam.

480. — *admoto occurrere fato.]* Non attingit ad loci sententiam vir magnus; quae mihi primum per vestigia sua indaganda erat, atque ea reperta, nox loci non sani emendatio sponte sua se obtulit. Vulteius dux, ipse senior, juvenes milites alloquitur; et ipse moriendi certus, ad societatem mortis illos hortatur,

Vita brevis nulli superest, qui tempus in illa
Quaerendae sibi mortis habet: nec gloria leti
Inferior, juvenes, admoto occurrere fato.

In hac oratione duo opposita sint, necesse est: id flagitat disjunctio *nec*, et comparatio *Inferior*. Nulli, inquit, quantumvis *seni*, parum vitae superest, (nota, brevis *superest*, non brevis *est*) cui in illa brevitate copia mortis sibi inferendae est: et par gloria *juvenis* est, si admoto et non effugiendo fato, sponte et obvius occurrat. In hac ergo laude pares sumus ego senex, et vos juvenes. Repone igitur,

— *nec gloria leti*
Inferior JUVENI EST, *admoto occurrere fato.*

Tum eandem sententiam variat et exaggerat in illis, quae sequuntur,

Digitized by Google

Omnibus incerto venturae tempore vitae
Par animi laus est, et quos speraveris annos
Perdere, et extremae momentum abrumpere lucis,
Accersas dum fata manu. non cogitur ullus
485 Velle mori. fuga nulla patet: stant undique nostris
Intenti cives jugulis. decernite letum,
Et metus hinc absit: cupias quodcunque necesse est.

483. arrumpere, c. 484. Arcessas, a. b. c. 487. metus *omnis* abest, a. b. c. d.

Omnibus incerto venturae tempore vitae,
Par animi laus est, et quos speraveris annos
Perdere: et extremae momentum abrumpere lucis,
Arcessas dum fata manu.

Et in his itidem duo sunt opposita: quod satis indicat comparatio *Par laus*. Cum et seni et juveni tempus vitae incertum sit; par animi et fortitudinis laus est, seu juvenis mortem sibi consciscens multos vitae annos perdat, sive senex jam morti proximus ultimum lucis momentum sibi abrumpat, dummodo manu sibi mortem acceleret. Rursus ergo vos juvenes et ipse senex pares sumus. Profecto in tenebris hic micabant interpretes.

484. — *non cogitur ullus Velle mori. fuga nulla patet:]* Neque hic acumen interpretum pervenit ad poetae mentem. *Non cogitur ullus velle mori.* Non igitur jubeo hoc, non impero, ut manu mortem arcessatis: res ipsa satis hoc praestat: *fuga enim nulla patet;* aut vestra manu aut hostili, certe vobis moriendum est.

485. — *stant undique nostris Intenti cives jugulis.]* Apage illud *cives:* veniam potius promitteret illud vocabulum, quam, quod hic quaerit Vulteius, desperationem adferret. Corrige certissime:

— *stant undique nostris*
Intenti CILICES *jugulis.*

Cilices, piratae illi et latrones, sanguinis avidissimi: qui in classe hostili erant. Supra 449.

At Pompeianus *fraudes innectere ponto*
Antiqua parat arte Cilix, —

Sed hanc emendationem a Rutgersio praereptam esse postea deprehendi. Ipsum vide Var. Lect. I, 12.

487. — *metus hinc absit:]* Codices Bersmanni, Pulmanni, nostrique omnes habent, *Et metus omnis abit*, vel *abest*. posterior vera lectio est:

— *decernite letum,*
Et metus OMNIS ABEST.

Noster ubique est Stoicus, quorum illud κέκριται notissimum est. Κρίνετε, decernite, statuite mori; et ipso illo decreto metus omnis evanescit: pro metu subit audax et obstinata desperatio. Dido apud Virgilium, Aeneid. IV, 474.

Ergo ubi concepit furias evicta dolore,
Decrevitque mori: *tempus secum ipsa modumque*
Exigit, et moestam dictis aggressa sororem,
Consilium vultu tegit, ac spem fronte serenat.

Digitized by Google

Non tamen in caeca bellorum nube cadendum est,
Ut cum permistis acies sua tela tenebris
490 Involvunt. conserta jacent cum corpora campo,
In medium mors omnis abit, perit obruta virtus.
Nos in conspicua sociis hostique carina
Constituere Dei. praebebunt aequora testes,
Praebebunt terrae, summis dabit insula saxis.
495 Spectabunt geminae diverso e littore partes.
Nescio quod nostris magnum et memorabile fatis
Exemplum, Fortuna, paras. quaecunque per aevum
Exhibuit monimenta fides, servataque ferro

489. *A*(u)t cum, a. *Nam* cum, b, sed *N* et *m* in membr. erasa man. sec. *Aut*, c. d. permi*xtos*, a. 490. Involvunt, *u* man. sec. in membr. erasa b. con*ferta*, d. et pro varia lectione in a. 495. diverso, sine *e*, a. b. c. partes, et *vel puppes* man. sec. b. 498. ex*i*buit, b. et addita *h* man. alia in c. bello, man. sec. in membr. erasa, b.

Ceterum *abest* ideo praetulimus τῷ *abit*, quia mox *v*. 491. redit hoc, et in caesura quoque: *In medium mors omnis abit.* Ovid. Amor. I, 10. [9.]

Nunc timor omnis abest, *animique resanuit error.*

[Virgil. Aen. XI, 14.]

Maxima res effecta, viri, timor omnis abesto.

Iterum Naso Trist. I, 1. [43.]

Carminibus metus omnis abest.

488. — *cadendum est.]* Aufer illud EST, quia et prior versus sic exibat, *necesse est.*

489. *Ut cum]* Ita restituimus, pro *Aut*. GROTIUS. Recte Grotius, ut ex Bersmanni codice patet. Sed quid illud, quaeso, *sua tela involvunt acies permistis tenebris?* Non capio illud *permistis:* quo enim modo, quave re? Codex quidam *permixtas acies.* Melius profecto: hoc est pugna permistas. Sed adhuc aqua haeret, illo enim tempore non *telis*, pilis, sagittis, quae tenebras inducunt, res geritur; sed ad gladios perventum est. Restitue,

Ut cum COMMISSAS *acies sua tela tenebris*
Involvunt.

Propertius IV, 4. [59.]

Commissas *acies ego possum solvere.*

Noster VII, 519.

— *stetit omne coactum*
Circa pila *nefas: ferro subtexitur aer*
Noxque super campos telis conserta pependit.

490. — *conserta jacent cum corpora campo,]* Placet aliorum codicum lectio, CONFERTA.

Militiae pietas, transibit nostra juventus.
500 Namque suis pro te gladiis incumbere, Caesar,
Esse parum scimus: sed non majora supersunt
Obsessis, tanti quae pignora demus amoris.
Abscindit nostrae multum sors invida laudi,
Quod non cum senibus capti natisque tenemur.
505 Indomitos sciat esse viros, timeatque furentes,
Et morti faciles animos: et gaudeat hostis
Non plures haesisse rates. tentare parabunt
Foederibus, turpique volent corrumpere vita.
O utinam, quo plus habeat mors unica famae,
510 Promittant veniam, jubeant sperare salutem:
Ne nos, cum calido fodiemus viscera ferro,
Desperasse putent. magna virtute merendum est,
Caesar ut, amissis inter tot millia paucis,
Hoc damnum clademque vocet. dent fata recessum,
515 Emittantque licet, vitare instantia nolim.
Projeci vitam, comites, totusque futurae
Mortis agor stimulis: furor est. agnoscere solis
Permissum est, quos jam tangit vicinia fati,
Victurosque dei celant, ut vivere durent,
520 Felix esse mori. Sic cunctas sustulit ardor

503. Abscidit, a. b., man. sec.; c. d. *f*ors, d. laudi*s*, a. et in b. man. sec. 507. te*mp*tare, ut semper, a. 508. vita, post *a* aliquid deletum est, c. 509. quo*d*, c. 511. *v*alido, d. et pro varia lectione in b. man. sec. 514. voces, a. 515. *Per*mittantque, c. 518. vicinia *mortis*, a. *le*ti c. d. 520. *sus*tulit, a. extulit, sed *ext* man. sec. *in* membr. erasa, b.

511. *Ne nos, cum calido fodiemus viscera ferro,]* Meliores codices FODIAMUS.

520. — *Sic cunctas sustulit ardor Nobilium mentes juvenum:]* Sic codices: sed legendum esse MOBILIUM, probat quod mox sequitur. Ante haec verba horrebant mortem et diem cra-

Digitized by Google

Nobilium mentes juvenum: cum sidera coeli,
Ante ducis voces, oculis humentibus omnes
Aspicerent, flexoque Ursae temone paverent:
Iidem, cum fortes animos praecepta subissent,
525 Optavere diem. nec segnis mergere ponto
Tunc erat astra polus: nam sol Ledaea tenebat
Sidera, vicino cum lux altissima Cancro est:
Nox tum Thessalicas urgebat parva sagittas.
Detegit orta dies stantes in rupibus Istros,
530 Pugnacesque mari Graia cum classe Liburnos.
Tentavere prius suspenso vincere bello
Foederibus, fieret captis si dulcior ipsa
Mortis vita mora. stabat devota juventus,
Damnata jam luce ferox, securaque pugnae
535 Promisso sibi fine manu: nullique tumultus
Excussere viris mentes ad summa paratas:

524. Idem, a. b. d. 525. vergere, b. 528. Nox cum, a. b. c. d. 532. captis fieret, sed ante *f* aliquid deletum est, c.

stinum, postea exoptabant. Sane cur *nobiles* dicuntur rusticorum filii, non video. Ovid. Heroid. VI, [109.] *Mobilis, Aesonide, vernaque incertior aura.* BENTL.

„Diu mendum insedit in omnibus Lucani codicibus. Tu lege ipsius loci sententiaeque ductu, *Mobilium* juvenum; ut Virgil. Georg. III, 165.

Dum faciles animi *juvenum*, dum *mobilis* aetas.

Nam quod apud Horatium est, Carm. IV, 12, 15. *Juvenum nobilium cliens*, ubi plura afferemus, non ejusmodi est, ut receptae Lucani lectioni patrocinetur; aut ut cohorti Opiterginae juventutis id epitheton indedonandum sit." Bentl. ad Horat. Carm. I, 1, 7. WEB.

525. — *nec segnis mergere ponto Tunc erat astra polus:]* Plerique omnes codices VERGERE.

528. *Nox tum Thessalicas urgebat parva sagittas.]* Omnes ubique codices CUM. Recte: continuatur oratio, *cum lux*, etc. *cum nox*, etc. *Thessalicas sagittas*, Chironem Thessalum intellige, Sagittarium scilicet signum Geminis oppositum. Noster VI, 393.

Teque, senex Chiron, gelido qui sidere fulgens
Impetis Haemonio *majorem Scorpion* arcu.

Ovid. Metam. II, 81.

Haemoniosque arcus *violentique ora Leonis.*

Digitized by Google

Innumerasque simul pauci terraque marique
Sustinuere manus: tanta est fiducia mortis.
Utque satis bello visum est fluxisse cruoris,
540 Versus ab hoste furor: primus dux ipse carinae
Vulteius jugulo poscens jam fata retecto,
Ecquis, ait, juvenum est, cujus sit dextra cruore
Digna meo, certaque fide per vulnera nostra
Testetur se velle mori? nec plura locuto
545 Viscera non unus jamdudum transigit ensis.
Collaudat cunctos: sed eum, cui vulnera prima
Debebat, grato moriens interficit ictu.
Concurrunt alii, totumque in partibus unis
Bellorum fecere nefas. sic semine Cadmi
550 Emicuit Dircaea cohors, ceciditque suorum
Vulneribus, dirum Thebanis fratribus omen.
Phasidos et campis insomni dente creati
Terrigenae, missa magicis e cantibus ira,
Cognato tantos implerunt sanguine sulcos:
555 Ipsaque, inexpertis quod primum fecerat herbis,
Expavit Medea nefas. sic mutua pacti
Fata cadunt juvenes: minimumque in morte virorum
Mors virtutis habet: pariter sternuntque caduntque

537. Innumerasque *manus*, c. 538. Sustin. *simul*, c. 541. poscens *sibi* fata, c. 542. Et quis, b. d. sed *t* man. sec. in membr. erasa b. *Hec* quis, supra scriptum *ecce*, c. 544. *non* plura, c. 545. Transiit, d. 552. creati, *rea* in membr. erasa, ad marginem man. alia *creati*, c. 554. *co*mplerunt, c. 557. *nimi*umque. b. c. sed in membr. erasa b. man. sec.

554. — *tantos implerunt sanguine sulcos:]* Manuscripti *tantos, totos.* An legendum LATOS? Juvenalis 1, 157.

Et latum *media* sulcum *deduxit arena.*

Digitized by Google

Vulnere letali: nec quemquam dextra fefellit,
560 Cum feriat moriente manu. nec vulnus adactis
Debetur gladiis: percussum est pectore ferrum,
Et jugulis pressere manum. cum sorte cruenta
Fratribus incurrant fratres, natusque parenti:
Haud trepidante tamen toto cum pondere dextra
565 Exegere enses. pietas ferientibus una,
Non repetisse, fuit. jam latis viscera lapsa
Semianimes traxere foris, multumque cruoris
Infudere mari. despectam cernere lucem,
Victoresque suos vultu spectare superbo,
570 Et mortem sentire juvat. jam strage cruenta
Conspicitur cumulata ratis: bustisque remittunt
Corpora victores, ducibus mirantibus, ulli
Esse ducem tanti. nullam majore locuta est
Ore ratem, totum discurrens fama per orbem.
575 Non tamen ignavae post haec exempla virorum
Percipient gentes, quam sit non ardua virtus
Servitium fugisse manu. sed regna timentur
Ob ferrum, et saevis libertas uritur armis:
Ignoratque datos, ne quisquam serviat, enses.
580 Mors, utinam pavidos vitae subducere nolles,
Sed virtus te sola daret! Non segnior illo

559. Vunere; in margine man. alia *volnere*, c. 562. jugulo, a. d. manus, a. *sic*, a. c. 563. incurr*u*nt, a. b. c. d. 564. *H*aut, *H* seriore tempore addita est, c. 565. Exegere *nefas*, a. 568. despectam, *n* in membr. erasa, b. 572. illi, *u* man. sec. a. 575. N*e*c tamen, a. 576. Percipi*u*nt, c. 578. sevis, correcta *v* ex *n*, c. 581. *N*on, *N* man. sec. b.

563. — *cum sorte cruenta Fratribus incurrant fratres,]* Ita scribendum, non *incurrunt*. GROTIUS. Recte se habet *incurrunt*; ut plerique omnes praeferunt codices.

Digitized by Google

Marte fuit, qui tunc Libycis exarsit in arvis.
Namque rates audax Lilybaeo littore solvit
Curio: nec forti velis aquilone recepto,
585 Inter semirutas magnae Carthaginis arces,
Et Clupeam, tenuit stationis littora notae:
Primaque castra locat cano procul aequore, qua se
Bagrada lentus agit siccae sulcator arenae.
Inde petit tumulos, exesasque undique rupes,
590 Antaei quae regna vocat non vana vetustas.
Nominis antiqui cupientem noscere causas,
Cognita per multos docuit rudis incola patres.
Nondum post genitos Tellus effeta gigantes,
Terribilem Libycis partum concepit in antris.
595 Nec tam justa fuit terrarum gloria Typhon,

582. tum, d. 586. Clypeam, a. Clipeam, b. c. d. sed *i* in membr. erasa b. man. sec. 588. Bagrada et in margine man. alia *Bragada*, c. 589. petit, *t* correcta est, in margine man. alia *petit*, c. 590. Anthei, ut semper. a. c. d. quas, d. 593. gigantas, a. b. superne scriptum *vel e* in b. man. sec.

588. — *siccae sulcator arenae.]* Silii locum VI, 140. e nostro haustum esse, et *siccas, arentes arenas* dici, pluribus exemplis docet Bentl. ad Horat. Carm. III, 4, 51. WEB.

593. *Nondum post genitos Tellus effeta gigantes, Terribilem Libycis partum concepit in antris.]* Quid sibi vult illud CONCEPIT? An post haec Curioni narrata conceptus est Antaeus? Corrige,

Nondum post genitos Tellus effeta Gigantes
Terribilem Libycis partum CONCEPERAT *antris.*

Sic ubique: Virgilius fine quarti, [698.]

Nondum *illi flavum Proserpina vertice crinem*
Abstulerat, *Stygioque caput* damnaverat *Orco.*

595. *Nec tam justa fuit terrarum gloria Typhon.]* Vide modo orationis filum. TELLUS *concepit partum in Libya*, nec Typhon tam justa erat TERRARUM gloria, et PEPERCIT caelo, quod etc. Cernis, ut illud *terrarum* et sensum et dictionem labefactet. Quis *terras* dixit, cum unam Terram matrem intellexerit? si *terrarum;* utique dicendum erat, *pepercerunt*, non *pepercit.* Sed et repetitio illa *telluris, terrarum*, et otiosa et odiosa est. Fallor, an unius verbi admonitu veram lectionem erui.

Digitized by Google

Aut Tityos, Briareusque ferox: coeloque pepercit,
Quod non Phlegraeis Antaeum sustulit arvis.
Hoc quoque tam vastas cumulavit munere vires
Terra sui fetus, quod, cum tetigere parentem,
600 Jam defecta vigent renovato robore membra.
Haec illi spelunca domus: latuisse sub alta
Rupe ferunt, epulas raptos habuisse leones.
Ad somnos non terga ferae praebere cubile
Assuerunt, non silva torum: viresque resumit
605 In nuda tellure jacens. periere coloni
Arvorum Libyes: pereunt, quos appulit aequor,
Auxilioque diu virtus non usa cadendi,
Terrae spernit opes: invictus robore cunctis,
Quamvis staret, erat. tandem vulgata cruenti
610 Fama mali, terras monstris aequorque levantem,
Magnanimum Alciden Libycas excivit in oras.
Ille Cleonaei projecit terga leonis,

596. T*hi*tius, *ius* in membr. erasa, ad marginem man. alia Ti*ci*us, c. Ti*cios*, d. *que* additum est man. sec. a. 598. t*um*, d. 599. *cum* man. sec. in membr. erasa, b. 600. defo*e*ta, et man. sec. *defecta*, a. m*en*bra, ut semper, a. 603. cubil*e*, a; et pro varia lectione in b. man. sec. 604. ad*s*uerunt, a. b. resump*s*it, a. 606. Lib*ie*, d. ad*p*ulit, a. 609. Quam*quam*, et in margine man. alia *quamvis*, c. 611. Alcid*em*, a. Alc*y*den, b. 612. Cl*i*onei, b. sed *li* man. sec. in membr. erasa; Cleonei, sed *Cle* in membr. erasa, ad marginem man. alia *Cleonei*, c.

Tellus, ait, *post genitos gigantes* EFFETA: ergo illos, numerosam turbam, *fecunda* peperit, Antaeum *effeta*, et solum. Scribo ergo,

Nondum post genitos Tellus
effeta *Gigantes*,
Terribilem Libycis partum
conceperat antris:
Nec tam justa fuit FECUNDAE
gloria Typhon,
Aut Tityos, Briareusque ferox.

Typhon cum ceteris fratribus non tam justa fuit gloria Telluris *fecundae*, quam Antaeus *effetae*. Noster III, 603.

Stant gemini fratres fecundae
gloria matris.

Antaeus Libyci. perfudit membra liquore
Hospes, Olympiacae servato more palaestrae.
615 Ille parum fidens pedibus contingere matrem,
Auxilium membris calidas infudit arenas.
Conseruere manus, et multo brachia nexu.
Colla diu gravibus frustra tentata lacertis:
Immotumque caput fixa cum fronte tenetur.
620 Miranturque habuisse parem. nec viribus uti
Alcides primo voluit certamine totis,
Exhausitque virum: quod creber anhelitus illi
Prodidit, et gelidus fesso de corpore sudor.
Tunc cervix lassata quati: tunc pectore pectus
625 Urgeri: tunc obliqua percussa labare
Crura manu. jam terga viri cedentia victor
Alligat, et medium compressis ilibus arctat:
Inguinaque insertis pedibus distendit, et omnem
Explicuit per membra virum. rapit arida tellus
630 Sudorem: calido complentur sanguine venae.
Intumuere tori, totosque indurait artus,
Herculeosque novo laxavit corpore nodos.
Constitit Alcides stupefactus robore tanto:

613. Libic*i*, sed *i* man. sec. in membr. erasa b; et pro varia lectione in d. man. alia. perfu*n*dit, b. 615. conting. *terram*, c. 616. infudit, a. 618. Frustra gravibus, c. 620. Mir*a*turque, a. et supra *r* scripta *n* man. alia. b. 622. Exhau*x*itque, a. Ex*a*usitque, c. anelitus, a. c. ita semper. 623. fesso gelidus, a. 624. Tu*m*, d. la*x*ata, c. tu*m*, d. 625. labar*i*, d. 632. nodos, supra scriptum *vires*, sine nota. c.

614. — *Olympiacae servato more palaestrae.*] Laudat hunc locum Bentl. ad Horat. Carm. 1, 10, 4. ubi *morem palaestrae* explicat, pluribus locis allatis. Web.

623. — *et gelidus fesso de corpore sudor.*] Suavior est in codicibus nostris compositio, *Prodidit* et fesso gelidus *de corpore sudor.*

Digitized by Google

Nec sic Inachiis, quamvis rudis esset, in undis
635 Defectam timuit reparatis anguibus hydram;
Conflixere pares, telluris viribus ille,
Ille suis. nunquam saevae sperare novercae
Plus licuit. videt exhaustos sudoribus artus,
Cervicemque viri siccam, cum ferret Olympum.
640 Utque iterum fessis injecit brachia membris,
Non expectatis Antaeus viribus hostis,
Sponte cadit, majorque accepto robore surgit.
Quisquis inest terris, in fessos spiritus artus
Egeritur: tellusque viro luctante laborat.
645 Ut tandem auxilium tactae prodesse parentis
Alcides sensit: standum est tibi, dixit, et ultra
Non credere solo, sternique vetabere terra:
Haerebis pressis intra mea pectora membris:
Huc, Antaee, cades. sic fatus, sustulit alte
650 Nitentem in terras juvenem. morientis in artus
Non potuit nati Tellus summittere vires.

634. *Acheis*, a. *Aecheis*, et man. alia in margine *Inachiis*, c. undis, supra scriptum *arvis* sine nota, c. 635. Desectam, a. c. d. *y*dram, a. b. c. 641. An*the*us, ut semper, b. d. 647. *con*dere, et in margine man. alia *credem*, c. 648. inter, c. 651. *per*mittere, a. b.

634. *Nec sic Inachiis, quamvis rudis esset, in undis]* Codex Academiae et Coll. Caii IN ARVIS: quod omnino recipiendum. sic *Rheni arvis, Nili arvis.*

635. *Defectam timuit reparatis anguibus hydram.]* Immo longe melius duo ex nostris DESECTAM. Res notissima. [Hor. od. IV, 4, 61.]

Non Hydra secto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem.

643. *Quisquis inest terris, in fessos spiritus artus Egeritur:]* Alii codices ERIGITUR; codex Academiae pro varia lectione INGERITUR. Hoc recipimus. Noster V, 165.

— *numen,*
Quod non exhaustae per tot jam secula rupis
Spiritus ingessit *vati:*

647. — *sternique vetabere terra:]* Placet aliorum codicum lectio TERRAE.

Digitized by Google

Alcides medium tenuit. jam pectora pigro
Stricta gelu, terrisque diu non credidit hostem.
Hinc aevi veteris custos, famosa vetustas,
655 Miratrixque sui signavit nomine terras.
Sed majora dedit cognomina collibus istis,
Poenum qui Latiis revocavit ab arcibus hostem,
Scipio. nam sedes Libyca tellure potito
Haec fuit. en veteris cernis vestigia valli.
660 Romana hos primum tenuit victoria campos.
Curio laetatus, tamquam fortuna locorum
Bella gerat, servetque ducum sibi fata priorum,
Felici non fausta loco tentoria ponens,
Indulsit castris, et collibus abstulit omen,
665 Sollicitatque feros non aequis viribus hostes.
Omnis Romanis quae cesserat Africa signis,
Tunc Vari sub jure fuit: qui robore quanquam
Confisus Latio, regis tamen undique vires
Excivit Libycae gentis, extremaque mundi
670 Signa suum comitata Jubam. non fusior ulli
Terra fuit domino: qua sunt longissima regna,
Cardine ab occiduo vicinus Gadibus Atlas
Terminat: a medio, confinis Syrtibus Ammon.

657. Laciis, *iis* in membr. erasa. d. 659. verteris, d. *u* 666. cesserit, a. A*ff*rica, ut semper, b. c. 670. illi, *u* man. sec. a. 671. regna, *a* man. sec. in membr. erasa, b; in a. pro varia lectione *regni*. 672. 673.

669. *Excivit Libycae gentis.*] Omnino rectius *Libyae gentes*, ut sit expositio ejus quod praecessit, *regis vires*, et cohaereat cum sequentibus. Grotius. Recte hoc Grotius, modo pro *Libycae*, quod nostri omnes habent, *Libycas* dedisset, non *Libyae*,

— *regis tamen undique vires Excivit*, Libycas gentes.

Virgil. IV, 320.

Te propter Libycae gentes, *Numidumque tyranni*
Odere.

Digitized by Google

At qua lata jacet, vasti plaga fervida regni
675 Distinet Oceanum, zonaeque exusta calentis
Sufficiunt spatio, populi tot castra sequuntur,
Autololes, Numidaeque vagi, semperque paratus
Inculto Gaetulus equo: tum concolor Indo
Maurus, inops Nasamon, misti Garamante perusto
680 Marmaridae volucres, aequaturusque sagittas
Medorum, tremulum cum torsit missile, Mazax:
Et gens, quae nudo residens Massylia dorso
Ora levi flectit fraenorum nescia virga:
Et solitus vacuis errare mapalibus Afer
685 Venator, ferrique simul fiducia non est,
Vestibus iratos laxis operire leones.
Nec solum studiis civilibus arma parabat,
Privatae sed bella dabat Juba concitus irae.
Hunc quoque, quo superos humanaque polluit anno,

a

674. in margine, addita *b* nota, scripti sunt. lat*e*, *a* man. sec. a. jac*ent*, superne scriptum *regna*, c. regni, et man. alia *vel mundi*, d. 675. D*e*tinet, a. D*i*stinet, sed *i* man. sec. b. D*e*stinet, c. d. sed *i* in membr. erasa c. Occeanum, ut semper, a. 677. Autolo*p*es, a. b. c. d. sed *u* in membr. erasa, b. paratus et *vel perustus*, a. 678. Inculto, post *o* aliquid deletum est, c. Getulus, b. 679. Gr*a*mante, a. Gar*m*ante, c. et in margine man. alia *Garamante*. para*t*o, et man. sec. *perusto*, a. 682. Massalia, b. c. sed *a* man. sec. in b. 683. fr*e*norum, ut semper, a. 684. map*p*alibus, d.

688. *Privatae sed bella dabat Juba concitus irae.*] Valerius Maximus VI, 5, 3. *Rutilius tribunus plebis, praeter communem consternationem, privata etiam ira accensus.* An hic legendum?

Nec solum studiis COMMUNIBUS *arma parabat,*
Privatae sed VELA *dabat Juba concitus irae.*

Vela dabat. Plinius Epist. VI, 33. Dedimus vela *indignationi*, *dedimus* irae, *dedimus dolori: et in amplissima causa, quasi magno mari, pluribus ventis sumus usi.* Lactantius VI, 18. *Irae fraena permittere.*

Digitized by Google

690 Lege Tribunitia solio depellere avorum'
Curio tentarat, Libyamque auferre tyranno,
Dum regnum te, Roma, facit. memor ille doloris
Hoc bellum sceptri fructum putat esse retenti.
Hac igitur regis trepidat jam Curio fama,
695 Et quod Caesareis nunquam devota juventus
Illa nimis castris, nec Rheni miles in undis
Exploratus erat, Corfini captus in arce,
Infidusque novis ducibus, dubiusque priori,
Fas utrumque putat. sed postquam languida segni
700 Cernit cuncta metu, nocturnaque munia valli
Desolata fuga, trepida sic mente profatur:
Audendo magnus tegitur timor: arma [illegible]essam
Ipse prior: campum miles descendat in aequum,
Dum meus est: varian[illegible] semper dant otia mentem.
705 Eripe consilium pugna: cum dira voluntas
Ense subit prenso, galeae texere pudorem,
Quis conferre duces meminit? quis pendere causas?

691. tiranno, ut semper, c. 693. sceptri, *sc* in membran. erasa, b. 696. Reni, ut semper, a. 698. priore, c. 699. *Fas utr.* man. sec. b. cernit Segni. c. 703. miles campum, a. 704. meus, et superne scriptum *vel metus*, sed v. *metus* linea obductum est, a. 705. pugna, *a* man. sec. in membr. erasa, b. voluptas, a. b. d. sed *p* in membr. erasa b, man. sec. 706. presso, a. b. c. d. galeae, *ae* man. sec. in membr. erasa, b.

705. *Eripe consilium pugna:]* Multis mendis laborat locus: quae sic corrigo,

PRAERIPE *consilium.* PUGNAE
cum dira VOLUPTAS
Ense subit PRESSO.

Illud PRAERIPE ex conjectura reposui, cetera ex aliis codicibus sunt. Cicero de Officiis I, 30. *Callidum Hannibalem accepimus; facile celare, tacere, dissimulare, insidiari,* PRAERIPERE *hostium* CONSILIA. Seneca De Benef. II, 6. *Gladius idem et stringit et transforat: quam* presso *articulo venerit, refert.* Noster VII, 562.

Quae presso *tremat* ense *manus.*

Ceterum alii codices, ET *galeae texere pudorem*, quod ipsa sententia postulat.

Digitized by Google

Qua stetit, inde favet: veluti fatalis arenae
Muneribus non ira vetus concurrere cogit
710 Productos: odere pares. Sic fatus, apertis
Instruxit campis acies: quem blanda futuris
Deceptura malis belli fortuna recepit.
Nam pepulit Varum campo, nudataque foeda
Terga fuga, donec vetuerunt castra, cecidit.
715 Tristia sed postquam superati proelia Vari
Sunt audita Jubae: laetus quod gloria belli
Sit rebus servata suis, rapit agmina furtim,
Obscuratque suam per jussa silentia famam;
Hoc solum metuens incautus ab hoste timeri.
720 Mittitur, exigua qui proelia prima lacessat,
Eliciatque manu, Numidis a rege secundus,
Ut sibi commissi simulator Sabbura belli:
Ipse cava regni vires in valle retentat:

710. Product*us*, d. odere, *od* in membr. erasa e; in margine man. alia *odere*. 711. b*ell*a, et in margine *blanda*, a. 714. vetuer*e*, d. 716. gloria *rebus*, c. 717. Sit serv. suis *belli* rap. c. furtim, *r* correcta est, in margine man. alia *furtim*, c. 719. incauto, a. man. sec.; b. d. inca*n*to, c. ab, uncis inclusum, et superne scriptum est *ex* man. sec. a. videri, et man. sec. *timeri*, a. quod in c quoque, correcta tamen *t*. 721. Elic*i*atque, *i* ex *e* correcta est, a. 722. Sa*b*ura, a. b. Sa*b*u*l*a, et in margine man. alia *Subura*, c.

719. — *metuens incautus ab hoste timeri.*] Omnes, quod sciam, ubique codices INCAUTO *hoste*. *Incautus* idem est quod *improvidus*, non, uti vir magnus interpretatur, *improvisus*. Silius tamen, II, 99.

— *linquentem regia cervum*
Vulnere sistebat: rueretque inopina sub ictu
Ante fera incauto, *quam sibila poneret arcus.*

Sed sine dubio locus mendosus est. Qui enim *cervus fugiens* et aversus caveret ictum? Repone:

— *rueretque inopina sub ictu*
Ante fera, intentus *quam sibila poneret arcus.*

Codex Academicus rem nobis restituit,

Hoc solum metuens INCAUTO EX *hoste*, *timeri.*

Incautus etiam passive. v, 500. *incautis tenebris.* metuo abs te, de te, ex te. Ovid. Heroid. XVII. [173.] *De facie metuit, vitae confidit.*

Digitized by Google

Aspidas ut Pharias cauda solertior hostis
725 Ludit, et iratas incerta provocat umbra:
Obliquansque caput vanas serpentis in auras,
Effusae tuto comprendit guttura morsu

724. sollertior, a. b. d. *F*arias, ut semper, d. 726. Obliq*uus*que, a; et b inserta *s* man. alia. Oblic*um*que, *u* in membr. erasa, superne scriptum *uans*, et in margine man. alia *obliquum vel obliquans*, c. Obliqu*um*que, d. 727. Effus*e*, *e* man. sec. in membr. erasa, b. Effus*i*, c.

726. — *vanas serpentis in auras Effusae*] Quid illud est, *serpentis effusae in auras?* quid porro *vanas auras?* Haec numerosa sua suavitate fallunt ducuntque lectorem: ubi vero excusseris, nihil intus habent. Codex Academiae pro varia lectione *in* IRAS. Deus plane ex machina: sed tum aliud restabit ex ingenio corrigendum: praecesserat enim in priore versu,

— *et* iratas *incerta provocat umbra.*

Jam vero *iratas*, et mox *in iras* ne tolerabile quidem. Quid vero est *provocare iratas?* Provocare ad iram, scio quid sit: at iam *iratas* quid opus erat *provocare?* Egregia haec descriptio, duplici mendo commaculatur:

Aspidas ut Pharias cauda solertior hostis
Ludit, et iratas *incerta provocat umbra:*
Obliquansque *caput vanas serpentis in auras*
Effusae tuto comprendit guttura morsu.

Quorum utrumque sic legendo tolles,

Aspidas ut Pharias cauda solertior hostis
Ludit, et IRRITANS *incerta provocat umbra,*
OBLIQUUSQUE *caput, vanas serpentis in* IRAS
Effusae toto comprendit guttura morsu.

Ludit aspidas ichneumon *cauda*, quam scilicet longam habet, ac squamis obtectam, nec serpentis dentibus obnoxiam. Vide Oppian. Cyneg. III, 435. Jam vero IRRITANS quanto melius, quam *iratas?* et quis dubitet sic dedisse Lucanum? Ovid. Metam. VIII, 418.

Vulneris auctor adest, hostemque irritat ad iram.

OBLIQUUSQUE *caput* complures codices habent, non *Obliquans*. Illud vero recipimus, cum ob Hellenismum, tum quia per totam pugnam obliquo capite est ichneumon; ut Plinius [8, 24. al. 26.] Grotio hic citatus, *Donec* obliquo capite *speculatus invadat in fauces.* Postremo, illud extra omnem aleam est, *serpentis effusae in vanas* IRAS. Statius VII, 322.

— *stetit audaces* effusus in iras
Conseruitque manus.

Val. Flaccus VII, 34.

— *inque ipsa morantis*
Prosilit ora viri, talique effunditur ira.

Idem *vanas iras* firmat VIII, 374.

Abscessit tandem, vanaque *recedit ab* ira.

Digitized by Google

Letiferam citra saniem: tunc irrita pestis
Exprimitur, fauces que fluunt pereunte veneno.
730 Fraudibus eventum dederat fortuna: feroxque
Non exploratis occulti viribus hostis,
Curio nocturnum castris erumpere cogit,
Ignotisque equitem late decurrere campis.
Ipse sub Aurorae primos excedere motus
735 Signa jubet castris, multum frustraque rogatus,
Ut Libycas metuat fraudes, infectaque semper
Punica bella dolis. leti fortuna propinqui
Tradiderat fatis juvenem: bellumque trahebat
Auctorem civile suum. super ardua ducit
740 Saxa, super cautes abrupto limite signa.
Cum procul e summis conspecti collibus hostes:
Fraude sua cessere parum, dum colle relicto
Effusam patulis aciem committeret arvis.

728. *famem*, b. postis, correcta *o* ex *e*, c. 733. *campis* dec. c. *discurrere*, a. *late*, c. 734. Ipse*que*, c. 735. frustra*que*, *que* man. alia, d. 740. *mil*ite, et man. sec. *vel limite*, b. 741. e, post *e* aliquid deletum est, c. conspe*xus*, a. conspe*xit*, b. c. d. *xit* tamen man. sec. in membr. erasa, b.

733. — *late decurrere campis.]* Codices meliores magno numero DISCURRERE. Sine dubio recte, vel ob illud *late*. *Equitem discurrere;* uti I, 476.

Barbaricas saevi discurrere *Caesaris* alas.

737. — *leti fortuna propinqui Tradiderat fatis juvenem: bellumque trahebat Auctorem civile suum.]* Haec optime explicat, quod Noster habet VIII, 568.

Quod nisi fatorum *leges*, *intentaque jussu*
Ordinis aeterni miserae vicinia mortis
Damnatum leto traherent *ad littora Magnum.*

Ex his tamen vides *fortunae* nullum hic locum esse; cum omnia *fatis* et aeterni ordinis legibus obediant. Et quid est *fortuna leti?* Corrige,

— *Leti* SORS DURA *propinqui*
Tradiderat fatis juvenem.

741. *Cum procul e summis conspecti collibus hostes]* Locus mendi manifestus; redit enim versu insequente, *colle relicto*. Reponendum videtur, vel *montibus* in priore versu, vel in posteriore *monte*.

Digitized by Google

Ille fugam credens, simulatae nescius artis,
745 Ut victor, medios aciem projecit in agros.
Tunc primum patuere doli, Numidaeque fugaces
Undique completis clauserunt montibus agmen.
Obstupuit dux ipse simul, perituraque turba.
Non timidi petiere fugam, non proelia fortes:
750 Quippe ubi non sonipes motus clangore tubarum
Saxa quatit pulsu, rigidos vexantia fraenos
Ora terens, spargitque jubas, et surrigit aures,
Incertoque pedum pugnat non stare tumultu.
Fessa jacet cervix. fumant sudoribus armi:
755 Oraque projecta squalent arentia lingua:
Pectora rauca gemunt, quae creber anhelitus urget:
Et defecta gravis longe trahit ilia pulsus:
Siccaque sanguineis durescit spuma lupatis.
Jamque graduim neque verberibus, stimulisque coacti,
760 Nec, quamvis crebris jussi calcaribus, addunt.
Vulneribus coguntur equi, nec profuit ulli

745. mersos, a. medios, et man. sec. *vel mestos*, b. "*m̄sos*, et in margine man. alia "*nedios*, et *medios* man. alia, c. *de*jecit, b. c. 748. Obst*i*puit, d. 750. clangore, *g* ex *c* correcta; in margine man. alia *clangore*, c. 752. teren*t* et man. sec. *terens*, a. terens, sed *r* in membr. erasa, man. alia, b. su*b*rigit, a. b. c. d. 754. ar*tus*, a. b. c. d. 756. anelitus, ut semper, c. 758. lupacis, *c* ex *t* correcta, c. 760. qmvis, *a* ex lineola correcta est man. alia; in margine *quamvis* man. dem. c.

745. — *projecit in agros.*] Praeter illud DEJECIT, quod meliores codices praeferunt, iidem et MERSOS habent, non MEDIOS. Codex autem Academiae ACIES; quod eo placet, quia *aciem* jam v. 743. habuimus. Sic infra 777. *Ergo* acies tantae *parvum spissantur in orbem.*

760. *Nec, quamvis crebris jussi calcaribus,*] Lege, *clamoribus.*

Digitized by Google

Cornipedis rupisse moras: neque enim impetus illis
Incursusque fuit: tantum profertur ad hostes,
Et spatium jaculis oblato vulnere donat.
765 At vagus Afer equos ut primum emisit in agmen:
Tunc campi tremuere sono: terraque soluta,
Quantus Bistonio torquetur turbine pulvis,
Aera nube sua texit, traxitque tenebras.
Ut vero in pedites fatum miserabile belli
770 Incubuit: nullo dubii discrimine martis
Ancipites steterunt casus, sed tempora pugnae
Mors tenuit. neque enim licuit procurrere contra;
Et miscere manus. sic undique septa juventus
Comminus obliquis, et rectis eminus hastis
775 Obruitur: non vulneribus, nec sanguine, solum
Telorum nimbo peritura, et pondere ferri.
Ergo acies tantae parvum spissantur in orbem:
Ac, si quis metuens medium correpsit in agmen,
Vix impune suos inter convertitur enses,

762. *enim*, deest in a. ill*i*, b. *ull*i, c. 763. p*er*fertur, a. b. d. et in margine, c. man. alia host*em*, c. 769. *U*tque vero; puncta et in margine *Et* man. alia, c. 771. steter*ant*, a. b. c. d. sed *ant* man. sec. in membr. *N* erasa, b. casus *et*, c. 772. neque ; ad marginem *enim* man. alia, c. 774. Co*m*inus, b. 776. *ac* pond. a. c.

762. — *neque enim impetus illis Incursusque fuit:]* Pro *illis* aliquot codices habent ILLI. Lege ILLE vel ILLUD. Virgil. Aen. III, 173. *Nec sopor illud erat.* Quintil. Declam. IV. *Non fuit* illud *pugna, non acies.* Sic alii passim.

775. — *non vulneribus, nec sanguine, solum Telorum nimbo peritura, et pondere ferri.]* Prava distinctio plerasque editiones obsedit, tu interpunge,

— *nec sanguine solum*
Telorum nimbo peritura AC
pondere ferri.

Prior negat vulneribus perituros, quod falsum; cum *et cominus et eminus* obruantur: posterior affirmat, et vulneribus et ipso telorum pondere perituros. Omnes nostri *ac pondere.*

Digitized by Google

780 Densaturque globus, quantum pede prima relato
Constrinxit gyros acies. non arma movendi
Jam locus est pressis: stipataque membra teruntur.
Frangitur armatum colliso pectore pectus.
Non tam laeta tulit victor spectacula Maurus,
785 Quam fortuna dabat: fluvios non ille cruoris,
Membrorumque videt lapsum, et ferientia terram
Corpora: compressum turba stetit omne cadaver.
Excitet invisas dirae Carthaginis umbras
Inferiis fortuna novis: ferat ista cruentus
790 Annibal, et Poeni tam dira piacula manes.

781. constringit, d. 782. teruntur, superne scriptum *vel nen* i. e. vel tenentur, man. sec. b. 784. Maurus, *rus* in membr. erasa, c. 785. *dedit*, et man. sec. *dabat*, a. 786. lapsus sine *et*, a. 788. umbras, et man. sec. *vel arces*, b. 790. Hannibal, ut semper, a. c. d. Peni; *i* in membr. erasa, c.

780. *Densaturque globus,*] Citat Servius [ad Virgil. Aen. X, 43..] *denseturque*. Et ait similiter scriptum Virgilio: *Extremi addensent aciem*, secunda conjugatione, quod apertum ex Lucretio [I, 393.]:

— *quia se condenseat aer.*

quod autem idem Servius in fine hujus versus *relicto* habet pro *relato*, aut memoriae ipsius, aut exscribentis est culpa. GROTIUS. Festinabat vir magnus, cum haec scriberet: non enim citat Servius *Denseturque:* ad rem ipsam ille respicit, non ad verbum: neque omnino priorem hujus versus partem memorat, quin et *relecto* habet in postremis editionibus, in vetere Rob. Stephani *relato*. sed Priscianus p. 838. hunc Lucani locum ea gratia laudat, ut diversam conjugationem probet: nempe cum Virgilius dixerit *addensent* secundae conjugationis; Lucanum in prima dixisse, *Densaturque globus:* et sic codex Prisciani manuscriptus, et res ipsa firmat. Quare accipimus *Densaturque;* ut et omnes nostri codices jam praeferunt. Idem Priscianus *relato* habet, et cum Servio *Constringit;* ut et aliquot Lucani codices.

783. *Frangitur armatum colliso pectore pectus.*] Quid ad rem facit, *armatum?* Repone, ARTATUM, sive stipatum, compressum. Silius IV, 555.

— *nec* artatis *locus est in morte cadendi.*

et IX, 322.

— *nec morte peracta*
Artatis *cecidisse licet.*

Livius XXIII, 27. *Undique* pulsi *coire in orbem, et dum corporibus applicantur, armaque armis jungunt, in* artum *compulsi* (lege compressi,) *cum vix movendis armis spatii esset.*

Digitized by Google

Romanam, Superi, Libyca tellure ruinam
Pompejo prodesse nefas, votisque Senatus.
Africa nos potius vincat sibi. Curio fusas
Ut vidit campis acies, et cernere tantas
795 Permisit clades compressus sanguine pulvis,
Non tulit afflictis animam producere rebus,
Aut sperare fugam: ceciditque in strage suorum
Impiger ad letum, et fortis virtute coacta.
Quid nunc rostra tibi prosunt turbata, forumque,
800 Unde Tribunitia plebeius signifer arce
Arma dabas populis? quid prodita jura Senatus,
Et gener, atque socer bello concurrere jussi?
Ante jaces, quam dira duces Pharsalia confert,
Spectandumque tibi bellum civile negatum est.
805 Has Urbi miserae vestro de sanguine poenas
Ferre datis: luitis jugulo sic arma, potentes.
Felix Roma quidem, civesque habitura beatos,
Si libertatis superis tam cura placeret,
Quam vindicta placet. Libycas en nobile corpus
810 Pascit aves, nullo contectus Curio busto.
At tibi nos (quando non proderit ista silere,
A quibus omne aevi senium sua fama repellit,)
Digna damus, juvenis, meritae praeconia vitae.
Haud alium tanta civem tulit indole Roma,

791. Lybica, ut semper, b. 797. Aut superare, e. 799. Quis, c. 806. petentes, a. b. d. sed *e* in membr. erasa, man. sec. b. 808. superis, *s* man. sec. b. 810. contentus; *n* correcta est, in margine man. alia *contectus*.

813. *Digna damus, juvenis, meritae praeconia vitae.*] Illud *meritae* non placet. Lege, *Digna damus, juvenis,* PRIMAE *praeconia vitae.* de nequitia hujus Curionis vide Val. Maximum IX, 1, 6.

Digitized by Google

815 Aut cui plus leges deberent recta sequenti.
Perdita tunc Urbi nocuerunt secula, postquam
Ambitus, et luxus, et opum metuenda facultas
Transverso mentem dubiam torrente tulerunt.
Momentumque fuit mutatus Curio rerum,
820 Gallorum captus spoliis, et Caesaris auro.
Jus licet in jugulos nostros sibi fecerit ense
Sylla potens, Mariusque ferox, et Cinna cruentus:
Caesareaeque domus series; cui tanta potestas
Concessa est? emere omnes, hic vendidit Urbem.

822. *Su*lla, a. *Si*lla, c. *cru*entus, *ru* correctae sunt, in margine *cru*, c.

Explicit liber IV. Incipit V. a. *Explicit qudrtus lib. Luc. Incipit Quintus*, c. *Incipit liber quintus*, d.

817. — *et opum metuenda facultas]* Recte, ut contra lib. v, [527.]

— *o vitae tuta facultas Pauperis.*

Seneca Epist. 87, p. 381. *His effecturi, ut populus Romanus paupertatem; fundamentum et causam imperii sui requirat ac laudet; divitias autem suas timeat?*

Digitized by Google

M. ANNAEI LUCANI
PHARSALIAE
LIBER QUINTUS.

Sic alterna duces bellorum vulnera passos
In Macedum terras, miscens adversa secundis,
Servavit fortuna pares. jam sparserat Aemo
Bruma nives, gelidoque cadens Atlantis Olympo:
5 Instabatque dies, qui dat nova nomina fastis,
Quique colit primus ducentem tempora Janum.
Dum tamen emeriti remanet pars ultima juris,
Consul uterque vagos belli per munia Patres
Elicit Epirum, peregrina ac sordida sedes
10 Romanos cepit proceres: secretaque rerum
Hospes in externis audivit curia tectis.
Nam quis castra vocet tot strictas jure secures,
Tot fasces? docuit populos venerabilis ordo
Non Magni partes, sed Magnum in partibus esse.
15 Ut primum moestum tenuere silentia coetum,

2. Mace*t*um, a. Macedum, *du* in membr. erasa, b. 6. Quique, *que* insertum est. b. 8. patres, et in margine man. alia *patris*. c. 12. strictes, c.

15. *Ut primum moestum tenuere silentia coetum.] Primum, moestum, coetum*, satis invenuste, et ne Latinum quidem est.

Digitized by Google

Lentulus excelsa sublimis sede profatur:
Indole si dignum Latia, si sanguine prisco
Robur inest animis; non qua tellure coacti,
Quamque procul tectis captae sedeamus ab urbis
20 Cernite: sed vestrae faciem cognoscite turbae:
Cunctaque jussuri primum hoc decernite, Patres,
Quod regnis populisque liquet, nos esse Senatum.
Nam, vel Hyperboreae plaustrum glaciale sub Ursae,
Vel plaga qua torrens, claususque vaporibus axis
25 Nec patitur noctes, nec iniquos crescere soles,
Si fortuna ferat, rerum nos summa sequetur,
Imperiumque comes. Tarpeja sede perusta
Gallorum facibus, Veiosque habitante Camillo,
Illic Roma fuit. non unquam perdidit ordo
30 Mutato sua jura solo. moerentia tecta
Caesar habet, vacuasque domos, legesque silentes,
Clausaque justitio tristi fora, curia solos
Illa videt Patres, plena quos urbe fugavit.
Ordine de tanto quisquis non exulat, hic est.
35 Ignaros scelerum, longaque in pace quietos
Bellorum primus sparsit furor: omnia rursus
Membra loco redeunt. en totis viribus orbis
Hesperiam pensant superi: jacet hostis in undis

16. *e* celsa, a, d. 19. Quo*d*que, a. tectis, *is* in membr. erasa, b. 22. *v*os, c. 25. ini*q*uos, *i* superne scripta est, inter *n* et *q* aliquid deletum, c. 26. sequ*a*tur, d. 28. Ve*hi*osque, b. d, et in margine c, man. alia. 33. I*psa*, b. 34. ex*s*ulat, a. d.

Ovid. Metam. I, 206. *tenuere silentia cuncti*, non *cunctos*. et cur *moestum?* cum mox [*v.* 47.] *laeto clamore*. An forte

Ut primum SANCTI *tenuere silentia* COETUS.

Claudianus [in Stilich. II, 299.] *Sanctus coetus*.

16. *Lentulus excelsa sublimis sede profatur:]* Meliores codices, E CELSA, quod recipiendum.

Digitized by Google

Obrutus Illyricis: Libyae squalentibus arvis
40 Curio Caesarei cecidit pars magna Senatus.
Tollite signa, duces: fatorum impellite cursum:
Spem vestram praestate Deis: fortunaque tantos
Det vobis animos, quantos fugientibus hostem
Causa dabat. nostrum exhausto jus clauditur anno:
45 Vos, quorum finem non est sensura potestas,
Consulite in medium, Patres, Magnumque jubete
Esse ducem. laeto nomen clamore Senatus
Excipit: et Magno fatum patriaeque suumque
Imposuit. tunc in reges, populosque merentes
50 Sparsus honos, pelagique potens Phoebeia donis
Exornata Rhodos, gelidique inculta juventus
Taygeti: fama veteres laudantur Athenae:
Massiliaeque suae donatur libera Phocis.
Tunc Sadalen, fortemque Cotyn, fidumque per arma
55 Dejotarum, et gelidae dominum Rhasipolin orae
Collaudant: Libyamque jubent auctore Senatu
Sceptrifero parere Jubae. pro tristia fata!
Et tibi, non fidae gentis dignissime regno,
Fortunae, Ptolemaee, pudor, crimenque Deorum,

39. Lib*iesque*, b. 43. *n*obis, b. c. d. 44. ex*ac*to, b. c. d. sed *xac* in membr. erasa, b. cl*a*ditur, c. 51. Rodos, d. 52. Ta*u*geti, d. 53. Mass*a*lieque, c. *F*ocis, b. c. d. 54. Sadal*am*, a. b. c. C*hot*im, c. Cot*in*, d. 55. Rhas*c*ipolin, a. R*a*sipoli*m*, *si* et *m* in membr. erasa, b. R*ac*ipolin, c. *Thr*as*c*ipolin, d. 57. pro*h* *e*, *e* ex *o* correcta, c. 58. E*n* tibi, a. 59. Phtolomee, b. c.

44. — *nostrum exhausto jus clauditur anno:]* Manuscripti plerique omnes EXACTO, sive finito. Quis dubitet esse verum?

55. — *et gelidae dominum Rhasipolin orae]* Scribe, RHESCUPORIN, ex vetere nummo *ΡΗΣΚΟΥΠΟΡΙΣ*: et quo meliores codices sunt, eo propius accedunt. BENTL. Laudat hunc locum Bentl. ad Hor. Carm. 1, 26, 3. ubi scribit: *Rhascuporin.* WEB.

Digitized by Google

60 Cingere Pellaeo pressos diademate crines
Permissum: saevum in populos, puer, accipis ensem:
Atque utinam in populos! donata est regia Lagi;
Accessit Magni jugulus: regnumque sorori
Ereptum est, soceroque nefas. jam turba soluto
65 Arma petit coetu, quae cum populique ducesque
Casibus incertis, et caeca sorte pararent,
Solus in ancipites metuit descendere martis
Appius eventus: finemque expromere rerum
Sollicitat Superos, multosque obducta per annos
70 Delphica fatidici reserat penetralia Phoebi.
Hesperio tantum, quantum semotus Eoo
Cardine, Parnassus gemino petit aethera colle,
Mons Phoebo Bromioque sacer: cui numine misto
Delphica Thebanae referunt trieterica Bacchae.
75 Hoc solum fluctu terras mergente cacumen
Eminuit, pontoque fuit discrimen, et astris.
Tu quoque vix summam seductus ab aequore rupem
Extuleras, unoque jugo, Parnasse, latebas.
Ultor ibi expulsae premerent cum viscera partus
80 Matris, adhuc rudibus Paean Pythona sagittis

60 *op*pressos, d. 61. permissum *est*, b. c. d. 64. Ereptum, sine *est*, c. 71. *sum*motus, a. d. *sub*motus, c. *su*motus, b. 72. Parnasus, ut semper, c. 74. trieteria, et man. sec. *trieterica*, a. triaterica, b. c. d. addidit manus sec. in c, *tetherica*. Bachae, b. c. d. 76. Emicuit, a. c. 79. premeret, a. c. d. In c versus ita legitur: Ult. ib. exp. prem. Pae. Phiton. sagit. et inter lineas cum signo ad v. *premeret*, addita sunt: cum visc. partus. Matr. adh. rudib. Paean. 80. P*h*ytona, a. b. p*i*thona, d.

61. *Permissum: saevum*] Meliores pluresque codices *Permissum est*.

71. — *quantum semotus Eoo Cardine*,] Omnes codices nostri SUMMOTUS.

79. — *premerent cum viscera partus*] Omnes nostri PREMERET.

Digitized by Google

Explicuit, cum regna Themis tripodasque teneret.
Ut vidit Paean vastos telluris hiatus
Divinam spirare fidem, ventosque loquaces
Exhalare solum, sacris se condidit antris,
85 Incubuitque adyto, vates ibi factus, Apollo.
Quis latet hic Superum? quod numen ab aethere pressum,
Dignatur caecas inclusum habitare cavernas?
Quis terram coeli patitur Deus, omnia cursus
Aeterni secreta tenens, mundique futuri
90 Conscius, ac populis sese proferre paratus,
Contactusque ferens hominis, magnusque, potensque,
Sive canit fatum, seu quod jubet ipse canendo
Fit fatum? Forsan terris inserta regendis,
Aere libratum vacuo quae sustinet orbem,
95 Totius pars magna Jovis Cirrhaea per antra
Exit, et aetherio trahitur connexa Tonanti.
Hoc ubi virgineo conceptum est pectore numen,
Humanam feriens animam sonat, oraque vatis
Solvit, ceu Siculus flammis urgentibus Aetnam
100 Undat apex: Campana fremens ceu saxa vaporat
Conditus Inarimes aeterna mole Typhoeus.

81. teneret, *tene*, in membr. erasa, b. 85. ad*i*to, ita semper, d. 90. *con*ferre, c. 91. Contactu*m*que, a. d. homin*um*, b. 92. *li*bet, et man. sec. *jubet*, b. *ille*, a. b. d. 96. *e*thereo, *e* ex *i* correcta est man. alia, *e* superne scripta man. alia, c. co*n*exa, b. d. sed *n* in membr. erasa b. *t*onanti, *t* ex *c* man. alia correcta est, c. 99. si*deris*, et margine man. alia *siculus*, c. *eth*nam, c. d. 100. *s*eu, c. 101. in arimes, b. tipheus, c. d.

92. — *seu quod jubet ipse canendo]* Omnes nostri ILLE, et Lactantius ad Statium p. 14. [Theb. 1, 213.]

Digitized by Google

Hoc tamen expositum cunctis, nullique negatum
Numen, ab humani solum se labe furoris
Vindicat. haud illic tacito mala vota susurro
105 Concipiunt. nam fixa canens, mutandaque nulli,
Mortales optare vetat: justisque benignus
Saepe dedit sedem totas mutantibus urbes,
Ut Tyriis: dedit ille minas impellere belli,
Ut Salaminiacum meminit mare. sustulit iras
110 Telluris sterilis, monstrato fine: resolvit
Aera tabificum. non ullo secula dono
Nostra carent majore Deum, quam Delphica sedes
Quod siluit, postquam reges timuere futura,
Et superos vetuere loqui. nec voce negata
115 Cirrhaeae moerent vates, templique fruuntur
Justitio. nam si qua Deus sub pectora venit,
Numinis aut poena est mors immatura recepti,
Aut pretium: quippe stimulo fluctuque furoris
Compages humana labat, pulsusque Deorum
120 Concutiunt fragiles animas. sic tempore longo
Immotos tripodas, vastaeque silentia rupis
Appius Hesperii scrutator ad ultima fati
Sollicitat. jussus sedes laxare verendas

102. nullisque, d. 104. Vendicat, ita semper, a. c. 105. *canens*, *c*, *n* correctis, et in margine *canens* man. alia, c. 107. sedes, a. b. c. d. sed *s* in membr. erasa b. *totas*, a. 108. Tiriis, c. d. 110. steriles, d. pro quo *fines*, et superne scriptum *sterilis* habet a. 111. Aera scriptum supra *Aerem*, a. 112. quam, *uam*, man. alia correctae sunt, in margine man. alia *quam*. c. 113. Et, in membr. erasa, c. 115. Cyrrheae, b. Cirrhaee, d. feruntur, et in margine man. alia *fruuntur*. c. 121. Inmotas, c. tripodas, *a* in membr. erasa, c. ad marginem man. alia *tripodas*.

Digitized by Google

Antistes, pavidamque Deis immittere vatem,
125 Castalios circum latices, nemorumque recessus
Phemonoen errore vagam, curisque vacantem
Corripuit, cogitque fores irrumpere templi.
Limine terrifico metuens consistere Phoebas,
Absterrere ducem noscendi ardore futuri
130 Cassa fraude parat. quid spes (ait) improba veri
Te, Romane, trahit? muto Parnassus hiatu
Conticuit, pressitque Deum: seu spiritus istas
Destituit fauces, mundique in devia versum
Duxit iter: seu barbarica cum lampade Pytho
135 Arsit, in immensas cineres abiere cavernas,
Et Phoebi tenuere viam: seu sponte Deorum
Cirrha silet, fatique sat est arcana futuri
Carmine longaevae vobis commissa Sibyllae:
Seu Paean solitus templis arcere nocentes,

126. Ph*oe*monoen, c. errore, *o* in membr. erasa, b.

129. futur*a*, a. b. c. d. 130. *fras*, *v* man. alia. c. 131. Parnasus, ut semper, a. b. d. 134. Pytho*n*, a. P*h*yton, b. P*h*iton, c. et in membr. erasa, d. 137. Cirr*a*, *o* et *a* man. alia, c. arc*h*ana, ut semper, b. c. d. 138. Sy*b*illae, b. S*ib*illae, c. d. carmin*a*, a. b. c. d. 139. Pean, ut semper, b.

124. — *pavidamque Deis immittere vatem,]* Quid est, *immittere deis?* cur *pavidam*, quae tum sine cura ludebat? Lego:

Placitamque deis *immittere vatem.*

Val. Flaccus II, 5.

— placitosque deis *ne deserat actus.*

et II, 316.

Tunc etiam vates Phoebo dilecta *Polyxo.*

130. — *quid spes (ait) improba veri Te, Romane, trahit?]* Ita quidem codices nostri; sed Bersmanni unus, QUAE *spes, ait.* Recte. Virgil. XI, 732.

Quis metus, *o nunquam dolituri, o semper inertes Tyrrheni*, quae tanta *animis* ignavia *venit?*

et II, 73.

Festinate viri: nam quae tam sera *moratur* Segnities.

Noster VII, 848.

— Quo tanto crimine *tellus Laesisti superos.*

Digitized by Google

140 Ora quibus solvat nostro non invenit aevo.
Virginei patuere doli, fecitque negatis
Numinibus metus ipse fidem. tunc torta priores
Stringit vitta comas, crinesque in terga solutos
Candida Phocaica complectitur infula lauro.
145 Haerentem, dubiamque premens in templa sacerdos
Impulit. illa pavens adyti penetrale remoti
Fatidicum, prima templorum in parte resistit:
Atque Deum simulans, sub pectore ficta quieto
Verba refert, nullo confusae murmure vocis
150 Instinctam sacro mentem testata furore,
Haud aeque laesura ducem, cui falsa canebat,
Quam tripodas Phoebique fidem. non rupta trementi
Verba sono, nec vox antri complere capacis
Sufficiens spatium, nulloque horrore comarum
155 Excussae laurus, immotaque culmina templi,
Securumque nemus, veritam se credere Phoebo
Prodiderant. sentit tripodas cessare, furensque

142. tum, b. 146. aditi, ita semper, b. c. 150. Iustitiam, et in margine man. alia *Invictam*, c. 153. natri; man. sec. *antri*, a. 154. horrore, et in margine man. alia *errore*, c. 155. Limina, correctum ex culmina, d. 157. sensit, a. b. c. cossere, a man. sec. a.

147. — *prima templorum in parte resistit:]* Altero abhinc versu jam habuimus *in templa:* quare hic velim,

Prima TECTORUM *in parte resistit.*

155. *Excussae laurus, immotaque culmina templi.]* Codex Academiae, *limina*, quod vel unus Virgilii locus firmat, Aen. III, 91.

Vix ea fatus eram, tremere *omnia visa repente*,
Liminaque laurusque dei.

sine codice tamen non mutaverim: nam et *culmina* satis recte.

157. — *sentit tripodas cessare,]* Meliores codices *sensit*.

Digitized by Google

Appius: Et nobis meritas dabis, impia, poenas,
Et Superis, quos fingis, ait, nisi mergeris antris,
160 Deque orbis trepidi tanto consulta tumultu
Desinis ipsa loqui. Tandem conterrita virgo
Confugit ad tripodas, vastisque abducta cavernis
Haesit, et insueto concepit pectore numen,
Quod non exhaustae per tot jam secula rupis
165 Spiritus ingessit vati: tandemque potitus
Pectore Cirrhaeo, non unquam plenior artus
Phoebados irrupit Paean: mentemque priorem
Expulit, atque hominem toto sibi cedere jussit
Pectore. bacchatur demens aliena per antrum

158. meritis; in margine *meritas*, c. 159. *n*, post *n* aliquid deletum est, c. merseris, b. 162. adducta, a. obducta, c. 164. Q⁊ n̄, et in margine *quod non*, c. 166. Cyrreo, b. Cirrheo, et in margine . *Cirreo*, c. 167. irrumpit, c.

158. — *Et nobis meritas dabis, impia, poenas,]* Codex Academiae, et Servius ad Virgil. vi, 662, *improba.*

162. — *vastisque abducta cavernis]* Codices nostri omnes *adducta.*

165. — *tandemque potitus Pectore Cirrhaeo,]* Redit illud mox *v.* 169.

— *toto sibi cedere jussit Pectore.*

et paulo ante *v.* 163.

— *concepit pectore numen.*

Quare emendandum videtur *Corpore Cirrhaeo;* quod et firmat illud *artus,* quod sequitur,

— *non unquam plenior artus*
Phoebados irrupit Paean.

Artus enim de toto *corpore,* non de pectore dicuntur. ceterum et in Nostro et in ceteris poetis illa inter se passim commutantur.

169. — *bacchatur demens aliena per antrum Colla ferens,]* Cujus, quaeso, *colla* erant, si *aliena* erant, et non sua? Quid, quod de collo mox habemus aliis verbis, *Ancipiti cervice rotat.* Pro *ferens,* quod mox recurrit, *v.* 174. alii codices GERENS. Repone,

— *bacchatur demens aliena per antrum*
CORDA GERENS.

Aliena corda, quia demens; quia Deus corda sua sibi excusserat, *atque hominem toto sibi cedere jussit* CORPORE. Virgilius de Sibylla et Phoebo, [Aen. vi, 80.]

— *tanto magis ille fatigat*
Os rabidum, fera corda domaus, *fingitque premendo.*

Digitized by Google

170 Colla ferens, vittasque Dei, Phoebeaque serta
Erectis discussa comis, per inania templi
Ancipiti cervice rotat, spargitque vaganti
Obstantes tripodas, magnoque exaestuat igne,
Iratum te, Phoebe, ferens: nec verbere solo
175 Uteris, et stimulis; flammas in viscera mergis.
Accipit et fraenos: nec tantum prodere vati,
Quantum scire, licet. venit aetas omnis in unam
Congeriem: miserumque premunt tot secula pectus.
Tanta patet rerum series, atque omne futurum
180 Nititur in lucem: vocemque petentia fata
Luctantur: non prima dies, non ultima mundi,
Non modus Oceani, numerus non deerat arenae.
Talis in Euboico vates Cumana recessu,
Indignata suum multis servire furorem
185 Gentibus, ex tanta fatorum strage superba
Excerpsit Romana manu. sic plena laborat
Phemonoe Phoebo, dum te consultor operti
Castalia tellure Dei vix invenit, Appi,
Inter fata diu quaerens tam magna latentem.
190 Spumea tunc primum rabies vesana per ora
Effluit, et gemitus, et anhelo clara meatu

172. vaganti, superne scriptum est, *vel do*, b. 173. igni, d. 175. *ac* stim. a. c. stimulos, d. flammas*que*, a. b. c. 187. Ph*o*emonoe, b. 190. tu*m*, d.

174. — *nec verbere solo Uteris, et stimulis; flammas in viscera mergis.]* Meliores et plures codices,

Uteris AC *stimulis, flammas*QUE *in viscera mergis;*
Accipit et fraenos.

Continuatur sententia. Cave enim plenam ponas distinctionem post *mergis*. Non solum, inquit, verbere, stimulis, flammis, sed et fraenis uteris.

191. — *et anhelo clara meatu Murmura:]* Non placet *clara murmura*. Certissima emendatio est,

— *et anhelo* CREBRA *meatu Murmura.*

Ideo *crebra*, quia *anhelo meatu*. Virgil. [Aen. V, 199.]

tum creber *anhelitus artus*
Aridaque ora quatit.

Apuleius Met. 8, [p. 214. ed.

Murmura: tunc moestus vastis ululatus in antris,
Extremaeque sonant, domita jam virgine, voces.
Effugis ingentes, tanti discriminis expers,
195 Bellorum, Romane, minas: solusque quietem
Euboici vasta lateris convalle tenebis.
Cetera suppressit, faucesque obstruxit Apollo.
Custodes tripodes fatorum, arcanaque mundi,
Tuque potens veri, Paean, nullumque futuri
200 A Superis celate diem, suprema ruentis
Imperii, caesosque duces, et funera regum,
Et tot in Hesperio collapsas sanguine gentes
Cur aperire times? an nondum numina tantum
Decrevere nefas? et adhuc dubitantibus astris
205 Pompeji damnare caput tot fata tenentur?
Vindicis an gladii facinus, poenasque furorum,
Regnaque ad ultores iterum redeuntia Brutos,
Ut peragat fortuna, taces? tunc pectore vatis
Impactae cessere fores, exclusaque templis

192. tu*m*, c. ululatus, man. alia ex ululat*a* correctum, c. 196. Eubo*i*cii vasta *latebras*, *latebras* sine nota, c. *in* vasta, a. 197. fa*u*cesque, *u* man. alia. c. obstr*in*xit, c. 198. tripod*ae*, b. d. 199. veri, post *i* aliquid deletum est; in margine manu alia *veri*, c. 200. diem, *ie* in membr. erasa, b. 206. furori*s*, a. b. c. 208. tu*m*, d. tunc, sed *c* manu sec. in membr. erasa, b. 209. Versus, signo quodam notatus, in margine d scriptus est. Impa*c*te, c. ex*pul*saque, a. b. c. sed *pul* in membr. erasa. b. exc*uss*aque, d.

Elmenh. p. 185. ed. Bip.] *Unus bacchatur effusius, ac de imis praecordiis* anhelitus crebros *referens.*

197. — *faucesque obstruxit Apollo.*] Meliores codices OBSTRINXIT.

208. — *tunc pectore vatis*] Omnes nostri codices, quod res ipsa flagitat, *vatis.*

Digitized by Google

210 Prosiluit: perstat rabies, nec cuncta locuta est;
Quem non emisit, superest Deus. ille feroces
Torquet adhuc oculos, totoque vagantia coelo
Lumina: nunc vultu pavido, nunc torva minaci,
Stat nunquam facies: rubor igneus inficit ora,
215 Liventesque genas: nec, qui solet esse timenti,
Terribilis sed pallor inest: nec fessa quiescunt
Corda; sed ut tumidus Boreae post flamina pontus
Rauca gemit; sic multa levant suspiria vatem.
Dumque a luce sacra, qua vidit fata, refertur
220 Ad vulgare jubar, mediae venere tenebrae.
Immisit Stygiam Paean in viscera Lethen,
Quae raperet secreta Deum. tum pectore verum
Fugit, et ad Phoebi tripodas rediere futura:
Vixque refecta cadit. nec te viciuia leti

210. P*er*siluit, c. locuta, superne scriptum *est*, b. 217. t*i*midus, in t*u*midus correctum, d. 218. multa, et in margine *muta*, c. 219. luce sine *a*, d. 221. St*i*giam, b. c. d. ut semper. Loethen, b. Lethem, c.
c
222. rap*ui*t et *vel raperet*, a. tu*n*c, c. d. 224. ne, b.

210. — *nec cuncta locuta est. Quem non emisit, superest Deus.]* Corrige,

— *nec cuncta* LOCUTAE,
Quem non emisit, superest deus.

Facillime permutantur ae diphthongus, et a ē: sic enim *est* compendiose scribitur.

211. — *ille feroces Torquet adhuc oculos,]* Sane plerique codices *ille* habent: quibus fraudi fuit quod praecesserat *Deus*. Repone vero,

— ILLA *feroces*
Torquet adhuc oculos.

Et sententia hoc flagitat, et dictio. *Torquere* enim *oculos* is solus dicitur, cujus sunt oculi. Virgil. Georg. III, 433, de serpente,

— *flammantia* lumina torquens
Saevit agris.

Aen. VII, 399. de regina Amata,
Sanguineam torquens aciem.

[ibid.] 448. de furia:
— *tum flammea* torquens
Lumina.

Quid quod mox habemus,
nunc vultu pavido, nunc torva *minaci.*

Torva enim ad *illa* refertur; non ad *facies* in versu sequente, illud enim absolute infertur, *Stat nunquam facies;* ut et citat Servius.

Digitized by Google

225 Territat ambiguis frustratum sortibus, Appi:
Jure sed incerto mundi, subsidere regnum
Chalcidos Euboicae, vana spe rapte, parabas.
Heu demens, nullum belli sentire fragorem,
Tot mundi caruisse malis, praestare Deorum
230 Excepta quis Morte potest! secreta tenebis
Littoris Euboici memorando condite busto,
Qua maris angustat fauces saxosa Carystos,
Et tumidis infesta colit qua numina Rhamnus,
Arctatus rapido fervet qua gurgite pontus,
235 Euripusque trahit, cursum mutantibus undis,
Chalcidicas puppes ad iniquam classibus Aulim.
Interea domitis Caesar remeabat Iberis,
Victrices aquilas alium laturus in orbem:
Cum prope fatorum tantos per prospera cursus
240 Avertere Dei. nullo nam marte subactus,
Intra castrorum timuit tentoria ductor
Perdere successus scelerum: cum paene fideles

225. frustratum, c. 227. Calchidos, b. c. d. sic infra quoque. 228. sentine, superne scripta r, a. 230. tenebis, i in membr. erasa, c. 231. Eubocii, c. 232. Caristos, b. Charistos, c. Caristros, d. 233. Rannus, a. c. Ramnos, d. 234. fervet, et man. alia, in margine fervet, c. 235. Euripus, c. d. 236. Chalchidicas, a. Aulin, a. b. 237. remeabat Caesar, d. 242. secutum, et in margine man. alia scelerum, c. pene, e in membr. erasa, c.

226. — *subsidere regnum]* Quod regnum ? vel quid est, *regnum subsidere?* Quis hoc Appium expectasse credat? Corrige, — *subsidere* IN AGRO *Chalcidos.* Cicero Epist. ad Famil. VI, 8. *A me consilium petis, quid tibi sim auctor,* in Siciliane subsidas (ubi tum erat) *an ad reliquias Asiaticae negotiationis proficiscare — ego in Sicilia censeo commorandum.* et sic alibi, *subsidere in loco, in via.* Sequentia probant.

234. *Arctatus rapido fervet qua gurgite pontus]* Laudat hunc locum Bentl. ad Manil. V, 660, ut phrasin *artare pontum* probet. WEB.

237. *domitis Caesar remeabat]*

Digitized by Google

Per tot bella manus satiatae sanguine tandem
Destituere ducem: seu moesto classica paulum
245 Intermissa sono, claususque, et frigidus ensis,
Expulerat belli furias: seu praemia miles
Dum majora petit, damnat causamque ducemque,
Et scelere imbutos etiam nunc venditat enses.
Haud magis expertus discrimine Caesar in ullo est,
250 Quam non e stabili, tremulo sed culmine cuncta
Despiceret, staretque super titubantia fultus.
Tot raptis truncus manibus, gladioque relictus
Paene suo, qui tot gentes in bella trahebat,
Scit non esse ducis strictos, sed militis enses.
255 Non pavidum jam murmur erat, nec pectore tecto
Ira latens: nam quae dubias constringere mentes
Causa solet, dum quisque pavet, quibus ipse timori est,
Seque putat solum regnorum injusta gravari,
Haud retinet. quippe ipsa metus exolverat audax
260 Turba suos. quicquid multis peccatur, inultum est.
Effudere minas: liceat discedere, Caesar,
A rabie scelerum. quaeris terraque marique

249. *nullo est*, c. 250. e stab. post *e* aliquid deletum est, b. 252. manibus trunc. c. 258. solū, in margine manu alia *solum*, c. 259. exsolverat, a. d. retin*et*, *et* correctae sunt, in margine *retinet* man. alia, c. 261. Effundere, d. liceat et *vel libeat*, a.

Affert hunc locum Bentl. ad Horat. Epist. I, 10, 37. Wer.

261. *Effudere minas:*] Atqui altero abhinc versu rursus: *animasque effundere viles.* Hoc posterius recte, ut Virgil. [Aen. I. 98.] *tuaque animum hanc effundere dextra.* Ergo prius vitiosum. Lego EXARSERE ANIMIS. Virgil. [Aen. II, 575.] Exarsere *ignes* animo. Tacitus Ann. I, 51. Exarsere animis (milites) *unoque impetu perruptum hostem redigunt in aperta.* nullae se-

His ferrum jugulis, animasque effundere viles
Quolibet hoste paras: partem tibi Gallia nostri
265 Eripuit: partem duris Hispania bellis:
Pars jacet Hesperia: totoque exercitus orbe
Te vincente perit. terris fudisse cruorem
Quid iuvat Arctois, Rhodano, Rhenoque subactis?
Tot mihi pro bellis bellum civile dedisti.
270 Cepimus expulso patriae cum tecta Senatu,
Quos hominum, vel quos licuit spoliare Deorum?
Imus in omne nefas, manibus ferroque nocentes,
Paupertate pii. finis quis quaeritur armis?
Quid satis est, si Roma parum? jam respice canos,
275 Invalidasque manus, et inanes cerne lacertos.
Usus abit vitae: bellis consumsimus aevum.
Ad mortem dimitte senes. en improba vota:
Non dura liceat morientia cespite membra
Ponere, non anima galeam fugiente ferire,
280 Atque oculos morti clausuram quaerere dextram,
Conjugis illabi lacrymis, unique paratum

265. Er*u*puit, c. 268. versus sequitur post versum 269, a. 271. Quo*d* — quo*d* superne scriptum est *Quos* — *quos*, a. 272. ferroque, *que* inserta est, b. 274. parum *est*, b. 275. Invalidas*que*, *que* inserta est, c. 277. vota; et *vel?*, b. 278. liceat duro, c. 279. ai*a*, post *a* aliquid deletum est, c.

sequuntur hic minae: missionem tantum efflagitabant, *vs.* 296.

Coeperat, infestoque ducem deposcere vultu.

Corrigo,

COEPIT, ET *infesto* REQUIEM *deposcere vultu.*

missionem nempe. Dido Aeneae: *Et socii* requiem poscunt. Numeri in vulgata lectione non sunt Lucaniani.

279. — *non anima galeam fugiente ferire,]* Meliores codices GLEBAM, ut priore versu *cespite*. utraque lectio satis belle convenit.

Digitized by Google

Scire rogum. liceat morbis finire senectam.
Sit praeter gladios aliquod sub Caesare fatum.
Quid, velut ignaros ad quae portenta paremur,
285 Spe trahis? usque adeo soli civilibus armis
Nescimus cujus sceleris sit maxima merces?
Nil actum est bellis, si nondum comperit istas
Omnia posse manus. nec fas, nec vincula juris
Hoc audere vetant. Rheni mihi Caesar in undis
290 Dux erat, hic socius. facinus quos inquinat, aequat.
Adde, quod ingrato meritorum judice virtus
Nostra perit. quicquid gerimus, fortuna vocatur.
Nos fatum sciat esse suum. licet omne Deorum
Obsequium speres, irato milite, Caesar,
295 Pax erit. haec fatus, totis discurrere castris
Coeperat, infestoque ducem deposcere vultu.
Sic eat, o Superi, quando pietasque fidesque
Destituunt, moresque malos sperare relictum est;
Finem civili faciat discordia bello.
300 Quem non ille ducem potuit terrere tumultus!
Fata sed in praeceps solitus demittere Caesar,
Fortunamque suam per summa pericula gaudens
Exercere, venit: nec, dum desaeviat ira,
Expectat: medios properat tentare furores.

284. *tormenta*, et superne scriptum *vel portenta*, b. 287. *si*, in membr. erasa, c. 289. audere, *e* man. sec. correcta est, b. 295. totis, correcta *i* ex u, c. 297. eat, *e* man. sec. in membr. erasa, b. 301. dimittere, b. c. sed *i* man. sec. in membr. erasa, b.

289. — *Rheni mihi Caesar in undis Dux erat, hic socius.*] Apage illud *undis;* repone ARVIS: ut alibi bis terve ea male permutantur.

Digitized by Google

305 Non illis urbes, spoliandaque templa negasset,
Tarpejamque Jovis sedem, matresque Senatus,
Passurasque infanda nurus. vult omnia Caesar
A se saeva peti, vult praemia martis amari:
Militis indomiti tantum mens sana timetur.
310 Non pudet, heu Caesar, soli tibi bella placere
Jam manibus damnata tuis? hos ante pigebit
Sanguinis? his ferri grave jus erit? ipse per omne
Fasque nefasque rues? lassare, et disce sine armis
Posse pati: liceat scelerum tibi ponere finem.
315 Saeve, quid insequeris? quid jam nolentibus instas?
Bellum te civile fugit. stetit aggere fultus
Cespitis, intrepidus vultu, meruitque timeri
Non metuens: atque haec ira dictante profatur:

306. matrem*que* et in margine man. alia *matres*. c. 307. *certe*, a. Ce*sar*, sed *sar* in membr. erasa, b. 310. *o*, superne scriptum *heus*, c. 311. *suis*; a. b. d. pigeb*at*, supra *a* scripta est *i* man. sec. a. 314. *sibi* et man. sec. *tibi* superne scriptum, a. 315. instas in membr. erasa, b. 316. fult*o*, a. b, sed *o* in membr. erasa. fult*i*, c. d. et pro varia lectione in a.

307. — *vult omnia Caesar A se saeva peti,]* Pro *Caesar* plures melioresque codices CERTE.

310. — *soli tibi bella placere Jam manibus damnata tuis?]* Repone ex codicibus melioribus *suis*. *Bella suis manibus damnata*, hoc est, militibus, quorum manibus geruntur.

314. — *disce sine armis Posse pati:]* Codex Academiae pro varia lectione SCELERI. Unde sponte nascitur egregia sententia:

liceat SCELERI SIBI *ponere finem.*

et eodem ductu, VII, 558.

Ne qua parte SUI *pereat* SCELUS.

315. *Saeve, quid insequeris? quid jam nolentibus instas?]* Codex Regius, *Quid* TAM.

316. *Bellum te civile fugit.]* Practulerim,

Bellum SE *civile fugit.*

Digitized by Google

Qui modo in absentem vultu, dextraque furebas,
Miles, habes nudum, promtumque ad vulnera pectus.
Hic, fuge, si belli finis placet, ense relicto.
Detegit imbelles animos nil fortiter ausa
Seditio, tantumque fugam meditata juventus,
Ac ducis invicti rebus lassata secundis.
Vadite, meque meis ad bella relinquite fatis:
Invenient haec arma manus, vobisque repulsis
Tot reddet Fortuna viros, quot tela vacabunt.
Anne fugam Magni tanta cum classe sequuntur
Hesperiae gentes, nobis victoria turbam
Non dabit, impulsi tantum quae praemia belli
Auferat, et vestri rapta mercede laboris,
Lauriferos nullo comitetur vulnere currus?
Vos defecta senes, exhaustaque sanguine turba
Cernetis nostros jam plebs Romana triumphos.

320. promptumque, d. 321. Hinc, c. d. Post hunc alius versus legitur in b, sed linea obductus est a manu Codicis. Habet ita: *Si non feminei vultus linguaeque tumultus.* 322. animas, b. d. 323. meditata, *t* man. alia inserta est, c. 324. lassata, *ss* in membr. erasa, d. 325. vatis, superne scripta est man. alia *f*, a. 327. vacabant, a. 328. sequentur, a. d. et man. sec. b, antea secuntur, sequantur, c. 330. impulsi, *i* in membr. erasa, c. 333. despecta, d. et pro varia lectione a. defecta, sed *f* in membr. erasa, b. senex, b. 334. vestros, *o* man. sec. correcta est, b.

Haec argutissima sunt, et Lucani ingenio digna: Liceat per te, Caesar, bona tua venia, liceat sceleri sibi finem ponere: bellum, ut vides, civile se ipsum fugit: ipsi milites victoriis et sceleribus lassi missionem petunt.

328. — *tanta cum classe sequuntur Hesperiae gentes,*] Va-

Digitized by Google

335 Caesaris an cursus vestrae sentire putatis
Damnum posse fugae? veluti si cuncta minentur
Flumina, quos miscent pelago, subducere fontes,
Non magis ablatis unquam decresceret aequor,
Quam nunc crescit, aquis: an vos momenta putatis
340 Ulla dedisse mihi? nunquam sic cura Deorum
Se premit, ut vestrae morti, vestraeque saluti
Fata vacent. Procerum motus haec cuncta sequuntur.
Humanum paucis vivit genus. orbis Iberi
Horror, et Arctoi, nostro sub nomine miles,
345 Pompejo certe fugeres duce. fortis in armis
Caesareis Labienus erat: nunc transfuga vilis
Cum duce praelato terras atque aequora lustrat.
Nec melior mihi vestra fides, si bella nec hoste,
Nec duce me geritis, quisquis mea signa relinquit,

335. currus, et in margine *cursus*, c. 338. de*scende*ret, a. d. et b., in quo tamen ret ex rit correcta est. de*scende*ret, et superne scriptum *decre*sceret man. alia sine signo, c. 339. cresc*unt*, et superne *crescit*, a. 341. premet, c et a, sed superne legitur *premit*. *no*strae morti, sed superne legitur *vestrae*, c. 342. seq*uen*tur, et superne scriptum *sequuntur*, a. *unt* man. sec. in b. 349. relinqu*ens*, a. c. d. relinquet, b.

riant Codices, *sequuntur*, *sequantur*, *sequentur*. Non multum interest, placet tamen *sequentur*, quod meliores libri praeferunt. Est indignationis majoris.

338. *Non magis ablatis unquam decresceret aequor, Quam nunc crescit, aquis:]* Optimi quique codices DESCENDERIT: quod probo. Vitabat poeta repetitionem, quam boni librarii sectabantur.

349. — *quisquis mea signa relinquit.]* Variant codices, sed inter plures haec lectio magis arridet:

— *Quisquis mea signa* RELINQUENS,
NON *Pompejanis* TRADET *sua partibus arma.*

350 Nec Pompejanis tradit sua partibus arma,
Hic nunquam vult esse meus. sunt ista profecto
Curae castra Deis, qui me committere tantis,
Non nisi mutato voluerunt milite, bellis.
Heu, quantum Fortuna humeris jam pondere fessis
355 Amolitur onus! sperantes omnia dextras
Exarmare datur, quibus hic non sufficit orbis.
Jam certe mihi bella geram: discedite castris:
Tradite nostra viris ignavi signa Quirites.
At paucos, quibus haec rabies auctoribus arsit,
360 Non Caesar, sed poena tenet. procumbite terrae:
Infidumque caput, feriendaque tendite colla.
Et tu, quo solo stabunt jam robore castra
Tiro rudis, specta poenas, et disce ferire,
Disce mori. Tremuit saeva sub voce minantis
365 Vulgus iners: unumque caput, tam magna juventus
Privatum factura timet: velut ensibus ipsis
Imperet, invito moturus milite ferrum.

350. N*on*, a. c. trad*et*, a. b. 360. te*n*ret, c. terr*a*, a. b. c. d. 363. ru*d*is, in margine man. alia .*rudis*, c. ferire, *r* ex *n* correcta, c. 364. sub saeva, a. 365. capu*d*, ut semper, c. 366. te*n*et, et in margine man. alia .*timet*, c.

354. *Heu, quantum Fortuna humeris jam pondere fessis Amolitur onus!*] Quorsum illud *Heu?* cum haec oratio gaudentis sit, non dolentis. Corrigo:

En! *quantum, Fortuna, humeris jam pondere fessis*
Amoliris *onus!*

366. — *velut ensibus ipsis Imperet, invito moturus milite ferrum.*] Quis hoc possit reprehendere? Mirificam tamen lectionem praestat codex Pulmanni,

— *velut ensibus ipsis*
Imperet, ET MANCO *moturus milite ferrum.*

Cave, credas, tam elegans hoc, tam remotum a lectione recepta, potuisse a librariis nasci. Generaliter hoc dictum: *Quasi ensibus imperet*, moturus eos *etiam milite manco*, manibus aut de-

Digitized by Google

Ipse pavet, ne tela sibi dextraeque negentur
Ad scelus hoc, Caesar: vicit patientia saevi
370 Spem ducis, et jugulos, non tantum praestitit enses.
Nil magis, assuetas sceleri quam perdere mentes,
Atque perire timet tam diro foederis ictu
Parta quies, poenaque redit placata juventus.
Brundusium decimis jubet hanc attingere castris,
375 Et cunctas revocare rates, quas avius Hydrus,
Antiquusque Taras, secretaque littora Leucae,
Quas recipit Salapina palus, et subdita Sipus
Montibus: Ausoniam qua torquens frugifer oram,
Dalmatico Boreae, Calabroque obnoxius Austro
380 Appulus Adriacas exit Garganus in undas.

369. saevis, b. 372. jam, c. diri, a. b. d. 374. Brundisium, ita semper, b. d. hanc, et in margine hinc, c. 375. retinere, man. rec. a. Hydruns, a. b. Hidruns, d. Ydruns, c. 376. Tharax, b. Tharas, e man. alia, c. 377. Calpina, a. Alpina, b. d. Salápina, a inter lineas scripta fuisse videtur, sed erasa est, c. Sippus, b. d. 380. Apulus, ut semper, d.

bili aut carente. At facile erat generale pronunciatum huic occasioni aptare, et substituere *invito*.

371. *Nil magis, assuetas sceleri quam perdere mentes, Atque perire timet.]* Quid prius hic culpem, librariorum inscitiam, an interpretum patientiam? Nulla subest his verbis sententia, nulla orationis constructio. *Nihil magis timet*, quis? Caesar, inquiunt: atqui plura interveniunt, et quod proximum est, *miles* timet, non *Caesar*. Sed esto. Quid timet Caesar? *mentes assuetas perdere atque perire*. Quid ergo fiat de *sceleri*? Nugae et tenebrae merae. Corrige levissima mutatione,

Nil magis assuetas sceleri
quam perdere mentes
Atque perire TENET.

Ubi ordo est: *Nil magis tenet*, afficit, obligat, obstringit, *mentes sceleri assuetas, quam perdere et perire*. Ipsa ducis saevitia, donativo potentior, demerebatur sibi milites, qui pro munere *poena placati sunt*. Silius VII, 524.

Perdendi *simul et* pereundi *ardebat amore*.

372. — *tam diro foederis ictu*

Ipse petit trepidam tutus sine milite Romam,
Jam doctam servire togae: populoque precanti
Scilicet indulgens, summum Dictator honorem
Contigit, et laetos fecit se Consule fastos.
Namque omnes voces, per quas jam tempore tanto
Mentimur dominis, haec primum repperit aetas,
Qua sibi ne ferri jus ullum Caesar abesset,
Ausonias voluit gladiis miscere secures.
Addidit et fasces aquilis, et nomen inane
Imperii rapiens, signavit tempora digna
Moesta nota. nam quo melius Pharsalicus annus
Consule notus erit? fingit solennia campus,
Et non admissae dirimit suffragia plebis,

382. populoqne, *que* man. alia insertum est, b. 383. summo, a. d. honor*i*, a, et man. sec. honor*e*, quod in d legitur, qui praeterea man. alia summ*um* honor*em* praebet. 385. tanto, et man. alia *vel* nostro, c. 386. domin*os*, b. *os* in membr. erasa, b. reperit, a. c. 387. Quo, d. 388. gladiis voluit, c. 390. digna, *di* in membr. erasa, b. 392. sol*lemp*nia, a. b. c. d. ut semper.

Parta quies,] Immo, ut Codices plerique omnes,

— *tam* DIRI *foederis ictu.*

Res ipsa clamitat.

393. *Et non admissae dirimit suffragia plebis,]* Sic et Priscianus legit. Sed corrigo,

Et non admissae DIRIBET *suffragia* PLEBI.

Varro de Re Rustica III, 2. *Dum* diribentur suffragia, etc. Cicero in Pisonem c. 40. *An ego expectem, dum de te quinque et septuaginta tabellae* diribeantur. Varra de Re Rust. III, 6. *Fit clamor in campo, narrat ad tabulam, dum* diriberent, *quendam deprehensum tesserulas conjicientem in loculum.* Valerius Maximus IX, 12, 7. *Licinius Macer repetundarum reus, dum sententiae* diriberentur, *in Moenianum conscendit.* ubi vide Pighium. Caesar a Senatu Dictator dictus, Plutarch. Sed Caesar Civil. II, 21, legem de Dictatore latam, seque Dictatorem dictum a M. Lepido *Praetore* cognoscit. Praetor tamen jure Dictatorem dicere nequit, ut ex Cicerone probat Gruchius. Quod si dictator a populo non creabatur, patet corrigendum esse *vs.* 382.

— *populoque* PETENTI

Digitized by Google

Decantatque tribus, et vana versat in urna.
395 Nec coelum servare licet: tonat augure surdo,
Et laetae jurantur aves, bubone sinistro.
Inde perit primum quondam veneranda potestas
Juris inops: careat tantum ne nomine tempus,
Menstruus in fastos distinguit secula Consul.
400 Nec non Iliacae numen quod praesidet Albae
Haud meritum Latio solennia sacra subacto
Vidit flammifera confectas nocte Latinas.
Inde rapit cursus, et, quae piger Appulus arva
Deseruit rastris, et inerti tradidit herbae,
405 Ocyor et coeli flammis, et tigride foeta

398. tantum careat a. c. d. 399. fastas, et superne habet *fastos*, a. fastis, d. *nomina, o i* inter lineas scriptis, b. 401. versus praecedit vers. 400, a. 403. rapit et *vel capit*, a. 405. Ocior, a. b. c. ut semper. tygride, b.

Scilicet indulgens, SUMMO DIGNATUR HONORE COMITIA, *et laetos fecit se Consule fastos.*

Vulgata sic se habet:

— *populoque precanti*
Scilicet indulgens, summum Dictator honorem
Contigit, et laetos fecit se Consule fastos.

Sed Gruchius p. 18: Consulibus absentibus Senatui visum est *Dictatorem comitiorum causa* creandum esse. unde legendum,

— *summo Dictator* honori CONSULIT.

Id est, consulatui. Excerpta Controv. IV, 2. *Summo cum honore Metelli, asserens contra Metellum agendum ita, ut rogetur cum judicibus* officio pontificum *et ipse* consulere.

394. *Decantatque tribus, et vana versat in urna.] Decantat* agnoscit Priscianus. libenter tamen legerim,

CENTURIATQUE *tribus*, *et* INANI *versat in urna.*

Notissimum in comitiis populum in tribus, tribus singulas in centurias descriptas esse et distributas. *Inani urna*, cista vel sitella, quam colligendis suffragiis rogator deferebet. Ideo *inani*, quia nulla suffragia inerant populo non admisso.

405. *Ocyor et coeli flammis; et tigride foeta transcurrit:]* Non placet, *rapit cursus*, et

Transcurrit: curvique tenens Minoia tecta
Brundusii, clausas ventis brumalibus undas
Invenit, et pavidas hyberno sidere classes.
Turpe duci visum est rapiendi tempora belli
410 In segnes exisse moras, portuque teneri,
Dum pateat tutum vel non felicibus aequor.
Expertes animos pelagi sic robore complet:
Fortius hyberni flatus, coelumque fretumque
Cum cepere, tenent, quam quos incumbere certos
415 Perfida nubiferi vetat inconstantia veris.
Nec maris anfractus, lustrandaque littora nobis,
Sed recti fluctus; soloque Aquilone secandi.
Hic utinam summi curvet carchesia mali,
Incumbatque furens, et Graja ad moenia perflet,
420 Ne Pompejani Phaeacum e littore toto

409. *est* non legitur in a. 410. exire, et in margine *..hesisse*, c. mores, et superne *moras* legitur, a. 413. hiberni, ut semper, b. a. 419. ferens, et *vel furens*, a. Graea, c.

transcurrit arva. Codex Bersmanni, ut ex nostris Regius, TRANSIBRAT. Eleganter. *Tenet* Brundisium, quia *transierat* Apuliam, et ocior flammis transierat; adeo velociter, ut *transiisse* eum viderent, quem *transeuntem* nemo viderat.

409. *Turpe duci visum est]* Meliores codices non agnoscunt *est*.

415. — *nubiferi vetat — inconstantia veris.]* In Italo coelo ver imbribus et nimbis plerumque infestum esse, ex hoc et aliis locis probat Bentl. ad Horat. Carm. IV, 4, 7.

WEB.

419. *Incumbatque furens,]* Ut V, 578. *Ventoque* furenti *Trade sinum.* et 586. *Nec longa* furori Ventorum. Placet tamen, quod Pulmanni duo codices et Academicus habent,

Incumbatque FERENS, *et Graja ad moenia perflet.*

Virgil. IV, 430,

Expectet facilemque fugam ventosque ferentes.

Seneca de vita beata XXII, *Sic illum afficiunt divitiae et exhilarant, ut navigantem secundus et* ferens ventus. Ovid. Heroid. XVI, [125.]

Protinus egredior, ventisque ferentibus *usus*
Applicui.

et Trist. I, 2, [73.]

Digitized by Google

Languida jactatis comprendant carbasa remis:
Rumpite, quae retinent felices vincula proras,
Jamdudum nubes, et saevas perdimus undas.
Sidera prima poli, Phoebo labante sub undas,
425 Exierant, et luna suas jam fecerat umbras:
Cum pariter solvere rates, totosque rudentes
Laxavere sinus: et flexo navita cornu
Obliquat laevo pede carbasa, summaque pandens
Suppara velorum perituras colligit auras.
430 Ut primum levior propellere lintea ventus
Incipit, exiguumque tument, mox reddita malo
In mediam cecidere ratem: terraque relicta
Non valet ipsa sequi puppes, quae vexerat aura.
Aequora lenta jacent alto torpore ligata.
435 Pigrius immotis haesere paludibus undae.
Sic stat iners Scythicas astringens Bosporus undas,
Cum glacie retinente fretum non impulit Ister,
Immensumque gelu tegitur mare: comprimit unda,
Deprendit quascunque rates: nec pervia velis

421. jactantes, *ctan* in membr. erasa, b. jactantes, in jactatis correctum, a. comprehendant, c. remi, a. 423. nebes, *u* man. alia, in margine man. alia *nubes*, c. 424. labente, a. b. d. undas et *vel umbras*, a. 425. Versus manu alia infra in margine adscriptus est, addita *a* litera; sequens versus litera *b* notatus est, b. 428. pendens, in pandens correctum, a. 431. mox, *o* ex *a* man. alia correcta, c. 436. Scithicas, ut semper, b. Bosphorus, b. c. Bosforus, d. 437. Hister, b. c. a. 439. Deprehendit, c.

Ut mare considat, ventisque ferentibus *utar*.

434. *Aequora lenta jacent alto torpore ligata.*] Lege et

440 Aequora frangit eques, fluctuque latente sonantem
Orbita migrantis scindit Maeotida Bessi.
Saeva quies pelagi, moestoque ignava profundo
Stagna jacentis aquae, veluti deserta rigente
Aequora natura cessant: Pontusque vetustas
445 Oblitus servare vices non commeat aestu,
Non horrore tremit: non Solis imagine vibrat.
Casibus innumeris fixae patuere carinae.
Illinc infestae classes, et inertia tonsis
Aequora moturae; gravis hinc languore profundi
450 Obsessis ventura fames. nova vota timori
Sunt inventa novo, fluctus nimiasque precari
Ventorum vires, dum se torpentibus unda
Excutiat stagnis, et sit mare. nubila nusquam,
Undarumque minae: coelo languente fretoque
455 Naufragii spes omnis abit. sed nocte fugata

440. *tangit*, *t* ex *r*, *a* ex *i* man. alia correctis, et superne scriptum est *frangit*, c. 443. rigente correctum ex regente, a. 447. innumeris, *i* man. sec. b. 451. *mini*asque, c. 452. torpentibus, et *vel currentibus*, a. 453. Excutiat, *t* man. alia in membr. erasa, c. 454. mine, *e* in memb. erasa man. alia, c.

distingue cum codicibus melioribus,

Aequora lenta jacent: alto torpore LIGATAE
Pigrius immotis haesere paludibus undae.

443. — *veluti deserta rigente Aequora natura cessant:]* Ride illum, *rigentem naturam*. Corrige et distingue,

— *moestoque ignava profundo*
Stagna jacentis aquae, veluti deserta REGENTE
Aequora Natura, cessant.

Sententia clara: *Stagna cessant, veluti deserta Natura regente*, sive quae regit.

455. — *sed nocte fugata Laesum nube diem jubar extulit,]* *Laesum nube*, inquiunt, est *nubibus obductum*. Audio: et dies nubilus illis dicetur *laesus*, qui serenum diem optant. At Caesariani nubes hic et ventos opta-

Laesum nube diem jubar extulit, imaque sensim
Concussit pelagi, movitque Ceraunia nautis.
Inde rapi coepere rates, atque aequora classem
Curva sequi, quae jam vento fluctuque secundo
460 Lapsa Palaestinas uncis confixit arenas.
Prima duces vidit junctis consistere castris
Tellus, quam volucer Genusus, quam mollior Apsus
Circueunt ripis. Apso gestare carinas
Causa palus, leni quam fallens egerit unda.
465 At Genusum nunc sole nives, nunc imbre solutae
Praecipitant: neuter longo se gurgite lassat,
Sed minimum terrae vicino littore novit.
Hoc Fortuna loco, tantae duo nomina famae
Composuit: miserique fuit spes irrita mundi,
470 Posse duces, parva campi statione diremtos,
Admotum damnare nefas. nam cernere vultus,
Et voces audire datur: multosque per annos

456. dies, c. 457. Caeraunia, b. 459. q̄, - man. alia in membr. erasa, c. cursuque, c. 461. junctis vidit, a. c. d. sed ex junctos correctum, a. 462. volucer, *volu* man. alia in membr. erasa, c. Genesus, *e* in membr. erasa, b. quam, *uam* man. alia, c. melior, *ol* man. alia, c. Hapsus, b. d. ut infra. 464. fallens, *fa* man. alia in membr. erasa, et in margine man. eadem *fallens*, c. Punctum post v. *unda* in membr. erasa, b. 465. Genesum, *e* in membr. erasa, b. 468. nomine, a. 470. diremptos, b. d. direptos, c.

bant, *nova vota timori Sunt inventa novo.* Quare ignosce bonis librariis, qui poetae acumen non ceperunt, et morali epitheto sententiam restitue,

— *sed nocte fugata* LAETUM *nubi diem jubar extulit.*

461. *Prima duces vidit junctis consistere castris Tellus.]* Gemino morbo laborat hic ver-

Dilectus tibi, Magne, socer, post pignora tanta,
Sanguinis infausti sobolem, mortemque nepotis,
475 Te nisi Niliaca propius non vidit arena.
Caesaris attonitam miscenda ad proelia mentem
Ferre moras scelerum partes jussere relictae.
Ductor erat cunctis audax Antonius armis,
Jam tum civili meditatus Leucada bello.
480 Illum saepe minis Caesar, precibusque morantem
Evocat: O mundi tantorum causa malorum,
Quid Superos, et fata tenes? sunt cetera cursu
Acta meo, summam rapti per prospera belli
Te poscit Fortuna manum. num rupta vadosis
485 Syrtibus incerto Libye nos dividit aestu?
Num quid inexperto tua credimus arma profundo?
Inque novos traheris casus? ignave, venire
Te Caesar, non ire, jubet. prior ipse per hostes
Percussi medias alieni juris arenas.
490 Tu mea castra times? pereuntia tempora fati
Conqueror: in ventos impendo vota, fretumque.
Ne retine dubium cupientes ire per aequor:
Si bene nota mihi est, ad Caesaris arma juventus

474. mortemque, *que* man. sec. b. nepot*um*, d. et pro varia lectione a. 476. miscenda, post *a* aliquid deletum est, c. 479. tu*nc*, b. c. d. medi*t*atus, *t* inserta est man. alia, c. d. 481. laborum et *vel malorum*, a. 482. tenes, aliquid post *s* deletum est, b. 483. belli - - rapti, c. 484. no*n* rupta, b. c. d. 485. *Sir*tibus, ut semper, c. 488. Te, *e* man. alia in membr. erasa, c. 489. *r*uris, et *vel juris*, a. 491. C*ū* queror, *u* man. sec. b. 492. cupient*is*, et supra *i* scripta est *e*, a.

aus et ab ordine, et a lectione. Repone,

Prima duces junctis *vidit* CONSIDERE *castris*.

Ordinem restituunt codices.

Digitized by Google

Naufragio venisse volet. jam voce doloris
495 Utendum est: non ex aequo divisimus orbem.
Epirum Caesarque tenet, totusque Senatus:
Ausoniam tu solus habes. his terque quaterque
Vocibus excitum postquam cessare videbat,
Dum se deesse Deis, at non sibi numina credit:
500 Sponte per incautas audet tentare tenebras,
Quod jussi timuere, fretum: temeraria prono
Expertus cessisse Deo: fluctusque verendos
Classibus, exigua sperat superare carina.
Solverat armorum fessas nox languida curas:
505 Parta quies miseris, in quorum pectora somno
Dat vires fortuna minor: jam castra silebant:
Tertia jam vigiles commoverat hora secundos,
Caesar sollicito per vasta silentia gressu
Vix famulis audenda parat; cunctisque relictis,
510 Sola placet Fortuna comes. tentoria postquam
Egressus, vigilum somno cedentia membra
Transiluit, questus tacite quod fallere posset;
Littora curva legit, primisque invenit in undis

495. Utentum, c. ex *quo*, man. alia addidit *e*, c. 499. sedeee diis, lineola man. alia, in margine se deesse man. alia, c. ac, b. c. d. 500. tenebras, *ten* man. sec. in membr. erasa, b. 503. sperat, *t* in membr. erasa, b, man, alia. 505. Parva, a. b. c. d. 512. Transiluit, et in margine *Transsiluit*, c. 513. primis sine *que*, o.

499. *Dum se deesse Deis, at non sibi numina credit:]* Meliores codices AC *non*. Res ipsa postulat.

505. *Parta quies miseris,]* Meliores codices PARVA. Lege et distingue,

Solverat armorum fessas nox languida curas,
PARVA *quies miseris.*

Nox languida parva quies, per epexegesin. Parva, quia mane ad curas redeundum erat.

Digitized by Google

Rupibus exesis haerentem fune carinam.
515 Rectorem dominumque ratis secura tenebat
Haud procul inde domus, non ullo robore fulta,
Sed sterili junco, cannaque intexta palustri,
Et latus inversa nudum munita phaselo.
Haec Caesar bis terque manu quassantia tectum
520 Limina commovit. molli consurgit Amyclas,
Quem dabat alga, toro. Quisnam mea naufragus, inquit,
Tecta petit? aut quem nostrae Fortuna coegit
Auxilium sperare casae? Sic fatus, ab alto
Aggere, jam tepidae sublato fune favillae,
525 Scintillam tenuem commotos pavit in ignes,
Securus belli: praedam civilibus armis
Scit non esse casas. O vitae tuta facultas

515. dominumque, *que* man. alia, c. 518. inverso, a. d. inversa, sed *a* in membr. erasa, et *rs* manu alia b. 520. Amiclas, ita infra quoque, c. d. 521. thoro, ita semper, b. d. inquid, ut semper, d. 523. Auxilū, c. 524. tepidae, *te* man. sec. in membr. erasa, b. trepidae. d. 527. casam, in membr. erasa, man. sec. b.

514. — *haerentem fune carinam]* Laudat hunc locum Bentl. ad Horat. Carm. 1, 14, 7., ut comprobet, *funibus* anchoras significari.

Web.

519. *Haec Caesar - - - Limina commovit.]* Corrige et distingue,

Ut *Caesar bis terque manu quassantia tectum*
Limina commovit: molli, etc.

Hoc pacto apte cohaerent, quae prius hiabant.

523. — *ab alto Aggere, jam tepidae sublato fune favillae.]* Funem hic volunt igniarium sive sulfuratum, quo ignis vel servatur vel corripitur. Tu repone,

— *Sic fatus, ab alto*
Aggere, jam tepidae sublato
torre *favillae,*
Scintillam tenuem commotos
pavit in ignes.

Ab alto aggere favillae; raro enim focum verrebat, nec studebat munditiei. Favilla jam *tepida* erat, at *torris* sive stipes semustus paulum ignis servaverat; hunc anima et spiritu sub commovit ac produxit ad flam-

Digitized by Google

Pauperis, angustique lares! o munera nondum
Intellecta Deum! quibus hoc contingere templis,
530 Aut potuit muris, nullo trepidare tumultu,
Caesarea pulsante manu? tum poste recluso,
Dux ait: Expecta votis majora modestis,
Spesque tuas laxa, juvenis, si jussa secutus
Me vehis Hesperiam, non ultra cuncta carinae
535 Debebis, manibusque inopem duxisse senectam.
Ne cessa praebere Deo tua fata, volenti
Angustos opibus subitis implere Penates.
Sic fatur: quanquam plebeio tectus amictu,
Indocilis privata loqui. tum pauper Amyclas:
540 Multa quidem prohibent nocturno credere ponto;
Nam sol non rutilas deduxit in aequora nubes,
Concordesque tulit radios: Noton altera Phoebi,

531. tu*nc*, b. d. 534. ve*l*is et *vel vehis*, a. 536. Ne*c*, a. c. sed in margine c *Ne* man. alia. 538. fatu*s*, a. 539. tu*nc*, a. b. 541. aequor*e*, a. 542. Not*h*on, a, ut semper.

mam. Ovid. Metamorph. VIII, 643,

— — *et ignes*
Suscitat hesternos; foliisque et cortice sicco
Nutrit, *et* ad flammas anima *producit anili.*

Ovid. Met. VIII, 456,

— *flagrantem mater ab igne*
Eripuit torrem.

Fast. V, 505,

Tecta senis subeunt nigro deformia fumo,
Ignis in hesterno stipite *parvus erat.*

In recepta lectione nullus orationis exitus est. Quid enim est *funis favillae?* vel quid *fune sublato ab aggere?*

528. — *angustique lares.]* Commemorat Bentl. ad Horat. Epist. I, 7, 58. hunc et alios locos, quibus *lar parvus*, *angustus*, et similia eleganter dici doceat.

Wern.

529. *quibus hoc contingere templis, Aut potuit muris,]* Mallem, si libri addicerent,

— *Quibus hoc contingere templis,*
Queis *potuit muris.*

542. — *Noton altera Phoebi,*
Altera pars Borean diducta luce

Altera pars Boream diducta luce vocabat.
Orbe quoque exhaustus medio, languensque recessit,
545 Spectantes oculos infirmo lumine passus.
Lunaque non gracili surrexit lucida cornu,
Aut orbis medii puros exesa recessus:
Nec duxit recto tenuata cacumina cornu
Ventorumque nota rubuit: tum lurida pallens
550 Ora tulit vultu sub nubem tristis ituro.
Sed mihi nec motus nemorum, nec littoris ictus,
Nec placet incertus, qui provocat aequora, delphin:
Aut siccum quod mergus amat: quodque ausa volare
Ardea sublimis, pennae confisa natanti:
555 Quoque caput spargens undis, velut occupat imbrem,

543. Boream deducta, c. 545. Spectantisque, a. Spectantesque, que man. sec. b. 548. tenuata, e ex a correcta, c. 549. lurida, r ex c correcta, c. 552. qi, et in margine qui, man. alia, c. 553. volare est, a. b. d. 555. occupet, a. b. c. d.

vocabat.] Pro *vocabat* corrige MOVEBAT, pars Austrum, pars Boream signabat. ut infra 549, de luna,

—Ventorumque nota *rubuit.*

551. *Sed mihi nec motus nemorum.]* Non placet *motus.* Plin. XVIII, 86, *montium sonitus*, nemorumque mugitus. Virg. Georg. I, 558, *Montibus audiri fragor*, nemorum murmur. Ideo lego,

Sed mihi nec SONITUS *nemorum.*

552. *Nec placet incertus, qui provocat aequora, delphin:]* Lege et distingue cum aliis codicibus,

Nec placet, incertus QUOD *provocat aequora delphin.*

ut mox,

Aut siccum quod *mergus amat.*

Sed praeterea est, quod velim: quid enim, obsecro, est incertus delphin? Repone,

Nec placet, INCURVUS QUOD *provocat aequora delphin.*

Notum illud Pacuvii, [Quintil. I, 5. fin. (al. 9.)]

Digitized by Google

Instabili gressu metitur littora cornix.
Sed si magnarum poscunt discrimina rerum,
Haud dubitem praebere manus: vel littora tangam
Iussa, vel hoc potius pelagus flatusque negabunt.
560 Haec fatur, solvensque ratem dat carbasa ventis:
Ad quorum motus non solum lapsa per altum
Aera dispersos traxere cadentia sulcos
Sidera: sed summis etiam quae fixa tenentur
Astra polis, sunt visa quati. niger inficit horror
565 Terga maris: longo per multa volumina tractu
Aestuat unda minax: flatusque incerta futuri,
Turbida testantur conceptos aequora ventos.
Tunc rector trepidae fatur ratis: Aspice saevum
Quanta paret pelagus: Zephyrosne intendat, an Euros

560. fatus a. solvensque, *que* serius additum est, b. 561. motus, et *vel motu*, a. 563. sūmis, lineola man. alia, c. 568. Tum, c. 569. Zephiros, sine *ne* a. b. c. d. *Austros*, a. d. et pro varia lectione c; in d legitur pro varia lectione *Euros*.

Repandirostrum incurvicervicum *pecus*.

Ovidius, [Her. 18, 132.]

Jam nostros curvi *norant* delphines *amores*.

et [Metam. 2, 265.]

— *nec se super aequora* curvi
Tollere consuetas audent delphines *in auras*.

Plin. XVIII, 87, *Delphini tranquillo mari lascivientes flatum praesagiunt*.

556. *Instabili gressu metitur littora cornix.*] Si *gressu*, quid tam magnum, si *Instabili?* Quasi vero quis simul *stare* et *ingredi* possit. Lego,

INSTABILIS *gressu metitur litora cornix*.

Non stat loco scilicet, [Virg. G. 1, 389.]

Sed sola in sicca secum spatiatur *arena*.

Atque hoc pacto etiam constructio venustior est.

569. *Quanta paret pelagus: Zephyrosne intendat, an Euros Incertum est:*] Codex Colbertinus et Harleianus, PARAT. Sed illud NE omnes codices repudiant. Ceterum illud vide, *Zephyrosne an Euros*. Mirum ve-

Digitized by Google

570 Incertum est: puppim dubius ferit undique pontus.
Nubibus et coelo Notus est. si murmura ponti
Consulimus, Cori verrent mare. gurgite tanto,
Nec ratis Hesperias tanget, nec naufragus oras.
Desperare viam, et vetitos convertere cursus
575 Sola salus. liceat vexata littora puppe
Prendere, ne longe nimium sit proxima tellus.
Fisus cuncta sibi cessura pericula Caesar,

570. pupim, c. ferit dubius, a. 572. *Chori*, b. c. d. ita semper. ve*nient*, a. b. c. d. sed in a supra *nt* scripta est *vel t* i. e. *vel veniet*. 573. Hesperias, *a* manus sec, correxit, b. 576. Pendere, superne scriptum *tenere* pro glossa, c. nec, d. 577. ces*sura*, *u* man. sec. in membr. erasa, b.

ro, si hoc adeo *incertum*, cum hi venti plane oppositi sint: modestius, si diversos nominasset, sed non contrarios. Et mox sane cum haec brevius dicta dilatat, si caelum, inquit, consulimus, Notus est; si pontum, Cori sunt, hoc me incertum reddit. Atqui Corus, Zephyro proximus, pro Zephyro ponitur, et praesertim cum plurali numero sunt, alteri utrosque comprehendunt. Ergo, ut priora posterioribus congruant, lege,

Zephyros *intendat*, *an* AUSTROS,
Incertum est.

572. — *Cori verrent mare.*] Conjectura vera ducentibus MSS., qui non, *venient Cori in mare*, sed *Cori venient mare*, praeferunt. Virg. Aen. 1, [59.]

Ni faciat, maria *ac terras caelumque profundum*
Quippe ferant rapidi secum, verrantque *per auras.*

Grotius. Eam conjecturam primus dedit Bersmannus, plaudente, ut vides, Grotio. Sed ea minime est opus. Omnes codices, *venient*, non *verrent*. Deme jam unam literam, vel virgulam potius, et sana fient omnia.

Nubibus et caelo Notus est;
si murmura ponti
Consulimus, Cori: VENIET *mare gurgite tanto,*
Nec ratis Hesperias tanget
nec naufragus oras.

Est emendatio viri egregii, Jani Rutgersii, Var. Lect. 1, 12. Observandum est, Caesarem ab Italia huc venientem recto Aquilone perductum esse; ut supra 417, *Sed recti fluctus soloque Aquilone secandi.* Cum autem Corus sit Aquiloni oppositus et contrarius, apparet redeunti in Italiam Caesari Corum fore adversum. Recte ergo magister puppis, si pontum, inquit, consulimus, *Cori erunt:* quod si evenerit, veniet mare adversum nobis tanto gurgite, Coro huc impellente, ut nec vivi, nec naufragi Italiam tangamus.

Digitized by Google

Sperne minas, inquit, pelagi, ventoque furenti
Trade sinum. Italiam si coelo auctore recusas,
580 Me pete. sola tibi causa haec est justa timoris,
Vectorem non nosse tuum; quem numina nunquam
Destituunt; de quo male tunc Fortuna meretur,
Cum post vota venit: medias perrumpe procellas
Tutela secure mea. coeli iste fretique,
585 Non puppis nostrae labor est: hanc Caesare pressam
A fluctu defendet onus. nec longa furori
Ventorum saevo dabitur mora: proderit undis
Ista ratis. nec flecte manum: fuge proxima velis
Littora: tum Calabro portu te crede potitum,
590 Cum iam non poterit puppi, nostraeque saluti
Altera terra dari. quid tanta strage paretur
Ignoras? quaerit pelagi coelique tumultu

580. est haec, a. b. c. d. *e* in *haec* manus sec. addidit, b. 584. tutela, post *a* aliquid deletum est, c. 586. A*f*fluctu, c. *h*onus, c. 587. proderit, et supra *d* scriptum *vel t*, a. undas, et *velis*, a. 588. ne flecte, a. c. manus, b. 589. tu*nc*, b. d. 591. Altera, *er* man. alia insertae, c.

578. — *ventoque furenti Trade sinum.*] Repone et hic,

— *ventoque* FERENTI
Trade sinum.

Cuicumque vento, qui a puppe flabit. Vide supra ad v, 419.

580. — *causa haec est justa*] Meliores codices,

Me pete: sola tibi causa est haec *justa timoris.*

587. — *nec longa furori Ventorum saevo dabitur mora:*] Displicet illud *saevo* et ob sensum et ob compositionem. Forte sic dedit,

— *nec longa furori*
Ventorum, CREDO, *dabitur mora.*

592. — *quaerit pelagi coelique tumultu Quid praestat Fortuna mihi.*] Placet Bersmanni codex, qui habet,

— *quaerit pelagi caelique tumultu*
QUOD *praestat Fortuna mihi.*

Digitized by Google

Quid praestet Fortuna mihi. Non plura locuto
Avulsit laceros percussa puppe rudentes
595 Turbo rapax, fragilemque super volitantia malum
Vela tulit: sonuit victis compagibus alnus.
Inde ruunt toto concita pericula mundo.
Primus ab Oceano caput exeris Atlanteo,
Core, movens aestus: jam te tollente furebat
600 Pontus, et in scopulos totas erexerat undas.
Occurrit gelidus Boreas, pelagusque retundit:
Et dubium pendet, vento cui concidat, aequor.
Sed Scythici vicit rabies Aquilonis, et undas:

593. Quod, c. pstat, >man. alia, c. 597. con*gesta*, a. d. 598. Occi*duo*, d. caput, *ca* man. alia in membr. erasa, quae *t* quoque addidit, c. exeris, post *x* litera *s*, ut videtur, deleta est, c, in margine man. alia: *caput exeris*. 601. Occurrit, in margine .*Sep*³, c. 602. concitat, a. 603. vic>, - man. alia, in margine .*vicit* manu Cod. c.

595. — *fragilemque super volitantia malum Vela tulit:]* Sat bene *fragilem*, sed placet codicis Regii lectio GRACILEM.

601. *Occurrit gelidus Boreas,]* Quid interest, ubi de viribus solis agitur, utrum *gelidus* sit necne? In aliis recte locum habere potest, sed hic indignor tam iners epitheton. Scribe,

Occurrit VALIDUS *Boreas.*

Recte vero *Occurrit Boreas* enim sive Aquilo Coro prorans contrarius est. Horat. Epist. II. [1, 11, 15.]

Nec si te validus *jactaverit Auster in alto.*

602. — *vento cui concidat,]* Omnes ubique codices CONCIDAT, antea erat *pareat*, quod correctoribus debemus, ab Ovidio petitum, Trist. I, 2, [25.]

Inter utrumque fremunt immani turbine venti:
Nascit cui domino pareat *unda maris.*

Et profecto melius dixisset Noster,

Et dubium pendet, domino cui pareat, *aequor.*

Atque huc faciat, quod v. 599. pro *te tollente*, codex Regius habeat, *te regnante.* Certe neutri vento *concidit*; id dubium erat, ab utro *tolleretur.* Ovid. Metam. VIII, 470.

— *utque carina,*
Quam ventus ventoque rapit contrarius aestus,
Vim geminam sentit, paretque *incerta duobus.*

Pareat. gloss. *concedat*: inde factum *concidat.*

603. *Sed Scythici vicit rabies*

Torsit, et abstrusas penitus vada fecit arenas.
605 Nec praefert pontum Boreas ad saxa, suumque
In fluctus Cori frangit mare: motaque possunt
Aequora subductis etiam concurrere ventis.
Non Euri cessasse minas, non imbribus atrum
Aeolii jacuisse Notum sub carcere saxi:
610 Crediderim: cunctos solita de parte ruentes;
Defendisse suas violento turbine terras,
Sic pelagus mansisse loco. nam parva procellis
Aequora rapta ferunt: Aegaeas transit in undas
Tyrrhenum: sonat Ionio vagus Adria ponto,

604. *et* serius addita est, b. obstrusas, c. 609. Nothum, ut semper, b. 612. nam, sed *am* man. a sec. in membr. erasa; b. nec, d. 613. rupta, a. 614. Hadria, a. d. adrida, *d* man. alia inserta, quae in margine *adria* scripsit, c.

Aquilonis, et undas Torsit, et abstrusas penitus vada fecit] Lego UNA, non *undas*, quod tertio versu praecesserat:

Sed Scythici vicit rabies Aquilonis, et UNA
Torsit, et abstrusas penitus vada fecit arenas.

Et *torsit* arenas, et *vada fecit:* hoc est ex fundo maris eruit abstrusas penitus arenas, et *vada* fecit ex illis; liquidas, fluidas effecit. Virgil. Georg. III, 350.

Turbidus et torquens *flaventes Hister* arenas.

606. — *motaque possunt Aequora subductis etiam concurrere ventis.]* Jacet plane et languet illud *possunt concurrere.* Repone,

— *motaque* PERSTANT
Aequora subductis etiam concurrere ventis.

613. — *nam parva procellis Aequora rapta ferunt:]*, Quid hoc est, quod *ferunt*, praedicant homines scilicet? An in re ultra omnem fidem exaggerata historicam fidem appellat? Nugae. Corrige,

— *nam parva* PROCELLAE
Aequora rapta ferunt.

Pelagus sive Oceanus locum servat; minora maria, Tyrrhenum et Adriaticum, in alienas sedes pelluntur. Virgilius de ventis, [Aen. I, 59.]

Ni faciat: maria ac terras caelumque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.

Digitized by Google

615 Ah, quoties frustra pulsatos aequore montes
Obruit illa dies! quam celsa cacumina pessum
Tellus victa dedit! non illo littore surgunt
Tam validi fluctus, alioque ex orbe voluti
A magno venere mari, mundumque coercens
620 Monstriferos agit unda sinus. Sic rector Olympi
Cuspide fraterna lassatum in secula fulmen
Adjuvit, regnoque accessit terra secundo,
Cum mare convolvit gentes, cum littora Tethys
Noluit ulla pati, coelo contenta teneri.
625 Tunc quoque tanta maris moles crevisset in astra,

615. *Hah*, b. *A*, d. *Ha*, c. quotiens, ut semper, a. frustra, *r* serius addita est, c. 616. ille, a. c. *u* 617. illo, a. 618 alioque, *que* in membr. erasa, b. 620. Mortiferos, a. b. *ti* man. sec. in membr. erasa, b; in a pro varia lectione legitur *Monstriferos*. 623. convolvit, *con* in membr. erasa man. alia, c. Thethys, ita semper, a.

615. *Ah, quoties frustra pulsatos aequore montes Obruit illa dies!*] Quocumque eam vertas, non constat sententia. *Ah, quoties illa dies obruit montes frustra aequore pulsatos.* Si *obruit*, quomodo *frustra?* quomodo id quod sequitur, *quam celsa cacumina pessum Tellus victa dedit?* certe non *frustra* egit nec inanes minas tulit aequor, si celsi montes pessumdati sunt. Vis alio ordine procedere? *Ah, illa dies obruit montes quoties frustra aequore pulsatos.* Atqui hoc plane absonum, sine nervis, a poetico more abhorrens. Quid multis opus? Tu corrige,

Quot, *quoties frustra pulsatos aequore, montes*
Subruit *illa dies! quam celsa cacumina pessum*
Tellus victa dedit!

Cum *Quot* a *quoties* absorberetur, et versui deesset: librarii illud *Ah* de suo dederunt; inepte profecto, quasi ob scopulorum aliquot ruinam Noster ingemeret. In re morali solum locum hoc habet, [Virg. E. x, 48.]

— *Ah, te ne frigora laedant,*
Ah, tibi ne teneras glacies secet aspera plantas.

Jam vero illud *Subruit*, pro *Obruit*, quantum interest, quantum praestat! Si aequor *obruit* montes, stant; si *subruit*, cadunt, et *pessum dati sunt.*

625. *Tunc quoque tanta ma-*

Digitized by Google

Ni Superum rector pressisset nubibus undas.
Non coeli nox illa fuit: latet obsitus aer
Infernae pallore domus, nimbisque gravatus
Deprimitur, fluctusque in nubibus accipit imbrem.
630 Lux etiam metuenda perit, nec fulgura currunt
Clara, sed obscurum nimbosus dissilit aer.
Tunc Superum convexa tremunt, atque arduus axis
Insonuit, motaque poli compage laborant.
Extimuit Natura chaos: rupisse videntur
635 Concordes elementa moras, rursusque redire
Nox Manes mistura Deis. spes una salutis,
Quod tanta mundi nondum periere ruina.
Quantum Leucadio placidus de vertice pontus
Despicitur; tantum nautae videre trementes
640 Fluctibus e summis praeceps mare: cumque tumentes

626. rector Superum, a. 633. Intonuit, a. c. d. *insonuit* pro varia lectione, a. laborat, a. 638. vertice set *vel littore*, b. 640. *a* summis, a. b. c.

ris] Immo NUNC; hac ipsa, de qua agitur, tempestate: ut recte codex Pulmanni.

631. — *sed obscurum nimbosus dissilit aer.]* Tertio ante versu habuimus *nimbis gravatus:* lege,

— RIMOSUS *dissilit aer.*

Aen. VIII, 391.

Non secus atque olim tonitru cum rupta corusco
Ignea rima *micans percurrit lumine nimbos.*

633. — *atque arduus axis Insonuit:]* Lege cum aliis codicibus:

— *atque arduus axis*
Intonuit, *motaque poli compage laborant.*

Poli laborant mota compage. Sic I, 72.

— *sic cum* compage soluta
Saecula tot mundi suprema coegerit hora.

636. — *spes una salutis, Quod tanta mundi nondum periere ruina.]* Quibus est ista *spes una?* Caesari, inquiunt, et navis rectori. Immo deis ipsis: ne Chaos et Nox antiqua redeat, manes deis mixtura.

640. — *cumque tumentes Rur-*

Rursus hiant undae, vix eminet aequore malus.
Nubila tanguntur velis, et terra carina.
Nam pelagus, qua parte sedet, non celat arenam
Exhaustum in cumulos, omnisque in fluctibus unda est.
645 Artis opem vicere metus: nescitque magister,
Quam frangat, cui cedat aquae. discordia ponti
Succurrit miseris, fluctusque evertere puppim
Non valet in fluctus: victum latus unda repellens
Erigit, atque omni surgit ratis ardua vento.
650 Non humilem Sasona vadis, non littora curvae
Thessaliae saxosa pavent, oraeque malignos
Ambraciae portus: scopulosa Ceraunia nautae
Summa timent. Credit jam digna pericula Caesar
Fatis esse suis. Tantusne evertere, dixit,

643. celet, c. harenas, a. b. d. hareas; c. 644. cumulos, c correcta est in membr. erasa, d. 645. vincere, c. 647. succurrit, c manu sec. b. fluctum, c. punctum post fluctum, in membr. erasa, b. puppem, b. 650. Sassona, b. Sansona, c. 652. Ambrachiae, c.

sus hiant undae: vix eminet aequore malus.] Mirum vero, si *tumentes* undae *hient:* credideram antea, *subsidentes.* praeterea, si tumentes undae velunt et elevant navigium; non *malus* modo, sed *ipsa navis* eminet aequore. Lege,

— *cumque* RUENTES
Rursus hiant undae, vix eminet aequore malus.

643. *Nam pelagus, qua parte sedet, non celat arenam]* Omnes fere codices ARENAS. Recte. Et quod sequitur, *omnisque in fluctibus unda est*, sic accipe: *Omnis unda* usque ad imum maris fundum *in fluctibus est*, fluctu agitatur, ne infima quidem aquae pars, ut in modicis tempestatibus, quiescit immota.

647. — *fluctusque evertere puppim Non valet in fluctus:]* FLUCTUM, quod codices non pauci habent, omnino recipiendum.

652. — *scopulosa Ceraunia nautae Summa timent.]* Non pavent, ait, Sasona, nec oram Ambraciam; *timent* summa Ceraunia. Hoc placet? Codex Regius *Summa* TENENT.

654. — *Tantusne evertere, dixit, Me Superis labor est:]*

Digitized by Google

655 Me Superis labor est: parva quem puppe sedentem
Tam magno petiere mari? si gloria leti
Est pelago donata mei, bellisque negamur;
Intrepidus, quamcunque datis mihi numina, mortem
Accipiam. licet ingentes abruperit actus
660 Festinata dies fatis: sat magna peregi.
Arctoas domui gentes: inimica subegi
Arma metu: vidit Magnum mihi Roma secundum.
Jussa plebe tuli fasces per bella negatos:
Nulla meis aberit titulis Romana potestas.
665 Nesciat hoc quisquam, nisi tu, quae sola meorum
Conscia votorum es, me, quamvis plenus honorum,
Et Dictator eam Stygias, et Consul ad umbras,
Privatum, Fortuna, mori. mihi funere nullo
Est opus, o Superi: lacerum retinete cadaver
670 Fluctibus in mediis: desint mihi busta rogusque,

656. magno, *g* man. sec. b. 659. ingentis, d. 664. titul'*is*, *is* man. alia, quae in margine quoque scripsit *titulis*, c. 665. Nesciet, a. d. et c, correcta *t* ex *r*. Nec sciet, b. 666. votorum et *vel fatorum*, a. 667. umbras et *vel undas*, a.

Codex Collegii Trinitatis, QUANTUSNE.

665. *Jussa plebe tuli fasces per bella negatos:]* Quomodo *negatos per bella*, quos per bella civilia obtinuit? Corrigo,

Jussa plebe tuli fasces per MURA *negatos.*

665. *Nesciat] Nesciat*, hoc esset: *omnes hoc sciant, nisi tu, o Fortuna.* Atqui contrarium voluit poeta. Lege,

NE SCIAT *hoc quisquam, nisi tu.*

Ovid. Fast. III, 489,

Ne sciat *hoc quisquam*, *tacitisque doloribus urar.*

Ubi hunc Lucani locum recte emendavit acutissimus Nic. Heinsius. Operose haec vir magnus. Verior tamen simpliciorque sensus est: Nemo sciat modum et genus mortis meae; *privatum*, solum, plebis habitu, sine fascibus et potestatis insignibus, mori. Retinete, o dii, cadaver in medio profundo, ne orbis sciat me sic periisse.

Digitized by Google

Dum metuar semper, terraque expecter ab omni.
Haec fatum decimus, dictu mirabile, fluctus
Invalida cum puppe levat: nec rursus ab alto
Aggere dejecit pelagi, sed pertulit unda,
675 Scruposisque angusta vacant ubi littora saxis,
Imposuit terrae. pariter tot regna, tot urbes
Fortunamque suam tacta tellure recepit.
Sed non tam remeans Caesar jam luce propinqua,
Quam tacita sua castra fuga comitesque fefellit.
680 Circumfusa duci flevit, gemituque suorum,
Et non ingratis incessit turba querelis.
Quo te, dure, tulit virtus temeraria, Caesar?
Aut quae nos viles animas in fata relinquens,
Invitis spargenda dabas tua membra procellis?
685 Cum tot in hac anima populorum vita salusque
Pendeat, et tantus caput hoc sibi fecerit orbis,
Saevitia est voluisse mori. nullusne tuorum
Emeruit comitum, fatis non posse superstes.

671. exspector, d. 674. pertulit, et in margine "*protinus*, c. 678. tam non, c. 680. gemitusque, a. b. d. et in margine c man. alia, in textu gemituque, sed post *u* aliquid deletum est. 681. ingratas, a. b. ingessit, a. b. d. incessit, c. correcta *c*, et in margine *in cessit* man. alia. querelas, a. b. 684. Invisis, a. c. et b, man. sec. in membr. erasa.

674. — *sed pertulit unda,*] Codex Pulmanni, *pertulit* ILLUM.

675. *Scruposisque angusta vacat ubi littora saxis*] Bentl. ad Cicer. Tuscul. Quaest. IV, 14. p. 62. Davis. Edit. Imae ex nostro aliisque locis Virgilii, Pacuvii demonstrat, *scrupeus* et *scruposus* aptissimum esse epitheton cautibus. WEB.

680. *Circumfusa duci flevit, gemituque suorum,*] Haec scabra et impolita sunt, nec a poetae manu. Lege,

Circumfusa duci FLETU *gemituque suorum,*
Et non ingratis incessit turba querelis.

686. — *et tantus caput hoc sibi fecerit orbis,*] Non placet illud *tantus*, quasi hic de orbis mensura ageretur. Corrige,

Digitized by Google

Esse tuis? cum te raperet mare, corpora segnis
690 Nostra sopor tenuit. pudet heu! tibi causa petendae
Haec fuit Hesperiae? visum est committere quemquam
Tam saevo crudele mari? sors ultima rerum
In dubios casus, et prona pericula mortis
Praecipitare solet. mundi jam summa tenentem
695 Permisisse mari! tantum quid numina lassas?
Sufficit ad fatum belli favor iste laborque
Fortunae, quod te nostris impegit arenis?
Hinc usus placuere Deum, non rector ut orbis,
Nec dominus rerum, sed felix naufragus esses?
700 Talia jactantes, discussa nocte, serenus
Oppresit cum sole dies, fessumque tumentes
Composuit pelagus ventis patientibus undas.
Nec non Hesperii lassatum fluctibus aequor
Ut videre duces, purumque insurgere coelo

693. versus in margine scriptus est, c. et *saeva* c. mortis, superne scriptum *vel a*, a. 697. belli fatum, c. 698. Hi, superne *vel Hinc*, b. 701. Obrepsit, d. 704. puroque, c.

Et TOTUS *caput hoc sibi fecerit orbis.*

690. — *pudet heu! tibi causa petendae Haec fuit Hesperiae? visum est committere quemquam Tam saevo crudele mari?]* Tolle notas interrogationis. Sententia est: Ipse petisti Hesperiam quia tibi visum est crudele quenquam alium eo mittere.

696. *Sufficit ad fatum belli favor iste laborque Fortunae,]* Suspensum hoc est et ambiguum: *belli favor*, et omnino recipiendum est, quod Bersmanni codex suppeditat,

Sufficit ad belli fatum *favor iste laborque Fortunae.*

704. — *purumque insurgere coelo Fracturum pelagus Boream,]* Nihil quicquam vidi absurdius. Quomodo *purus*, sine nube et nimbo, si *fracturus* est pelagus? Cur ideo *solvere carinas?* quia fractum iri mare sperabant? illud quoque non placet, *purum Borean:* caelum potius *pu-*

705 Fracturum pelagus Boream, solvere carinas,
Quas ventus, doctaeque pari moderamine dextrae
Permistas habuere diu: latumque per aequor,
Ut terrestre, coit, consertis puppibus, agmen.
Sed nox saeva modum venti, velique tenorem
710 Eripuit nautis, excussitque ordine puppes.
Strymona sic gelidum, bruma pellente, relinquunt
Poturae te, Nile, grues, primoque volatu
Effingunt varias, casu monstrante, figuras.
Mox ubi percussit tensas Notus altior alas,
715 Confusos temere immistae glomerantur in orbes,
Et turbata perit dispersis littera pennis.
Cum primum redeunte die volentior aer

705. Borea*n*, b. d. 708. pu*p*ibus, c. 711. Str*i*mona, c. Strymona, *r* manus sec. addidit, b. relinque*t*, a. 712. po'ture, c. volatu, *o* correcta est, c. 713. va*n*as, c. 714. *d*ensas, a. d. et pro varia lectione b. tensas, b. et pro varia lectione, a. 715. in*ne*xae et pro varia lectione *immix*tae, a. 716. litora, a. 717. au*st*er, et *vel aer*, b.

rum, quam *ventum purum*. Et commode sane codex Bersmanni PURO. Repone igitur,

— PUROQUE *insurgere cœlo*
STRATURUM *pelagus Boream*.

Virgilius VIII, 89, [Aen.]

Mitis ut in morem stagni placidaeque paludis
Sterneret aequor *aquis*.

et V, 763,

— *placidi* straverunt aequora *venti*.

Ovid. Heroid. VII, [49.]

Jam venti ponent, strataque *aequaliter unda*.

et XIX, [207.]

Spes tamen est stratis *vicinae pacis in undis*.

Sed et hic fertur eodem mendo FRACTIS.

706. *Quas ventus, doctaeque pari moderamine dextrae Permistas habuere diu:] Doctas manus* de pictore, sculptore, etc. facile ferrem, sed de remige, praesertim de omnibus, non patior. Repone,

Quas ventus DUCTAEQUE *pari moderamine dextrae*.

Debetur hoc magno Fr. Gronovio Observ. I, 13.

708. *Ut terrestre, coit, conser-*

Digitized by Google

Puppibus incubuit, Phoebeo concitus ortu,
Praetereunt frustra tentati littora Lissi,
720 Nymphaeumque tenent, nudas Aquilonibus undas.
Succedens Boreae jam portum fecerat Auster.
Undique collatis in robur Caesaris armis,
Summa videns duri Magnus discrimine martis
Jam castris instare suis: seponere tutum
725 Conjugii decrevit onus, Lesboque remotam,
Te procul a saevi strepitu, Cornelia, belli
Occulere. Heu quantum mentes dominatur in aequas

719. Lissi, *i* man. alia correcta, antea *a* fuisse videtur, c. 720. Nimph. b. c. d. nudas et in margine man. alia *vel udas*, c. 723. Magnus duri, a. diri, c. 724. se ponere, c. d. tutum, man. sec. in membr. erasa, b. 725. honus, c. remota, a. c. d. 727. Oculere, b.

tis puppibus, agmen.] Altero mox versu *puppes.* Lege,

— *consertis* PASSIBUS *agmen.*

Consertis, id est, conjunctis, consociatis. Vide Lex. *Passus.*

721. *Succedens Boreae jam portum fecerat Auster.]* Lucanus hanc Antonii classem *Borea* vectam narrat, *vs.* 705, *Puroque insurgere caelo Straturum pelagus Borean solvere carinas.* Caesar contra Civil. III, 26. *Nacti* Austrum *naves solvunt*, et mox, *Idem* Auster *increbuit.* Noster hic dicit Nymphaeum Aquilonibus sive Boreae *nudum* et expositum esse, sed ab *Austro* tutum. At Caesar, *Is portus*, ait, *ab* Africo *tegebatur*, *ab* Austro *non erat tutus: unde, incredibili felicitate*, Auster, *qui per biduum flaverat, in* Africum *se vertit.* Haec plane adversis frontibus pugnant. Conciliari tamen possunt, si in Caesare pro *Austrum* toties *Caurum* legamus. Nam *Caurus* sive *Corus*, proximus Aquiloni, est Lucani *Boreas*, et Africus, proximus Austro, est *Auster* Lucani.

725. — *Lesboque remotam, Te procul]* Ferri hoc potest: sed placet plurium codicum lectio,

— *Lesboque* REMOTA,
Te procul a saevi strepitu, Cornelia, belli
Occulere.

Sic *remotae Gades, remoti Britanni.* Si *Lesbos ipsa remota*, tum certe Cornelia *procul:* at si *Cornelia remota*, utrum procul sit necne, non dicitur.

Digitized by Google

Justa Venus! dubium, trepidumque ad proelia, Magne,
Te quoque fecit amor: quod nolles stare sub ictu
730 Fortunae, quo mundus erat Romanaque fata,
Conjux sola fuit. mentem jam verba paratam
Destituunt, blandaeque juvat ventura trahentem
Indulgere morae, et tempus subducere fatis.
Nocte sub extrema, pulso torpore quietis,
735 Dum fovet amplexu gravidum Cornelia curis
Pectus, et aversi petit oscula grata mariti:
Humentes mirata genas, percussaque caeco
Vulnere, non audet flentem deprendere Magnum.
Ille gemens, non nunc, vita mihi dulcior, inquit,
740 Cum taedet vitae, laeto sed tempore, conjux,
Venit moesta dies, et quam nimiumque parumque
Distulimus: jam totus adest in proelia Caesar.
Cedendum est bellis: quorum tibi tuta latebra
Lesbos erit, desiste preces tentare: negavi
745 Jam mihi: non longos a me patiere recessus.
Praecipites aderunt casus: properante ruina,
Summa cadunt. satis est audisse pericula Magni.

728. Magne ad proelia, a. 729. quo, b. stare, *ar* man. alia in membr. erasa, *st* ex *n* correctae, et in margine "*stare*, c. 732. juvat et *vel juvant*, a. 733. morae sine *et*, b. d. 734. extrema, *tr* man. alia correctae sunt, c. tẽpore, superne scriptum *tor*, c. 739. vita non nunc, a. 740. Quem, a. b. te *det*, d. 743. Credendum, d. 744. negandi, et superne legitur *vel vi*, a. 747. cadent, d. et man. sec. b. antea cad*un*t.

741. — *nimiumque parumque Distulimus*] Bene explicat vetus scholiastes: *nimium ad belli rationem: parum ad effectum.* Grotius. In scholiastae verbis pro *effectum*, lege *affectum*.

Digitized by Google

Meque tuus decepit amor, civilia bella
Si spectare potes. nam me, jam marte parato,
750 Securos cepisse pudet cum conjuge somnos,
Eque tuo, miserum quatient cum classica mundum,
Surrexisse sinu. vereor civilibus armis
Pompejum nullo tristem committere damno.
Tutior interea populis, et tutior omni
755 Rege late, positamque procul fortuna mariti
Non tota te mole premat. si numina nostras
Impulerint acies, maneat pars optima Magni;
Sitque mihi, si fata premant victorque cruentus,
Quo fugisse velim. vix tantum infirma dolorem

749. jam me, b. 750. Securos, *o* ex *u* correcta man. alia, c. sompnos, ut semper, c. 751. quatiunt miserum, a. b. c. d. 758. prement, c. et pro varia lectione a.

751. — *miserum quatient cum classica mundum,]* Meliores codices, QUATIUNT. Recte: praestertim cum addat, *Surrexisse.*

752. — *vereor civilibus armis Pompejum nullo tristem committere damno.]* Pudet me in hoc civili bello, quo omnes conjugibus ac liberis carere debent, laetum ob uxoris praesentiam conspici. GROTIUS. Immo, ut Fortunae hominumque invidiam placem, hoc me infortunio macto, quod te caream.

758. — *si fata premant victorque cruentus,]* Atqui altero abhinc versu habuimus, *Non tota te mole premat.* Et hic requiritur sensus plane diversus. Repone,

Sitque mihi, si fata SINANT
victorque cruentus,
Quo fugisse velim.

Si victus non in proelio occidero, sit quo fugisse velim; si victor *sinat*, si me non persequatur, aut intercipiat. Cum hoc non caperent librarii, illud *premant* ex proximo versu adciverunt.

759. — *vix tantum infirma dolorem Cepit.]* *Cepit* hic est *sustinuit*, *pertulit*, ut *adversa capere*, fortiter ferre. Quid ergo hic facit *infirma?* An mirum, si mulier, semper alias *infirma*, tantum dolorem vix ceperit? Quanto melius, quod alii codices suggerunt,

— *vix tantum* FIRMA *dolorem*
Cepit.

Cum ad cetera firmo animo esset, huic tanto dolori paene succubuit. Ipse Lucanus infra 797, de eisdem,

Digitized by Google

760 Cepit, et attonito cesserunt pectore sensus.
Tandem ut vox moestas potuit proferre querelas:
Nil mihi de fatis thalami Superisque relictum est,
Magne, queri: nostros non rumpit funus amores,
Nec diri fax summa rogi: sed sorte frequenti,
765 Plebejaque nimis careo dimissa marito.
Hostis ad adventum rumpamus foedera tedae:
Placemus socerum. sic est tibi cognita, Magne,
Nostra fides? credisne aliquid mihi tutius esse,
Quam tibi? nonne olim casu pendemus ab uno?
770 Fulminibus me, saeve, jubes tantaeque ruinae
Absentem praestare caput? secura videtur
Sors tibi, cum facias etiam nunc vota, perisse,

761. Tandem vix, b. c. Vix tandem, a. proferre, correctum man. alia ex perferre, b. quod in d. legitur. *loquelas*, a. 764. *querenti* et inter lineas scriptum est *vel frequenti*, c. 765. *que*, manus alia addidit, c. demissa, c. 769. non, a. b. et d. qui pro glossa *nonne* habet. *nn*, et in margine *nin vel nos*, c. 770. Fulminibus, et in margine man. alia *fluminibus*, c. 771. *servare*, a. cap, post *p* aliquid deletum est, c. 772. nunc, *unc* man. sec. in membr. erasa, b. perisse, ante *i* aliquid deletum, c.

Nulla fuit tam moesta dies: nam cetera damna
Durata jam mente malis firmaque *tulerunt.*

761. *Tandem ut vox moestas potuit proferre querelas:]* Plerique omnes codices non *Tandem ut vox*, sed *Tandem* VIX. Notum *vix tandem*. Deinde Bersmanni unus, ex nostris duo LOQUELAS, non *querelas*. Et quidem altero versu iterum habemus *queri*. Lege,

Tandem VIX *moestas potuit proferre* LOQUELAS.

Virg. v, 843.

— puppique deus consedit in alta
Phorbanti similis, funditque has ore loquelas.

769. *— nonne olim]* Omnes fere codices, *non olim*.

772. *— cum facias etiam nunc*

Digitized by Google

Ut nolim servire malis: sed morte parata,
Te sequar ad manes. feriat dum moesta remotas

743. malis?, d. sorte, superne scripta *m*, c, et a, qui pro varia lectione *morte* habet.

vota, perisse, Ut olim servire malis:] Aliter haec distinguenda hunc in modum:

— securа videtur
Sors tibi, cum facias etiam nunc vota perisse?
Ut nolim servire malis, sed morte parata
Te sequar ad manes, feriat dum moesta remotas
Fama procul terras, vivam tibi nempe superstes.
Adde, quod assuescis fatis, etc.

Dixerat Pompejus:

Tutior interea populis, et tutior omni
Rege late.

Regerit Cornelia, quomodo fieri possit, ut ipsa secura sit, cum Pompejus ipse eo loco positum se sentiat, ut mortuum se quam vivum malit. Nam et hoc dixerat, [*v.* 740.]

— non nunc vita mihi dulcior, inquit,
Cum taedet vitae, laeto sed tempore conjux.

Quomodo ergo, ait Cornelia, ego secura ero, cum tibi mors in voto sit? Deinde fac, me satis fortem futuram, ut tibi superesse nolim, tamen tam diu saltem superero, donec nuntius cladis ad me advenerit. Jam vero et hoc ipsum metuo, ut satis fortis sim ad mortem capessendam, postquam a te seposita dicero te carere. Illud autem *assuescis* sitne erratum scribarum pro assuefacis, an hic, ut alibi, Hispaniensis poeta a puritate Latini sermonis desciverit, in medio relinquam. Grotius. In hac viri magni annotatione, ἐν μὲν κακὸν, ἐν δὲ καὶ ἐσθλόν. Recte vidit, plenam distinctionem ponendam esse post *perisse:* in ceteris vix poetae mentem assecutus est.

Fulminibus me, saeve, jubes tantaeque ruinae
Absentem praestare caput? secura videtur
Sors tibi: cum facias etiam nunc vota, perisse.

Quaenam illa vota, quae jam nunc perierunt? Vota uxoris amantissimae, *tecum vivere amo, tecum obeam libens.* Si tu in proelio cadis, perit hoc votum; quia tam diu superstes tibi vivam, dum mortis tuae fama ad Lesbon perfertur. Hoc in versibus sequentibus latius describit, 743,

Ut nolim servire malis, sed morte parata
Te sequar ad manes; feriat dum moesta remotas
Fama procul terras, vivam tibi nempe superstes.

Hoc vult, ut jam dixi, et recte Grotius: *Fac, ut tibi superesse nolim, tamen tam diu saltem superero, donec nuntius cladis ad me advenerit.* Sed quid quae-

Digitized by Google

775 Fama procul terras, vivam tibi nempe superstes.
Adde, quod assuescis fatis, tantumque dolorem
Crudelis me ferre doces. ignosce fatenti:
Posse pati, timeo. quod si sunt vota, Deisque
Audior, eventus rerum sciet ultima conjux.
780 Sollicitam rupes jam te victore tenebunt,
Et puppim, quae fata feret tam laeta, timebo.
Nec solvent audita metus mihi prospera belli,
Cum vacuis projecta locis a Caesare possim
Vel fugiente capi. notescent littora clari

778. *sint*, *nt* in membr. erasa, c. 780. te et *vel me*, a. 781. *ferat*, c. d. et b., correcta *a* ex *i*. 782. bell*a*, a. c. d. et pro varia lectione b. bell*i*, pro varia lectione in c.

so est servire malis? non cum barbaro hoste, nec latrone res erat. Codex Trinitatis *servare*, propius vero. Lege,

Ut nolim SUPERARE *malis, sed morte parata*
Te sequar.

Superare idem est, quod *superesse*. Virgilius Aeneid. III, 339,

— superatne, *et vescitur aura?*

et II, 643,

Vidimus excidia, et captae superavimus *urbi.*

Jam vero cum addit vir doctus, *Et hoc ipsum metuo, ut satis fortis sim animo ad mortem capessendam, postquam a te seposita didicero te carere*, tota errat via. Plane contrarium, ut par erat, dicit Lucanus:

Adde, quod assuescis fatis, tantumque dolorem,
Crudelis, me ferre doces. ignosce fatenti:
Posse pati, timeo.

Haec ad id pertinent, quod Pompejus dixerat, 756.

— *si numina nostras*
Impulerint acies, maneat pars optima Magni.

si ego morior, tu saltem pars mei melior vive. Illa ad hoc respondet:

— *ignosce fatenti:*
Posse pati, timeo.

Ignosce mihi timorem meum fatenti; cupida moriendi id metuo, ne sustineam vivere. Ovid. Metam. X, 25.

Posse pati *volui, nec me tentasse negabo:*
Vicit amor.

Pati idem esse quod *vivere*, ipse Grotius notaverat ad versum 314, *Disce sine armis Posse pa-*

Digitized by Google

785 Nominis exilio, positaque ibi conjuge Magni,
Quis Mitylenaeas poterit nescire latebras?
Hoc precor extremum, si nil tibi victa relinquent
Tutius arma fuga, cum te commiseris undis,
Quolibet infaustam potius deflecte carinam:
790 Littoribus quaerere meis. Sic fata, relictis
Exiluit stratis amens, tormentaque nulla
Vult differre mora. non moesti pectora Magni
Sustinet amplexu dulci, non colla tenere:
Extremusque perit tam longi fructus amoris:
795 Praecipitantque suos luctus: neuterque recedens
Sustinuit dixisse vale, vitamque per omnem
Nulla fuit tam moesta dies. nam cetera damna
Durata jam mente malis firmaque tulerunt.
Labitur infelix, manibusque excepta suorum
800 Fertur ad aequoreas, ac se prosternit, arenas,
Littoraque ipsa tenet, tandemque illata carinae
est.

786. Miteleneas, b. Mitilen. c. d. possit, c. 787. relinquunt, c. 793. amplexu non dulcia, d. 795. Precipitatque, c. In a. hic et seqq. versus mutato ordine ita leguntur: Praecip. — luctus, vit. — omnem, Nulla — dies neuterque recedens, Sustinuit — vale. nam etc.

ti: sed animum jam non advertebat. Porro, quod dubitat, *assuescis malis* pro *assuefacis* sit librariorum erratum, an culpa et idiotismus Lucani, de utroque securus esto. Priscianus p. 793, *Assuesco absolutum est: invenitur tamen pro assuefacio: Lucanus in Quinto, Adde quod assuescis fatis: pro assuefacis.* Virgilius Aeneid. VI, 852.

Ne, pueri, ne tanta animis assuescite bella.

798. *Durata jam mente malis firmaque tulerunt]* Dici *mentem firmare* et *durare*, docet nostro et multis aliis locis Bentl. ad Horat. Carm. III, 24, 54. Wer.

799. *Labitur infelix,]* Atqui tertio abhinc versu rursus habes,

Non sic infelix patriam portusque reliquit
Hesperios, saevi premerent cum Caesaris arma.
Fida comes Magni, vadis duce sola relicto,
805 Pompejumque fugis, quae nox tibi proxima venit,
Insomnis, viduo tum primum frigida lecto,
Atque insueta quies uni, nudumque marito
Non haerente latus, somno quam saepe gravata
Deceptis vacuum manibus complexa cubile est,
810 Atque oblita fugae quaesivit nocte maritum!

802. Nō, *o* correcta ex *c*, ut videtur, man. sec. b. 804. vadi*t*, a. b. c. d. vadi*s* pro varia lectione, a. b. relict*a*, et *vel o*, b. 805. fugi*t*, c. d. et a. b. qui pro varia lectione fugi*s* habent. sibi, a. b. et pro varia lectione *t*ibi; sibi, et supra scriptum *tibi* sine nota, c. 806. tu*nc*, d. 807. nudumque, *nud* man. sec. b. 808. quam somno, a. *vel quam* inter lineas legitur, in linea ipsa vocabulum aliquod deletum, b.

et in eadem caesura, *Non sic infelix*. Dederit potius poeta,

Labitur EXANIMIS, *manibusque excepta suorum.*

Quod loco aptius est, quam illud *infelix*, etiamsi non denuo rediret. Virgilius quidem bis habet, [G. III, 498. A. V, 329.] *Labitur infelix*, et appositissime: sed vel ea causa Noster non sic diceret: noluisset enim a Virgilio, quem aemulabatur, hemistichium mutuari.

809. *Deceptis vacuum manibus complexa cubile est,*] In tenerrima hac allocutione saepius dormitarunt librarii. Nam in ipso principio,

Fida comes Magni, vadis *duce sola relicto,*

Pompejumque fugis? *quae nox* tibi *proxima venit?*

Plerique omnes codices, nostri certe universi, *vadit*, *fugit*, *sibi* habent, et pulcherrimum pathos plane strangulant. Cum viri igitur docti ex uno vel altero codice tria ista receperunt, cur non cetera ad eandem normam, etiamsi ex nullo?

Deceptis vacuum manibus complexa cubile ES,

Atque oblita fugae QUAESISTI *nocte maritum.*

non, ut nunc, *quaesivit:* et iterum *vs.* 813, pro *timebat*,

Servatur pars illa tori, caruisse TIMEBAS

Pompejo.

Digitized by Google

Nam, quamvis flamma tacitas urente medullas,
Non juvat in toto corpus jactare cubili:
Servatur pars illa tori. caruisse timebat
Pompejo: sed non Superi tam laeta parabant.
815 Instabat, miserae Magnum quae redderet, hora.

811. *tectas*, a. b. c. d. in a. pro varia lectione legitur *tactas* et *tacitas*. urgente, a. b. c. d.

Explicit Lib. v. Incipit vi. a. Explicit quintus. Incipit sextus, c. ~~Incipit Liber~~ Sextus, d.

Digitized by Google

M. ANNAEI LUCANI
PHARSALIAE
LIBER SEXTUS.

Postquam castra duces, pugnae jam mente propinqui,
Imposuere jugis, admotaque comminus arma,
Parque suum videre Dei, capere omnia Caesar
Moenia Graiorum spernit, martemque secundum
5 Jam nisi de genero fatis debere recusat.
Funestam mundo votis petit omnibus horam,
In casum quae cuncta ferat. placet alea fati
Alterutrum mersura caput. ter collibus omnes
Explicuit turmas, et signa minantia pugnam,
10 Testatus nunquam Latiae se deesse ruinae.

3. capere, ante *p* aliquid deletum est, c. 4. sp*rev*it, a. 7. casum, *um* man. sec. b. 8. mersura, *r* ex *n* correcta, d. 10. Testatur, d. Latiae nunquam, a.

1. *Postquam castra duces, pugnae jam mente propinqui, Imposuere jugis.]* Quid est *propinqui mente?* Quibus porro *jugis?* Corrige,

Postquam castra duces, pugnae jam mente, PROPINQUIS
Imposuere jugis.

Sic IX, 225,

— *quorum unus aperta*
Mente fugae, *tali compellat voce regentem.*

10. *Testatus nunquam Latiae]* Verius et suavius Codex Bersmanni,

Testatus Latiae numquam *se deesse ruinae.*

Digitized by Google

Ut videt ad nullos exciri posse tumultus
In pugnam generum, sed clauso fidere vallo.
Signa movet, tectusque via dumosa per arva
Dyrrhachii praeceps rapiendas tendit ad arces.
15 Hoc iter aequoreo praecepit limite Magnus,
Quemque vocat collem Taulantius incola Petram,
Insedit castris, Ephyreaque moenia servat,
Defendens tutam vel solis turribus urbem.
Non opus hanc veterum, nec moles structa tuetur,

14. Dyrrachii, a. Dirrachii, d. ut semper. capiendas, b. 15. praecedit, c. d. sed *d* man. alia in membr. erasa c. 16. Quaeque, et *vel Quemque*, a. 17. Ephir. c. Epir. d. 19. moles, *l* in membr. erasa, c.

12. — *sed clauso fidere vallo,]* Scribe cum libris plurimis,

In pugnam generum: clauso sed *fidere vallo.*

13. — *tectusque via dumosa per arva]* Latet hic mendum, specie sua et fraude tectissimum. Nempe boni librarii *tectus* huc induxerunt ob illos *dumos.* Atqui qui tectam viam quaerit, ambages et dispendia viae sequitur: Caesar vero hic *praeceps* tendit. Quid quaeris? Repone,

Signa movet, RECTUSQUE VIAE *dumosa per arva*
Dyrrhachii praeceps *rapiendas* tendit *ad arces.*

Virgilius VIII, 594,

Olli per dumos, *qua* proxima meta viarum,
Armati tendunt.

Ideo per dumosa arva, quia recta ibat, non viae publicae tritaeque circuitu. *Rectus viae,* ut Seneca de vita beata cap. 6, *Beatus ergo est* judicii rectus.

19. *Non opus hanc veterum, nec moles structa tuetur, Humanusque labor,]* Cur sodes *veterum opus,* cum, quo vetustius est munimentum, tanto imbecillius sit? Cur etiam *humanus labor*? quo refertur? cui opponitur? An mirum est, adeo multis sordere hunc poetam, qui tot mendis conspurcatus sit? Repone ex codice Regio,

Non opus hanc SUPERUM, *nec moles structa tuetur,*
Humanusque labor.

Nec Dii nec homines hanc Petram munivertunt: ipsa suo situ et loci natura tuta est. *Opus Superum;* nempe ut Trojae moenia a Neptuno et Apolline structa. Noster infra 49,

Nunc vetus Iliacos attollat fabula muros,
Adscribatque deis.

Digitized by Google

20 Humanusque labor, facilis, licet ardua tollat,
Cedere vel bellis, vel cuncta moventibus annis.
Sed munimen habet nullo quassabile ferro,
Naturam, sedemque loci. nam clausa profundo
Undique praecipiti, scopulisque vomentibus aequor,
25 Exiguo debet, quod non est insula, colli.
Terribiles ratibus sustentant moenia cautes,
Ioniumque furens, rapido cum tollitur Austro,
Templa domosque quatit, spumatque in culmina pontus.

23. Naturam, *m* inserta est, c. 24. *mo*ventibus, b. c. d. 27. ra*b*ido, b. 28. domosque, *que* man. alia, c. *in* addita est serius. b, inter lineas scripta.

20. *Humanusque labor, facilis, licet ardua tollat, Cedere vel bellis, vel cuncta moventibus annis.]* Quid sibi vult illud *ardua tollat?* Si singularem vis numerum *ardua*, quid tollit? Si pluralem, quae sunt illa *ardua?* Corrige,

Humanusque labor, facilis, licet ardua SURGAT,
Cedere vel bellis, vel cuncta moventibus annis.

Moles humano labore *structa*, quantumvis ardua surgat, facilis tamen, etc. At librarii, qui *facilis* et *surgat* cum proximo nomine *labor* connectebant, id secumine suo videbant, *arduus* hoc pacto dicendum fuisse, non *ardua*. Ergo verbum deponens *surgat*, quo constructioni consulerent, verterunt in activum *tollat*.

24. *Undique praecipiti, scopulisque vomentibus aequor,]* MS. P.

— *nam clausa profundo*
Undique et illisum *scopulis* removentibus *aequor.*

Pro *removentibus* rectius forte *removentibus* legas. GROTIUS. Recipimus lectionem codicis Grotiani, nam *praecipiti profundo* nescio quid scit. Sed illud *removentibus* vel *revomentibus* non placet. Malim, quod alias Noster:

— *nam clauso profundo*
Undique ET ILLISUM *scopulis* FRANGENTIBUS *aequor.*

Recte *illisum*, ubi enim QUE semel hic insederat, restabat, ut *praecipiti* huc intruderent, quo colon scilicet clauderetur. Infra 266.

Frangentem fluctus scopulum ferit.

27. *Ioniumque furens, rapido cum tollitur Austro,]* Repone ex aliis codicibus *Rabido*. BENTL. Bentl. ad Horat. Epod.

Digitized by Google

Hinc avidam belli rapuit spes improba mentem
Caesaris, ut vastis diffusum collibus hostem
Cingeret ignarum, ducto procul aggere valli.
Metitur terras oculis: nec cespite tantum
Contentus fragili subitos attollere muros,
Ingentes cautes, avulsaque saxa metallis,
Graiorumque domos, direptaque moenia transfert.
Extruitur, quod non aries impellere saevus,
Quod non ulla queat violenti machina belli.
Franguntur montes, planumque per ardua Caesar
Ducit opus: pandit fossas, turritaque summis
Disponit castella jugis, magnoque recessu
Amplexus fines, saltus, nemorosaque tesqua,
Et silvas, vastasque feras indagine claudit.

29. *Huc*, a. b. c. d. et in a *vel Hinc*. 32. Metatur, a. d. 34. ingent*is*, d. 35. tra*xit*, d. 37. violenti — belli, et *vel* violento bello, a. 39. pandit et *vel pandunt*, a. turrita su*pre*mis, c. 41. tesca, c. 42. vasta*que*, a. b. c. d. *cing*it, d.

10, 19. utitur hoc et aliis locis, quibus comprobet, *Ionium* neutrius generis, subintellecto v. *mare*, saepius quam masculinum dici. WEB.

29. *Hinc avidam belli rapuit spes improba mentem]* Recte codex Collegii Trinitatis, hic. Ita semper poetae, ubi raptam occasionem notant. Virgilius XII, 411,

Hic *Venus indigno nati concussa dolore.*

et 554,

Hic *mentem Aeneae genitrix pulcherrima misit.*

38. — *planumque per ardua Caesar ducit opus:]* „*Intendere* pro augere, provehere, promovere passim occurrit; *tendere* in eo sensu legisse non memini. Lucanus tamen *ducit opus*, ubi Codex Collegii Trinitatis, notae sane optimae, *tendit opus*." Benil. ad Horat. Serm. II, 1, 2.

WEB.

42. *Et silvas, vastasque feras indagine claudit.]* Apage istas *vastas feras*, et repone ex omnibus quos vidi codicibus,

VASTAQUE *feras indagine claudit.*

Digitized by Google

Non desunt campi, non desunt pabula Magno,
Castraque Caesareo circumdatus aggere mutat.
45 Flumina tot cursus illic exorta fatigant,
Illic mersa suos: operumqua ut summa revisat,
Defessus Caesar mediis intermanet agris.
Nunc vetus Iliacos attollat fabula muros,
Adscribatque Deis: fragili circumdata testa
50 Moenia mirentur refugi Babylonia Parthi.
En quantum Tigris, quantum celer ambit Orontes,
Assyriis quantum populis telluris Eoae
Sufficit in regnum, subitum bellique tumultu
Raptum clausit opus. tanti periere labores!
55 Tot potuere manus adjungere Seston Abydo,
Ingestoque solo Phryxeum elidere pontum,

47. mediis — agris, et *vel* medio*s* — agro*s*, a. intermeat, *meat* in membr. erasa, c. 50. Babilonia, b. d. 51. *In*, a. b, man. sec. in membr. erasa; et pro varia lectione d, man. alia. E*t*, c. *At*, d. Or*u*ntes, c. 52. Ass*i*riis, c. d. ut semper. 55. a*ut* jungere, b. c. d. sed *aut* inter lineas; in linea aliquid deletum est, b. Ab*i*do, b. c. d. 56. elidere et *vel claudere*, man. alia, d.

45. *Flumina tot cursus illic exorta fatigant,]* Magis nitide varieque codex Bersmanni,

Flumina tot cursus, ILLINC *exorta*, *fatigant*,
Illic *mersa suos*.

50. — *refugi Babylonia Parthi.]* Laudat inter alios hunc locum Bentlej. ad Horat. Carm. II, 13, 17. quibus demonstret, *refugos* appellari *Parthos*.

WEE.

54. *Raptum clausit opus. tanti periere labores!]* Recte codex Regius CLAUDIT, idque ob illud XN, quod amat et ostendit tempus praesens. Noster I, 201,

En adsum *victor terraque marique*.

Virgilius, Aeneid. XII, 231,

En *omnes et Troes et Arcades hi* sunt.

Tum autem pro *tanti*, ut erigatur sententia, repone *quanti*.

Raptum CLAUDIT *opus*, QUANTI *periere labores!*

55. *Tu potuere manus adjungere Seston Abydo,]* Repone ex libris plerisque omnibus,

Digitized by Google

Aut Pelopis latis Ephyren abrumpere regnis,
Et ratibus longae flexus donare Maleae,
Aut aliquem mundi, quamvis Natura negasset,
60 In melius mutare locum. coit area belli:
Hic alitur sanguis terras fluxurus in omnes,
Hic et Thessalicae clades, Libycaeque tenentur.
Aestuat angusta rabies civilis arena.
Prima quidem surgens operum structura fefellit
65 Pompejum: veluti mediae qui tutus in arvis
Sicaniae rapidum nescit latrare Pelorum:
Aut vaga cum Tethys, Rutupinaque littora fervent,
Unda Caledonios fallit turbata Britannos.
Ut primum vasto septas videt aggere terras;

57. Ephiren, b. Epiren, c. *H*ephiren, d. 58. flexus et *vel* flex*um*, a. flexus, correctum e *fexus*, c. 60. area et *vel alea*, a. 61. flexurus, b. 64. structura, man. alia correctum ex *f*luctura, c. 65. *mediae*, in margine, nota addita, scriptum, b. tutus et *vel pulsus*, a. 66. Sicanae, a. rabidum, a. b. Pelorum, *rum* in membr. erasa, d. 67. *T*hetis, ut semper, d. 68. Calidonios, b. Caledonios, sed *c* man. alia in membr. erasa, c. 69. septas vasto, b.

Tot potuere manus AUT JUNGERE *Seston Abydo*, – – Aut *Pelopis latis.*

64. — *surgens operum structura fefellit Pompejum*, et 68. *Unda Caledonios fallit turbata Britannos]* „Non negaverim, *fallit* (λανθάνει elegante sane Graecismo) recte accusativum post se trahere; sic h. l. eodem plane sensu et constructione ponitur, ac apud Horat. Carm. III, 16, 51. *fallit sorte beatior fulgentem.* Graece dixeris: λήθην ἀνιεαμένη τὸν Πομπήϊον, λανθάνει ταραττομένη τοὺς Βρετάννας, λανθάνει εὐδαιμονεστέρα ἔσα τὸν ἄρχοντα." Bentl. ad Horat. l. l.

WEB.

66. *Sicaniae rapidum nescit latrare Pelorum.]* Iterum pro *rapidum* repone ex aliis codicibus RABIDUM: idque magis, ob *latrare.*

69. *Ut primum vasto septas videt aggere terras;]* Concinnius duo Palmanni codices,

Digitized by Google

70 Ipse quoque a tuta deducens agmina Petra
Diversis spargit tumulis, ut Caesaris arma
Laxet, et effuso claudentem milite tendat:
Ac tantum septi vallo sibi vendicat agri,
Parva Mycenaeae quantum sacrata Diana
75 Distat ab excelsa nemoralis Aricia Roma:
Quoque modo Romae praelapsus moenia Tybris
In mare descendit, si nusquam torqueat amnem.
Classica nulla sonant, injussaque tela vagantur:
Et fit saepe nefas, jaculum tentante lacerto.
80 Major cura duces miscendis abstrahit armis.
Pompejum exhaustae praebenda ad pabula terrae,
Quae currens obtrivit eques, gradibusque citatis
Ungula frondentem discussit cornea campum.
Belliger attonsis sonipes defessus in arvis,
85 Advectos cum plena ferant praesepia culmos,
Ore novas poscens moribundus labitur herbas,

70. agmin*a*, *a* ex *e* correcta, c. 71. tumulis, *s* in membr. erasa, c. 73. vindicat et *vel vendicat*, a, quod in b. legitur, sed correcta *e*. 76. Romae, in membr. erasa, b. *ad* moenia, d. Tibris, c. Thibris, d. 78. *injussaque* man. alia correctum ex in*vis*aque, superne *s* scripta, b. 80. duc*is*, d. et in margine, sine nota tamen, c. duces, correcta *e* man. sec. b. 81. pabula et *vel gramina*, a. 82. obtrivit, *trivit* in membr. erasa, c. 84. sonipes, correctis *ni* ex *ru*, man. alia, c. def*u*sus, a. defessus, sed *s* in membr. erasa, c. arvis, *v* in membr. erasa, c.

Ut primum septas vasto *videt aggere terras.*

76. — *praelapsus moenia Tybris]* Laudat hunc et alterum Nostri locum, x, 307, cum pluribus aliorum, Bentl. ad Horat. Carm. IV, 3, 10. ut *praelabi, praevehi* et similia de fluminibus dici doceat. WEB.

77. *In mare descendit, si nusquam torqueat amnem.]* Sic codices: sed reponendum puto,

Digitized by Google

Et tremulo medio abrumpit poplite gyros.
Corpora tum solvit tabes. et digerit artus.
Traxit iners coelum fluidae contagia pestis
90 Obscuram in nubem. tali spiramine Nesis
Emittit Stygium nebulosis aera saxis,
Antraque letiferi rabiem Typhonis anhelant.
Inde labant populi, coeloque paratior unda
Omne pati virus duravit viscera coeno.
95 Jam riget atra cutis, distentaque lumina rumpit:
Igneaque in vultus, et sacro fervida morbo
Pestis abit, fessumque caput se ferre recusat.
Jam magis atque magis praeceps agit omnia fatum:
Nec medii dirimunt morbi vitamque necemque:
100 Sed languor cum morte venit, turbaque cadentum
Aucta lues, dum mista jacent incondita vivis
Corpora: nam miseros ultra tentoria cives
Spargere, funus erat. tamen hos minuere labores
A tergo pelagus, pulsusque Aquilonibus aer,

87. abr*u*pit, c. 88. cum, a. *d*um, d. digerit, et *vel degerit*, a. digerit, sed *gerit* man. alia in membr. erasa, c. 89. flu*v*idae, b. fluidae, *i* in membr. erasa, c. 90. Ne*s*sis, a. b. d. sed *s* in membr. erasa, b. Nes*sus*, c. 91. E*t* mittit, b. 92. T*i*phonis, *s* man. alia, c. 94. pati virus, ante *v* aliquid deletum est; *ti vi* man. sec. in membr. erasa, b. 98. agit, in membr. erasa, c. 99. di*ru*unt, c. 101. *ista*, superne scriptum *mixta*, man. alia et in margine manu Cod. *mixta*, c. jacent, man. sec. in membr. erasa, b. *man*ent, d. 102. *iam*, et *vel nam*, c. *ex*tra, c. 104. A tergo, antea *At ergo*, d. Aquilonibus, et *vel* Aquilonic*us*, a.

In mare DESCENDAT, nusquam si *torqueat amnem.*

Digitized by Google

105 Littoraque, et plenae peregrina messe carinae.
At liber terrae spatiosis collibus hostis
Aere, non pigro, nec inertibus angitur undis:
Sed patitur saevam, veluti circumdatus arcta
Obsidione, famem. nondum surgentibus altam
110 In segetem culmis, cernit miserabile vulgus
In pecudum cecidisse cibos, et carpere dumos,
Et morsu spoliare nemus, letumque minantes
Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas:
Quae mollire queunt flamma, quae frangere morsu,
115 Quaeque per abrasas utero demittere fauces,
Plurimaque humanis antehac incognita mensis
Diripiens miles, saturum tamen obsidet hostem.
Ut primum libuit ruptis evadere claustris
Pompejo, cunctasque sibi permittere terras:
120 Non obscura petit latebrosae tempora noctis,
Et raptum furto, soceri cessantibus armis,

105. peregrina, *a* ex *e* correcta, c. 109. turgentibus, et superne scriptum *vel sur* man. sec. b. turgentibus, et in margine *surgentibus*, c. 111. carpere, *r* inserta, b. 112. Et *foliis*, b. 114. quae, man. alia correctum antea *quo*, c. *rumpere rictu*, d. *saxo*, et superne scriptum *vel morsu*, b. 115. abrasas ut̄o, ante *u* aliquid deletum est, lineola supra *t* man. alia, in margine man. alia *utero*, c. *dimittere*, a. c. 116. Plurima, omisso *que*, b. ante hoc, a. c. hec, d. 117. Deripiens, a. miles, in margine, nota addita, c. 118. *U* in *Ut* non legitur in b. raptis, c. castris, a. b. c. 119. cunctasque, *que* man. alia, c. 121. rapt*is*, a.

105. — *peregrina messe carinae.*] Lege MERCE.

112. *Et morsu spoliare nemus,*] Atqui iterum habemus altero post versu, *quae frangere morsu.* Reponenda igitur complurium codicum lectio,

Et FOLIIS *spoliare nemus.*

114. *Quae mollire queunt flamma,*] Codex Bersmanni QUEANT. Lege QUEAT: sequitur enim,

Digitized by Google

Dedignatur iter: latis exire ruinis
Quaerit, et impulso turres confringere vallo,
Perque omnes gladios, et qua via caede paranda est.
Opportuna tamen valli pars visa propinqui,
Quam Minuti castella vocant, et confraga densis

122. laxis, a. laetis, b. 123. impulsu — valli, a. et pro varia lectione b. impulsi — valli, et *vel impulso vallo* in margine man. alia, c. *impulso — vallo*, pro varia lectione in a. 124. pacta est et man. sec. *paranda est*, a. 125. Oportuna, b. c. d. pars, in membr. erasa, c. 126. Quam et *vel Qua*, a. Minuci, a. d. Minici, b. *Numici*, c. vocant, correcta *o* ex *a* man. alia, c. *vacant* pro varia lectione, a.

Diripiens miles, *saturam tamen* obsidet *hostem.*

122. — *latis exire ruinis*] Si attentius locum consideres, luxatum esse deprehendes,

— *latis exire ruinis*
Quaerit, et impulso turres confringere vallo,
Perque omnes gladios, et qua via caede paranda est.

Quid enim est, *confringere turres per omnes gladios?* Porro omnes nostri codices, *impulsi valli*, vel *impulsu*. Turres enim ipsius valli pars erant. Totum locum sic constitue,

— *latis exire ruinis*
Perque omnes gladios, et qua via caede paranda est,
Quaerit, et IMPULSI *turres confringere* VALLI.

125. *Opportuna tamen valli pars visa propinqui,*] Cur iterum *valli*, quod versu abhinc secundo habuimus? Repone MURI, ut supra v. 33, *Subitos attollere muros.* et infra 175, *Detrudit muris.* et 180, *Cadavera murum Admovere solo.* 280, *Invenit impulsos presso jam pulvere muros.*

126. *Quam Minuti castella vocant,*] Minutii cujusdam in hac historia meminit Appianus [de b. c. II, 60.]. Si id nomen rectum est, fecit et hic in secunda systolen Lucanus. Ita enim peccata poetarum solemus ὑποκορίζεσθαι. At MS. P. et T. *Numici* habent. GROTIUS. Nihil opus est aut *systola* illa aut ὑποκορισμῷ. Codices omnes: *Minuci* vel *Minici*, et Appiano dicitur Μινύκιος: quod nomen secunda syllaba brevi est. Silius VII, 386.

Si factis nondum, Minuci, *te cauta probare.*

et 523.

Nec mora, disjecto Minuci *vecordia vallo.*

Minucius ille, ut Appianus narrat, φρούραρχος erat, *praefectus castello*, in quo Scaeva pugnabat, ipse quoque in ea pugna non Scaeva inferior.

Digitized by Google

Arboribus dumeta tegunt. huc pulvere nullo
Proditus agmen agit, subitusque ad moenia venit.
Tot simul e campis Latiae fulsere volucres:
130 Tot cecinere tubae. ne quid victoria ferro
Deberet, pavor attonitos confecerat hostes.
Quod solum valuit virtus, jacuere peremti,
Debuerant quo stare loco: qui vulnera ferrent
Jam deerant, nimbusque ferens tot tela peribat.
135 Tum piceos volvunt immissae lampadis ignes:
Tum quassae nutant turres, lapsumque minantur.
Roboris impacti crebros gemit agger ad ictus.
Jam Pompejanae celsi super ardua valli
Exierant aquilae: jam mundi jura petebant.

127. tegunt et *vel tenent*, a. *hac*, b. *hic*, c. d. in c superne scriptum *huc* man. alia. 128. *in* moenia, b, et pro varia lectione a. 129. versus ad marginem scriptus legitur addita *a* nota man. alia, quae ad v. 130. *b* adposuit, c. *e* in membr. erasa, e. 134. *agens*, a. nimbusque ferens et *vel et nimbus agens*, a. 135. volvunt, *o* man. sec. correcta, b. immensae et *vel emersae*, a. imm>sae et *vel emissae*, c. 136. turresque, *e* ex *i* man. alia correcta, in margine man. alia *turres*, c. lapsusque, c. 137. *vomit*, superne scriptum *vel gemit*, man. sec. b. 139. Exierant, *ant* ob erasam membr. inter lineas scriptae, c. patebant, a. b. c. d.

129. *Tot simul e campis Latiae*] Cur *e campis*, cum *in campis* essent; ut nonnulli codices hic praeferunt. Corrigendum et distinguendum:

Tot simul AC *campis Latiae fulsere volucres,*
Tot cecinere tubae; ne quid victoria ferro
Deberet, etc.

134. — *nimbusque ferens tot tela peribat.*] Dimidia pars codicum habet, *et nimbus agens*. Recte: non *ferens*, quia *ferrent* jam proximo versu habuimus,

— *qui vulnera ferrent*
Jam deerant et nimbus AGENS
tot tela peribat.

135. — *immissae lampadis*

Digitized by Google

140 Quem non mille simul turmis, nec Caesare toto
Auferret Fortuna locum, victoribus unus
Eripuit, vetuitque capi: seque arma tenente,
Ac nondum strato, Magnum vicisse negavit.
Scaeva viro nomen: castrorum in plebe merebat
145 Ante feras Rhodani gentes: ibi sanguine multo
Promotus Latiam longo gerit ordine vitem.
Pronus ad omne nefas, et qui nesciret, in armis
Quam magnum virtus crimen civilibus esset.
Hic ubi quaerentes socios jam marte relicto
150 Tuta fugae cernit, quo vos pavor, inquit, abegit
Impius, et cunctis ignotus Caesaris armis?
O famuli turpes, servum pecus, absque cruore

142. Eripuit, *i* ex *u* correcta, c. capi, *a* ex *e* correcta, c. 144. Sceva, *a* man. sec. in membr. erasa, c. 145. Rodani, d. gēs, c. 147. *in* omne, b. d. et pro varia lectione a. 150. Tōta, *u* man. sec. b. pavor, in fine versus, sed nota addita, b. inquid, ita semper, c. abegit et *vel adegit*, a. 152. versus non legitur in a et b.

ignes:] An una *lampas* tot manibus suffecit? Corrige sine dubio:

Tum piceos volvunt immissae LAMPADES *ignes:*
Tum quassae nutant turres.

146. — *Latiam longo gerit ordine vitem.*] Lege PRIMO. Livius XLII, 34, *Tribuni militares in legione prima* primum pilum *virtutis causa et assignarunt.* Tacitus Annal. I, 29, *Catonius* primi ordinis *centurio ad Tiberium mittitur.*

150. — *quo vos pavor, inquit, abegit Impius,*] Quid illud *abegit?* Nondum enim fugerant; *quaerebant* tantum, circumspectabant, qua tuto fugerant. Recte codex Collegii Trinitatis,

— *quo vos pavor, inquit,* ADEGIT
Impius.

152. *O famuli turpes, servum pecus, absque cruore*] Versus hic a melioribus codicibus aut abest, aut in margine vel inter lineas ponitur. Omnino ejiciendus est, ut *παπῶ κόμματος. O famuli turpes*, hoc ex lib. IX, 274, transductum est.

O famuli turpes, *domini post fata prioris*
Itis ad heredem.

Digitized by Google

Terga datis morti? cumulo vos deesse virorum
Non pudet, et bustis, interque cadavera quaeri?
155 Non ira saltem, juvenes, pietate remota,
Stabitis? e cunctis, per quos erumperet hostis,
Nos sumus electi. non parvo sanguine Magni
Ista dies ierit. peterem felicior umbras
Caesaris in vultu. testem hunc Fortuna negavit:
160 Pompejo laudante cadam. confringite tela
Pectoris incursu, jugulisque retundite ferrum.
Jam longinqua petit pulvis, sonitusque ruinae,
Securasque fragor concussit Caesaris aures.
Vincimus, o socii; veniet, qui vendicet arces,
165 Dum morimur. movit tantum vox illa furorem,
Quantum non primo succendunt classica cantu:

156. *in*rumperet, c. 157. Nos, *s* ex *n* correcta, c. 158. ierit, et superne scriptum *vel fuerit* man. alia, c. erit, d. peterem, *e* man. alia, inserta, c. velocior, c. 160. con*st*ringite, c. 161. incursu et *vel impulsu*, a. recondite, c. 164. *vin*dicet, ut semper, b. d. sed *vin* man. sec. in erasa membr. b. 166. succedunt, c. et b, in quo tamen manus alia *n* supra *e* addidit.

Tum illud *servum pecus* Horatii est, [Ep. 1, 19, 20.]

O imitatores, servum pecus!

Hic vero inepte assuitur; nam post *famuli turpes* et ταυτολόγον et minus est. Quin et illud prave, *absque cruore Terga dadis morti*; quasi vero, vulnere accepto, terga dare ac fugere honestum esset. Ceterum *morti* hic recipimus, non, quod alii codices, *marti*. Jam enim habuimus *marte relicto*.

161. — *jugulisque retundite ferrum.]* Laudat hunc locum Bentl. ad Horat. Carm. 1, 35, 38. ut *tundere, retundere ferrum* etc. dici doceat.

Wer.

164. *Vincimus, o socii;]* Lege vicimus. Livius xxi, 43, *Si quem animum paulo ante habuistis, eundem mox habueritis*, vicimus, *milites*. et mox. *Si hoc bene fixum omnibus destinatumque in animo est, iterum dicam*, vicistis.

Digitized by Google

Mirantesque virum, atque avidi spectare, sequuntur
Scituri juvenes, numero deprensa locoque,
An plus quam mortem virtus daret. ille ruenti
170 Aggere consistit, primumque cadavera plenis
Turribus evolvit, subeuntesque obruit hostes
Corporibus: totaeque viro dant tela ruinae,
Roboraque, et moles; hosti seque ipse minatur.
Nunc sude, nunc duro contraria pectora conto
175 Detrudit muris, et valli summa tenentes
Amputat ense manus: caput obterit ossaque saxo,
Ac male defensum fragili compage cerebrum
Dissipat: alterius flamma crinesque genasque
Succendit: strident oculis ardentibus ignes.
180 Ut primum cumulo crescente cadavera murum

167. a*vidi*, *vid* in membr. erasa, *v* man. sec. b. secuntur, ita semper, c. 171. *horruit*, c. 173. ips*e*, *e* ex *i* correcta man. alia, c. 174. gra, a c. 175. Detrudit, post *e* aliquid deletum est, d. 176. ense manus, in membr. erasa man. alia, c. *atterit*, a. 178. crine*m*que, d. 179. strid*unt*, et supra *u* scriptum *vel e*, b. strident, d. 180. cumulo, *c* ex *t* correcta man. alia, c.

169. *An plus quam mortem virtus daret.*] Cave, vel cum viro magno *victoriam* hic intelligas, vel cum aliis *famam et gloriam*. *Plusquam mortem* eodem sensu, quo versu operis primo, *Bella plusquam civilia*. Gravius quod bellum et crudelius quam civile; fortius quid et generosius, quam mortem ipsam capere, ut rei modus rem ipsam superet. Supra I, 461, *Animique capaces Mortis*. IV, 557,

— *minimumque in morte virorum*
Mors virtutis habet.

Ceterum illud *deprensa numero*, non sane arridet. Lego, *depressa virtus*, et numero et loco inferior. Sidonius Carm. V, [250.] ex nostro elegantissime,

— *si forte* premantur
Seu numero *seu* sorte loci;
mors obruit illos,
Non timor; invicti perstant animoque supersunt
Jam prope post animam.

Caesar Gall. VII, 50, *Cum hostes* loco et numero, *nostri virtute* considerent.

173. *Roboraque, et moles; hosti seque ipse minatur.*] Non

Admovere solo; non segnior extulit illum
Saltus, et in medias jecit super arma catervas,
Quam per summa rapit celerem venabula pardum.
Tunc densos inter cuneos compressus, et omni
185 Vallatus bello vincit, quem respicit, hostem.
Jamque hebes, et crasso non asper sanguine mucro
Percussum Scaevae frangit, non vulnerat, hostem.
Perdidit ensis opus, frangit sine vulnere membra.
Illum tota premit moles, illum omnia tela.
190 Nulla fuit non certa manus, non lancea felix:
Parque novum Fortuna videt concurrere, bellum
Atque virum. fortis crebris sonat ictibus umbo,
Et galeae fragmenta cavae compressa perurunt
Tempora: nec quicquam nudis vitalibus obstat
195 Jam, praeter stantes in summis ossibus hastas.
Quid nunc, vesani, jaculis levibusque sagittis
Perditis haesuros nunquam vitalibus ictus?

181. Admovere et in margine man. alia *Equavere*. e. 186. et 187. versus in inferiori marginis parte sine nota scripti leguntur, a. 189. p*e*tit, a. 194. T*i*mpora, b. d. et *i* man. alia correcta in *e*, c. 196. levibus*ve*, d. 197. hesur*as*, c.

placet *hosti* cum altero abhinc versu habuerimus, *subeuntesque obruit hostes*. Forte legendum,

Roboraque, et moles vastas, seque ipse minatur.

184. *Tunc densos inter cuneos compressus.]* Recte codex Pulmanni COMPRENSUS. et mox habemus, *compressa tempora* v. 193.

192. — *fortis crebris sonat ictibus umbo.]* Ride illum *fortem umbonem*, et repone,

Parque novum Fortuna videt concurrere, bellum
Atque virum FORTEM: *crebris sonat ictibus umbo.*

Seneca patruus de Providentia II, 12, *Ecce par deo dignum, vir fortis cum mala Fortuna compositus.* Hoc ipsum Lucanus coram oculis habuit.

Digitized by Google

Hunc aut tortilibus vibrata phalarica nervis
Obruat, aut vasti muralia pondera saxi:
Hunc aries ferro, ballistaque limine portae
Summoveat: stat non fragilis pro Caesare murus,
Pompejumque tenet: jam pectora non tegit armis:
Ac veritus credi clypeo, laevaque vacasse,
Aut culpa vixisse sua, tot vulnera belli
Solus obit, densamque ferens in pectore silvam,
Jam gradibus fessis, in quem cadat eligit hostem,
Par pelagi monstris. Libycae sic bellua terrae,
Getulus densis elephas oppressus ab armis,
Omne repercussum squalenti missile tergo
Frangit, et haerentes mota cute discutit hastas.
Viscera tuta latent penitus, citraque cruorem
Confixae stant tela ferae: tot facta sagittis,
Tot jaculis, unam non explent vulnera mortem.
Dictaea procul ecce manu Gortynis arundo

198. phalarica, *r* man. alia inserta, c. 200. *Aut* aries, a. ba*l*istaquè, b. c. *a* limine, d. 201. *Pr*omoveat, a. b. c. d. 203. cl*i*peo, b. c. d. ita semper. 205. *a*bit, c. 208. versus positus est ante vers. 207. et ita habet: *Sic libi*cus densis etc. d. *Sic* ·.· *libi*cus *f*essis, et in margine man. alia ·.· *Getulus densis*, c. *Sic Libi*cus, a. 209. *s*palenti, b. 212. *t*ala, b. *fixa*, c. d. 214. *C*ortinis *h*arundo, b. c. d. c in membr. erasa, b.

204. — *tot vulnera belli Solus obit,*] *Obire vulnera* non memini usquam legisse. Corrigo,

— *tot* MUNIA *belli*
Solus obit.

Noster v, 8, *Vagos belli per* munia *patres. obire munia* et *munera* passim habes.

207. *Par pelagi monstris.*] Et hoc quoque libri nonnulli agnoscunt. At MS. P. sic habet:

— *in quem cadat,*
eligit hostem.
Sic Libycus densis elephas oppressus ab armis.

Quod et ipsum puto esse ex secunda et meliore Lucani editione. Neque immerito repudiavit illud de pelagi monstris, ut alien-

Digitized by Google

215 Tenditur in Scaevam, quae voto certior omni
In caput atque oculi laevum descendit in orbem.
Ille moras ferri, nervorum et vincula rumpit,
Affixam vellens oculo pendente sagittam
Intrepidus, telumque suo cum lumine calcat.
220 Pannonis haud aliter post ictum saevior ursa,
Cum jaculum parva Libys amentavit habena,
Se rotat in vulnus: telumque irata receptum
Impetit, et secum fugientem circuit hastam.
Perdiderat vultum rabies: stetit imbre cruento
225 Informis facies: laetus fragor aethera pulsat
Victorum: majora viris de sanguine parvo
Gaudia non faceret conspectum in Caesare vulnus.
Ille tegens alta suppressum mente dolorem,
Mitis, et a vultu penitus virtute remota,
230 Parcite, ait, cives: procul hinc avertite ferrum:
Collatura meae nil sunt jam vulnera morti:
Non eget ingestis, sed vulsis pectore telis.
Tollite, et in Magni viventem ponite castris:
Hoc vestro praestate duci: sit Scaeva relicti

216. levi, c. 217. rupit, c. 218. tendente, superne scriptum *pen*, c. 224. vultu, sed erasa *m*, ut videtur, b. 226. viris *e* a. c. d. *et*, b. 228. *furorem*, a. c. d. et man. sec. in membr. erasa, b. 230. ait, *i* in membr. erasa, c. *o* cives, a. ferrum et in margine ..*bellum*, c. 231. Calcatura, et pro glossa, ut videtur, *inlatura*, d. nil jam sunt, d. 233. *im*ponite, c. 234. Sc*e*na, ita saepius, c.

num hoc loco. GROTIUS. Etiam codices, qui priorem versum agnoscunt, in secundo tamen plerique habent *Sic Libycus*, non *Getulus*: quod correctorum est.

221. *Cum jaculum parva Libys amentavit habena,*] Lege cui jaculum.

226. — *de sanguine parvo*] Plures et meliores E *sanguine*.

Digitized by Google

235 Caesaris exemplum potius, quam mortis honestae.
Credidit infelix simulatis vocibus Aulus:
Nec vidit recto gladium mucrone tenentem:
Membraque captivi pariter laturus et arma,
Fulmineum mediis excepit faucibus ensem.
240 Incaluit virtus: atque uno caede refectus
Solvat, ait, poenas, Scaevam quicunque subactum
Speravit: pacem gladio si quaerit ab isto
Magnus, adorato submittat Caesare signa.
An similem vestri, segnemque ad fata putastis?
245 Pompeji vobis minor est, causaeque Senatus,
Quam mihi mortis amor. Simul haec effatus, et altus
Caesareas pulvis testatur adesse cohortes.
Dedecus hic belli Magno crimenque remisit,
Ne solum totae fugerent te, Scaeva, catervae:

236. simula*n*tis, a. et inserta *n*, b. simulatis, sed *s* in membr. erasa, c. 237. trementem, b. c. qui *prementem* pro varia lectione man. alia praebet. 238. lat*u*rus, *u* man. alia in membr. erasa, *r* correcta est, in margine man. alia *laturus*, c. *et*, in memb. erasa man. alia, c. 241. Solvat, *a* man. alia in membr. erasa, c. 242. quaer*at*, a. 244. segnem *me esse*que, c. put*at*is, a. c. 245. Pomp*ei*, ut saepius, c. minor est vobis, a. 246. effatur, a. c. d. *a*ffatur, correcta *r* man. sec. in membr. erasa, b.

237. *Nec vidit recto gladium mucrone tenentem:*] Longe melius, quod alii codices habent, TREMENTEM; vel, si Scaevam ipsum mavis, et non gladium, PREMENTEM. Noster VII, 562, *Quae presso* tremat *ense manus.*

240. *Incaluit virtus:*] Ita dici et significari virtutem excitatam et auctam esse, docet Bentl. ex nostro et aliis locis ad Horat. Carm. III, 21, 12. WEB.

244. *An similem vestri, segnemque ad fata putastis?*] Omnes fere codices PUTATIS, et recte.

246. — *simul haec effatus, et altus*] Et sensus et sonus postulat, quod alii codices, EFFATUR.

Digitized by Google

250 Subducto qui marte ruis: nam sanguine fuso
Vires pugna dabat. labentem turba suorum
Excipit, atque humeris defectum imponere gaudet.
Ac velut inclusum perfosso in pectore numen,
Et vivam magnae speciem Virtutis adorant:
255 Telaque confixis certant evellere membris,
Exornantque Deos, ac nudum pectore Martem
Armis, Scaeva, tuis. felix hoc nomine famae,
Si tibi durus Iber, aut si tibi terga dedisset
Cantaber exiguis, aut longis Teutonus armis.
260 Non tu bellorum spoliis ornare Tonantis
Templa potes, non tu laetis ululare triumphis.
Infelix, quanta dominum virtute parasti!
Nec magis hac Magnus castrorum parte repulsus,

250. *non*, sanguine, a. d. 251. *dedit*, c. 252. hum*is*, >mau. alia, c. 253. veluti, d. *in*, serius addita, b. 255. certan*t*, *t* in membr. erasa, c. 259. exigu*us*, addita glossa, *i. alienus populus non civis*, d. Theutonus, b. 261. tro*phaeis*, a. 263. Nec et *vel Non*, c.

256. — *ac nudum pectore Martem*] Scribe PECTORA. Virgilius: [A. XI, 489.] *Nudus tempora.* [A. VIII, 425.] *Et nudus membra Pyracmon.*

257. — *felix hoc nomine famae*,] Sic infra 604,

Impia laetatur vulgatae nomine famae
Thessalis.

Sed codex Collegii Trinitatis hic habet, *felix hoc* MUNERE *famae.* Quod si cui abblandiatur, tum erit, *hoc mea munere, hoc carmine*, quo semper victurus es. Virgilius de Niso et Euryalo [A. IX, 446.],

Felices ambo, siquid mea carmina possunt.

Nam quod hic Scaevae, etiam Caesari ipsi imputare audet Noster, IX, 982,

Invidia sacrae, Caesar, ne tangere famae:
Venturi me teque legent.

263. *Nec magis hac Magnus castrorum parte repulsus*,] Idem codex MUROROUM. Recte. Vide supra ad *v.* 125.

Digitized by Google

Intra claustra piger dilato marte quievit,
265 Quam mare lassatur, cum se tollentibus Euris
Frangentem fluctus scopulum ferit, aut latus alti
Montis adest, seramque sibi parat unda ruinam.
Hinc vicina petens placido castella profundo
Incursu gemini martis rapit: armaque late
270 Spargit, et effuso laxat tentoria campo:
Mutandaeque juvat permissa licentia terrae.
Sic pleno Padus ore tumens super aggere tutas
Excurrit ripas, et totos concutit agros.
Succubuit si qua tellus, cumulumque furentem
275 Undarum non passa, ruit; tum flumine toto
Transit, et ignotos aperit sibi gurgite campos.
Illos terra fugit dominos; his rura colonis
Accedunt, donante Pado. vix proelia Caesar
Senserat, elatus specula quae prodidit ignis.
280 Invenit impulsos presso jam pulvere muros,
Frigidaque ut veteris deprendit signa ruinae;

264. Int> claustra, in margine man. alia sine nota *castra*, c. piger, *er* man. alia, c. 265. *Austris*, b. c. et pro varia lectione *Euris*, b. 266. fluctus, *uc* correctae man. sec. b. 267. adest, in membr. erasa, b. unda, *d* man. alia inserta, c. 268. H., punctum in membr. erasa, in margine man. alia *Hinc*, c. 269. late, correcta *a* ex *e*, b. 275. *tunc*, b. c. alia manus *nunc* scripsit, b. 278. vix et superne scriptum *mox*, a. 281. de-
h
pendit, lineola et *h* man. alia, c.

266. — *aut latus alti Montis adest*,] Id est adedit. Grotius. Quis umquam dixit *adest* pro *adedit?* Est, comest, exest; sed nusquam *adest* ob ambiguum. Latet aliquod mendum.

272. — *super aggere tutas Excurrit ripas, et totos concutit agros.*] Plane aliud quaerit comparationis hujus ratio ac sententia. Ubi ripae sunt firmae atque *aggere tutae*, illic intra alveum

Accendit pax ipsa loci, movitque furorem :
Pompejana quies, et victo Caesare somnus.
Ire vel in clades properat, dum gaudia turbet.
285 Torquato ruit inde minax: qui Caesaris arma
Segnius haud vidit, quam malo nauta tremente
Omnia Circeae subducit vela procellae:
Agminaque interius muro breviore recepit,
Densius ut parva disponeret arma corona.
290 Transierat primi Caesar munimina valli,
Cum super e totis emisit collibus agmen,
Effuditque acies obseptum Magnus in hostem.
Non sic Aetnaeis habitans in vallibus horret
Enceladum spirante Noto, cum tota cavernas

282. *illa*, c. 285. Torquato, *o* in membr. erasa, c. minax, *ax* man. sec. in membr. erasa, b. 286. haut, *h* man. alia, c. trementi, d. 287. subducit Circeae, b. d. procellae, *cellae* in membr. erasa, b. 289. ut, ante *u* videtur *a* fuisse, c. 291. emisit, et superne *vel in*, man. alia, c. arma, c. et pro varia lectione b. 292. obsessum, c. d. *obseptum* pro varia lectione, c. 294. Encheladus, c. Notho, *o* man. alia ex *u* correcta, c. *sic* tuba cavernas, et supra *tuba* scriptum *mota* sine nota, c.

continetur Padus; at sicubi ripae imbecilles sunt, ibi erumpit et ignotos sibi campos aperit. Quare sic lego,

Sic pleno Padus ore tumens
INTRA *aggere tutas*
DECURRIT *ripas*, NEC *totos*
concutit agros.

282. — *movitque furorem Pompejana quies, et victo Caesare somnus.*] Non placet *victo*; an ob tantillam rem victus Caesar? Corrigo,

— *movitque furorem*
Pompejana quies, INVITO ET
Caesare somnus.

291. *Cum super e totis emisit collibus agmen,*] Meliores libri IMMISIT. Super-immisit; ut in composito dicitur, *superingero*, *superinjicio*.

293. *Non sic Aetnaeis habitans in vallibus*] Jam viderunt viri docti legendum esse *Ennaeis*; ab *Enna* urbe prope Aetnam sita. Redit enim altero abhinc versu, *in campos defluit Aetna*. Sed locus majoribus adhuc men-

Digitized by Google

295 Egerit, et torrens in campos defluit Aetna:
Caesaris ut miles glomerato pulvere victus
Ante aciem, caeci trepidus sub nube timoris
Hostibus occurrit fugiens, inque ipsa pavendo
Fata ruit. totus mitti civilibus armis
300 Usque vel in pacem potuit cruor: ipse furentes
Dux tenuit gladios. felix ac libera legum,
Roma, fores, jurisque tui, vicisset in illo
Si tibi Sylla loco. dolet heu, semperque dolebit,

295. depluit, a. 296. viles, c. 297. cecidit, d. 298. pavendo, v correcta, c. 299. dimitti civibus, c. 301. regum, a. legum, sed l in membr. erasa, c.

dis obsitus opem nostram desiderat:

Non sic Ennaeis habitans in vallibus horret
Enceladum spirante Noto, cum tota cavernas
Egerit, et torrens in campos defluit Aetna:
Caesaris ut miles - - - -
- - - - - - - - - -
Hostibus occurrit fugiens.

Ubi vide loci ἀχολαθίαν. *Habitator ille non sic horret Enceladum, ut miles Caesaris,* horret aliquid, opinor: immo, ut miles *occurrit hostibus.* Hoccine placet? Quid vero est *spirante Noto?* Miserrimus sane habitator, si, quotiescumque Notus flat, Aetnae ruinis obruitur. Quid porro est *egerere cavernas?* ex cavernis aliquid egerat, sed ipsas cavernas qui possit? cum illae, siquid inde egeritur, majores relinquantur. Corrige et distingue,

Non sic Ennaeis habitans in vallibus horret,
ENCELADO *spirante*, NOTUM, *cum tota* RUINAS
Egerit, et torrens in campos defluit Aetna;
Caesaris ut miles glomerato pulvere victus, etc.

Horret Notum spirante Encelado. Sic tres habent Pulmanni codices, quos audire debuerunt interpretes. Multum interest inter duas istas lectiones. Si *horret Enceladum, spirante Noto;* tum Ennenses horrent Enceladum (sive Aetnam) etiam quiescentem, si ventus flat: quod falsum. *Notus* hic, ut *Auster* Virgilio (notante Servio), pro quolibet vento: species pro genere. At *horret Notum, Encelado spirante;* hoc est, Aetna incendium eructante, horrent ventum, ne favillas et turbinem totum in suos agros impellat. Non sic, ait, Ennenses, Aetna flammas egerente, horrent ventum, ut *miles Caesaris horrebat,* ventum scilicet, qui *glomerati pulveris* nubes in oculos eis ingessit. Recte autem, ut arbitror, *ruinas egerit.* Virgilius Aeneid. III, 573,

Horrificis juxta tonat Aetna ruinis.

Digitized by Google

Quod scelerum, Caesar, prodest tibi summa tuorum
305 Cum genero pugnasse pio. Pro tristia fata!
Non Uticae Libye clades, Hispania Mundae
Flesset, et infando pollutus sanguine Nilus
Nobilius Phario gestasset rege cadaver:
Nec Juba Marmaricas nudus pressisset arenas,
310 Poenorumque umbras placasset sanguine fuso
Scipio: nec sancto caruisset vita Catone.
Ultimus esse dies potuit tibi, Roma, malorum:
Exire e mediis potuit Pharsalia fatis.
Deserit adverso possessam numine sedem
315 Caesar, et Emathias lacero petit agmine terras.
Arma secuturum soceri, quacunque fugasset,
Tentavere sui comites divertere Magnum,
Hortati, patrias sedes, atque hoste carentem
Ausoniam peteret. Nunquam me Caesaris, inquit,
320 Exemplo reddam patriae, nunquamque videbit

304. *victor* prodest, c. 305. *suo*, superne scriptum *pio*, c. 309. Marmoricas, a. c. pressisset et *vel placasset*, a. 310. placaret, c. 313. Exire et *vel Exciri*, a. 314. *a*verso, a. d. 316. quacunque, *cun* in membr. erasa man. alia, c. fugasset, supra *a* scripta *i* man. sec. b. 317. devertere, a. b. c. d. *suo*, c. 318. Hortat*u*, d. Hortat*ur*, sed *r* man. alia addidit, c. in margine .*Hortari*. 320. patriae reddam, c.

312. *Ultimus esse dies potuit tibi, Roma, malorum:*] Duo optimi ex nostris, LABORUM. Placet. Hae voces passim inter se permutantur: ut II, 317,

Hic dabit, hic pacem jugulus finemque laborum.

codices fere omnes *malorum*.

314. *Deserit adverso possessam numine sedem*] Meliores codices AVERSO.

317. *Tentavere sui comites divertere Magnum,*] Meliores DEVERTERE. ut infra 591.

Quaeque suo ventura potes devertere *cursu*.

Digitized by Google

Me, nisi dimisso redeuntem milite Roma.
Hesperiam potui, motu surgente, tenere,
Si vellem patriis aciem committere templis,
Ac medio pugnare foro. dum bella relegem,
325 Extremum Scythici transcendam frigoris orbem,
Ardentesque plagas. victor tibi, Roma, quietem
Eripiam, qui, ne premerent te proelia, fugi?
Ah potius, ne quid bello patiaris in isto,
Te Caesar putet esse suam. sic fatus, in ortus
330 Phoebeos convertit iter, terraeque secutus
Devia, qua vastos aperit Candavia saltus,
Contigit Emathiam, bello quam fata parabant.
Thessaliam, qua parte diem brumalibus horis
Attollit Titan, rupes Ossaea coercet.
335 Cum per summa poli Phoebum trahit altior aestas,
Pelion opponit radiis nascentibus umbras.
At medios ignes coeli, rabidique Leonis

321. demisso, d. dimisso, *di* man. sec. renovatae; *o* in membr. erasa, b. 322. surgente motu, d. 328. Ac, a. b. d. *Ha* — bello ne quid, c. 329. putet, *e* ex *a* correcta, b. 332. Contingit, c. *quam* manus alia addidit in b. 334. Ossea, *a* man. alia addidit, c. 335. *estas*, *a* man. sec. in membr. erasa, b. 336. Peleon, d. opposuit, c. 337. rapidique, b. c. d.

325. *Extremum Scythici transcendam frigoris orbem,]* Sic nostri codices: sed elegantius est, quod Eutyches vetus Grammaticus nobis servavit p. 2176, *Relego, gas: ut Lucanus:*

— *dum bella relegem,*
Extremum Scythici transcendam frigoris AXEM.

328. *Ah potius, ne quid bello patiaris in isto,]* Concinnius alii codices,

Ah potius, bello ne quid *patiaris in isto.*

329. — *sic fatus, in ortus Phoebeos convertit iter,]* Quomodo *convertit iter*, qui nondum inceperat? Lege. CONTENDIT *iter;* ut unus Pulmanni codex.

Digitized by Google

Solstitiale caput nemorosus submovet Othrys.
Excipit adversos Zephyros, et Iapyga Pindus,
340 Et maturato praecidit vespere lucem.
Nec metuens imi Borean habitator Olympi
Lucentem totis ignorat noctibus Arcton.
Hos inter montes media qui valle premuntur,
Perpetuis quondam latuere paludibus agri:
345 Flumina dum campi retinent, nec pervia Tempe
Dant aditus pelago, stagnumque implentibus undis
Crescere cursus erat. postquam discessit Olympo
Herculea gravis Ossa manu, subitaeque ruinam
Sensit aquae Nereus: melius mansura sub undis,
350 Emathis aequorei regnum Pharsalos Achillis
Eminet, et prima Rhoeteia littora pinu

338. Othr*is*, b. c. d. 339. aversos, b. c. aver*sus*, a. adver*sus*, d. Zephyr*um*, c. Iap*i*ga, b. d. 340. praecedet, *i* man. alia, adscripsit manus Cod. *praescidit* sine nota, c. lucem, correcta *m*, c. 341. imi, *ii*, man. sec. in membr. erasa, b. Bore*a*, post *a* aliquid deletum est, c. 343. int*ra*, c. 346. pelag*i*, a. b. et c, correcta tamen *i* in *a*. un*um*, a. b. d. c et in margine *undis*. 347. dissessit, c. 348. Herculea, *cu* man. sec. in membr. erasa, b. 349. sub *nd'*, c. 351. Roetheia, sed *e* man. sec. b. *R* correcta est ex *L* man. alia, c. pinu, et superne scriptum *uppi*, man. alia, c.

339. *Excipit adversos Zephyros, et Iapyga Pindus.*] Lege ex aliis codicibus *aversos*.

343. *Hos inter montes media qui valle premuntur.*] Corrigendum,

— *media* QUA *valle premuntur.*

346. *Dant aditus pelago.*] Recte *pelagi*. Nam *pelago* non esset, *dant fluminibus aditus ad pelagus*, (quod sententia hic postulat) sed, dant pelago aditus *ad flumina*. Noster VIII, 45, *Habes aditum venturae in saecula famae*, casu, ut hic, patrio. Porro autem, pro *undis*, plerique omnes codices habent,

Digitized by Google

Quae tetigit Phylace, Pteleosque, et Dorion ira
Flebile Pieridum; Trachin, pretioque nefandae
Lampados Herculeis fortis Meliboea pharetris:
Atque olim Larissa potens: ubi nobile quondam
Nunc super Argos arant: veteres ubi fabula Thebas
Monstrat Echionias: ubi quondam Pentheos exul
Colla caputque ferens supremo tradidit igni,
Questa quod hoc solum nato rapuisset Agave.
Ergo abrupta palus multos discessit in amnes.

352. Phlace, b. c. d. Teleosque, b. Theleonsque, c. Dorian, d. 353. Trahim, c. 354. pharetris, in membr. erasa man. alia, b. in c. superne scriptum est *sagittis* man. alia. 355. Larisa, altera *s* deleta est, b. 356. Thebes, *a* man. alia, c. 357. Penthe'os, *os* man. alia, c. Echionicas, prior *c* manu sec. in membr. erasa, b. 358. ferens et *vel pareus* a. 359. rupisset, c.

— *stagnumque implentibus*
UNUM
Crescere cursus erat.

Unum stagnum, quo omnia flumina convenerunt; et *implentibus* scilicet fluminibus, ut supervacuum sit illud UNDIS: quodque tertio abhinc versu recurrit. Argute autem, *crescere cursus erat*: ut supra 105, *Miseros ultra tentoria cives Spargere funus erat.*

354. *Herculeis' fortis Meliboea pharetris:]* Codices plerique omnes *sagittis*, quod hic melius convenit, vel ob illud *fortis*. Fortitudo enim ex sagittis potius quam ex pharetris monstrátur.

355. *Atque olim Larissa potens: — — rapuisset Agave.]* Hi quinque versus mihi spurii videntur. *Larissa* etiam tum potens. *Argos*, nullum ejus nominis ibi oppidum. *Veteres Thebas Echionias*, praeter geminum epitheton, etiam fallitur, nam Thebae Echioniae sunt Boeoticae, non hae Phthioticae. Et Agave in Boeoticis, ut notum. Praeterea numquam illa *exul*. Stulte bis dicitur, *quondam*. Stulte *colla caputque*, et mox de uno, *hoc solum*, et stulte de Pentheo et Agave hic, cum hoc alibi narrat I, 574, et VII, 709.

356. *— veteres ubi fabula Thebas Monstrat Echionias:]* Hoc vult, Thebas Phthioticas dictas a Thebis Boeoticis, ex eo quod Agave ibi exsilii sui sedem invenisset. GROTIUS. Nescio quo auctore haec vir magnus de exilio Agaves.

360. *Ergo abrupta palus mul-*

Digitized by Google

Purus in occasus, parvi sed gurgitis, Aeas
Ionio fluit inde mari: nec fortior undis
Labitur avectae pater Isidis, et tuus, Oeneu,
Pene gener crassis oblimat Echinadas undis:
365 Et Meleagream maculatus sanguine Nessi
Euenos Calydona secat. ferit amne citato
Maliacas Sperchios aquas: et flumine puro
Irrigat Amphrysos famulantis pascua Phoebi.
Quique nec humentes nebulas, nec rore madentem
370 Aera, nec tenues ventos suspirat Anauros.
Et quisquis pelago per se non cognitus amnis
Peneo donavit aquas. it gurgite rapto
Apidanos: nunquamque celer, nisi mistus, Enipeus.
Accipit Asopos cursus, Phoenixque, Melasque.
375 Solus in alterius nomen cum venerit undae,

361. in, post *n* aliquid deletum est, c. occasus, *s* man. sec. addidit, b. *sed*, man. sec. in membr. erasa, c. *Ethas*, in margine c, man. alia; Aetas, d. 362. und'*is*, *is* man. alia, c. 363. *o* Oeneu, a. *Eneu*, *E* in membr. erasa, b. 364. Echinadas, *i* correcta ex *u*, ut videtur, c. 366. Eu*n*eos, a. b. d, superne scriptum *vel u* man. alia, et in margine *Evenus*, man. alia. Eu*n*eus, c. Cal*i*dona, b. c. d. 367. Ma*l*liacas, b. d. sed *l* serius addita est in b. Me*l*liac*h*as, c. Sperchi*us*, c. 368. Amphr*i*sos, b. c. d. Amphysos, a. 369. humenti*s*, d. 370. An = auros, *o* man. sec. ex *u* correcta, b. An*a*ros, c. 371. cog*n*itus, *n* manus alia addidit, d. 373. Ap-pidanos, *o* ex *u* man. alia correcta, b. Appidan*us*, c. Apida*u*nos, d. nunquamque, *que* man. alia, c. Enip*h*eus, b. c. 374. Accip', *c* in membr. erasa, c. Accipit, *i* correcta, b. Asop*us* d. et *o* ex *u* correcta man. sec. b. Asapos, *apos* in membr. erasa man. alia, c. *Fe*nixque, b. Mela*x*que, a. b. c.

os discessit in amnes.] Alii codices elegantius DISCEDIT.

Defendit Titaresus aquas, lapsusque superne
Gurgite Penei pro siccis utitur arvis.
Hunc fama est Stygiis manare paludibus amnem,
Et capitis memorem, fluvii contagia vilis
580 Nolle pati, Superumque sibi servare timorem.
Ut primum emissis patuerunt amnibus arva,
Pinguis Boebicio discessit vomere sulcus:
Mox Lelegum dextra pressum descendit aratrum.
Aeolidae, Dolopesque solum fregere coloni,
585 Et Magnetes equis, Minyae gens cognita remis.
Illic semiferos Ixionidas Centauros
Foeta Pelethroniis nubes effudit in antris.
Aspera te Pholoes frangentem, Monyche, saxa,
Teque sub Oetaeo torquentem vertice vulsas,

376. Titaresus, et *vel os*, a. Tit*h*aresos, *o* man. sec. ex *u* correcta, b. T*h*itaresus, c. Titaresos, d. superne et *vel ni*, a. 378. Hē, ~ man. sec. in membr. erasa, b. 381. *U* in Ut non adest, b. patuere *paludi*bus, c. 382. Be*b*ricio, a. b. c. d. 384. Aeolidae, *e* man. sec. b. Ocolide, c. 385. Mini*a*e b. d. sed *e* in b man. sec. addita. *Nimi*ae, c. 386. *mag*niferos, c. Ixion*a*das, b. 387. Pe*r*etroniis, c. Pele*t*roniis, d. effu*n*dit, c. 388. Monyce, a. Mon*i*ce, b, et addito *o*, c, superne scriptum *vomere* man. alia. Mon*i*che, d. 389. *Et*heo b. d. *Eothae*, c. vertice, *ice* in membr. erasa man. sec. b.

389. *Teque sub Oetaeo torquentem vertice vulsas, Rhoece ferox,]* Primum lege RHOETE, ut hic codices, et aliorum scriptorum loca monstrant. Deinde corrige,

VOSQUE *sub Oetaeo* TORQUENTES *vertice.*

Hoc est, *vos*, *Rhoete*, *et Phole*, nam si *teque* his adsciscis, deerit alterum *teque*, quod Pholum introducat. BENTL. — „*Rhoete*, ita editiones veteres cum Codicibus Pulmanni et Bersmanni: male magnus Grotius in suis editionibus *Rhoece*." Bentl. ad Hor. Carm. II, 19, 23. WEB.

Digitized by Google

590 Rhoece ferox, quas vix Boreas invertèret, ornos:
Hospes et Alcidae magni, Phole: teque per amnem
Improbe Lernaeas vector passure sagittas:
Teque, senex Chiron, gelido qui sidere fulgens
Impetis Aemonio majorem Scorpion arcu.
595 Hac tellure feri micuerunt semina martis.
Primus ab aequorea percussis cuspide saxis
Thessalicus sonipes bellis feralibus omen
Exiluit; primus chalybem, fraenosque momordit,
Spumavitque novis Lapithae domitoris habenis.
400 Prima fretum scindens Pagasaeo littore pinus,
Terrenum ignotas hominem projecit in undas.
Primus Thessalicae rector telluris Itonus
In formam calidae percussit pondera massae,
Fudit et argentum flammis, aurumque moneta
405 Fregit, et immensis coxit fornacibus aera.

390. Re*the*, b. Rhoe*te*, d. *ev*erteret, d. et pro varia lectione a. 391. Pholoe, d. 392. L*ae*rnaeas, d. vector, *e* man. sec. correcta, b. 393. gelido et *vel gemino*, a. 394. *He*monio, ut semper, d. artu, ante *t* deleta est *c*, ut videtur, c. 397. bellis, *is* man. sec. correctae, b. 398. cal*i*bem, b. c. ut semper. 400. scindens, *sci* man. sec. in membr. erasa, b. *secuit*, d. et pro varia lectione a. Pegaseo, b. et d., correcta *e* ex *a*. 401. T*ir*renum, c. Terrenum*que* novas, d. T*y*rrenum*que* novas, et *vel Terrenum ignotas*, a. 402. Ionos, a. d. Ionus, c. et b, correcta tamen *u* in *o* man. secunda. 404. arg*nu*tum, c. 405. fornacibus, ante *b* aliquid deletum est, c. *a*era, d.

402. *Primus Thessalicae rector telluris Itonus*] Manuscripti omnes *Ionas*, *Ionos*, *Ionus*; Cassiodori [III, ep. 51.] lectio *Ionas* retinenda est, nisi mavis *Iannos* cum Is. Vossio ad Catullum [p. 219].

Digitized by Google

Illic, quod populos scelerata impegit in arma,
Divitias numerare datum est. hinc maxima serpens
Descendit Python, Cyrrhaeaque fluxit in antra:
Unde et Thessalicae veniunt ad Pythia laurus.
Impius hinc prolem Superis immisit Aloeus:
Inseruit celsis prope se cum Pelion astris,
Sideribusque vias incumbens abstulit Ossa.
Hac ubi damnata fatis tellure locarunt
Castra duces; cunctos belli praesaga futuri
Mens agitat, summique gravem discriminis horam
Adventare palam est. propius jam fata moveri
Degeneres trepidant animi, pejoraque versant.
Ad dubios pauci praesumto robore casus
Spemque metumque ferunt. turbae sed mistus inerti
Sextus erat, Magno proles indigna parente,
Qui mox Scyllaeis exul grassatus in undis,
Polluit aequoreos Siculus pirata triumphos.
Qui stimulante metu fati praenoscere cursus,
Impatiensque morae, venturisque omnibus aeger,

407. Diviciam d. divitias, *s* man. alia, c. numerare, *r* ex *t* correcta man. alia, c. 408. arva, a, et, pro varia lectione, c. 409. Unde, *U* man. sec. in membr. erasa, b. Pithia, ut semper, b. d. 410. Impius, *I* man. sec. in membr. erasa, b. hic, a. dimisit, c. 412. incurrens, a. d. 415. iram, a. 421. Scilleis, b. d. Silleis, c. 424. venturis, omisso *que*, b.

406. *Illic, quod populos scelerata impegit in arma, Divitias numerare datum*] Immo ILLINC, ut postea bis *hinc*. Non *illic* modo in Thessalia, sed *illinc* in reliquo terrarum orbe pecuniae numerantur, non penduntur.

412. *Sideribusque vias incumbens abstulit Ossa.*] *Incumbens*, scilicet Pelio. Sed melior lectio est aliorum et plurium codicum:

Digitized by Google

425 Non tripodas Deli, non Pythia consulit antra,
Nec quaesisse libet, primis quid frugibus altrix
Ore Jovis Dodona sonet, quis noscere fibra
Fata queat, quis prodat aves, quis fulgura coeli
Servet et Assyria scrutetur sidera cura,
430 Aut si quid tacitum, sed fas, erat. ille supernis
Detestanda Deis saevorum arcana Magorum
Moverat, et tristes sacris feralibus aras,
Umbrarum, Ditisque fidem: miseroque liquebat
Scire parum Superos. vanum saevumque furorem
435 Adjuvat ipse locus, vicinaque moenia castris
Aemonidum, ficti quas nulla licentia monstri
Transierat, quarum, quicquid non creditur, ars est.
Thessala quin etiam tellus herbasque nocentes
Rupibus ingenuit, sensuraque saxa canentes
440 Arcanum ferale Magos. ibi plurima surgunt

425. Deli*i*, c. 426. quid, *d* manus alia addidit, antea *quae* fuisse videtur, c. 427. *Aere*, a. et, correcta *e* ex *a*, b. 428. quis fulg. *s* manus sec. addidit, b. 429. Assiria, ita semper, b. 431. d'is, ante *i* aliquid deletum est, c. 432. *N*overat, a. b. c. d. 433. U*n*brarum*que* "fidemque "ditis*que*, *que* in *ditisque* serius additum est, c. 434. saevumque, *que* man. alia, b. 436. *He*monidum, ita semper, a. b. He*u*-monidum, c. 437. Transierat et *vel it*, a. 438. Thessal*a*, *a* man. sec. in membr. erasa, d. 440. versus in margine man. alia scriptus legitur, c.

Inseruit celsis prope se cum Pelion astris,
Sideribusque vias INCURRENS *abstulit Ossa.*

Pelion, inferior mons, *prope se inseruit astris;* at ei imposita Ossa plane *incurrit* in astra, et eorum cursus impedivit.

426. — *primis quid frugibus altrix Ore Jovis Dodona sonat,]* Colbertini duo *Aere Jovis.* Val. Maximus VIII, 15, 3, de Am-

Vim factura Deis. et terris hospita Colchis
Legit in Aemoniis, quas non advexerat, herbas.
Impia tot populis, tot surdas gentibus aures
Coelicolum, dirae convertunt carmina gentis.
445 Una per aethereos exit vox illa recessus,
Verbaque ad invitum perfert cogentia numen,
Quod non cura poli, coelique volubilis unquam
Avocat. infandum tetigit cum sidera murmur,
Tunc Babylon Persea licet, secretaque Memphis
450 Omne vetustorum solvat penetrale Magorum:

441. Deis, *eis* in membr. erasa, c. terris, *i* in membr. erasa, *s* man. alia, c. Cholchis, b. 442. *evexerat*, c. 445. Uana, ⌣ man. alia, d. aetherios, *a*. 446. invitum, ante *v* aliquid deletum est, c. 447. volubilis, ante *l* aliquid deletum est, c. 448. Advocat, d. et c, sed superne scriptum *.avocat* man. alia. 449. Tum, in margine man. alia *Tunc*, c. Babilon, b. c. d.

phiarai oraculo: *Cujus cineres idem honoris possident, quod Pythicae cortinae, quod* aheno Dodonae, *quod Hammonis fonti datur.*

447. *Quod non curà poli, coelique volubilis unquam Avocat.]* Placet codex Pulmanni, qui UNQUAM habet.

449. *Tunc Babylon Persea licet, secretaque Memphis]* Lege *Persaea*. Val. Flacc. VII, 450,

— *Titania jamque*
Gramina Persaeasque *sinu depromere vires*
Ceperat — — *Medea.*

Vel potius *Persei*, ut *Perseis Hecate*. Ovid. Met. [VII, 74.] *Hecates Perseidos*. et Rem. Am. [265.]

Quid tibi profuerint, Circe, Perseides *herbae.*

A *Πέρσης* non *περσεῖος* nec *περσαῖος*, sed *περσικός*. *περσαῖος* dicitur a Persa, *Πέρσα*, urbe prope Euphratem. Steph. de urbibus [p. 636.] solus memorat. Cur autem *Persea Babylon*, quae ab Assyria Semiramide condita? Nemo sic Babylonem vocavit. Deinde inconcinne, hinc *Persea*, illinc non aliud nomen gentile, sed *secreta*: potius Lucanum scripsisse crediderim,

Tunc Babylon PRAESAGA *licet secretaque Memphis.*

Praesaga ob Chaldaeos astrologos, qui futura praevidebant.

Digitized by Google

Abducit Superos alienis Thessalis aris.
Carmine Thessalidum dura in praecordia fluxit
Non fatis adductus amor: flammisque severi
Illicitis arsere senes. nec noxia tantum
455 Pocula perficiunt, aut cum turgentia succo
Frontis amaturae subducunt pignora fetae.
Mens hausti nulla sanie polluta veneni
Excantata perit. quos non concordia misti
Alligat ulla tori, blandaeque potentia formae,
460 Traxerunt torti magica vertigine fili.
Cessavere vices rerum: dilataque longa
Haesit nocte dies: legi non paruit aether.
Torpuit et praeceps audito carmine mundus:
Axibus et rapidis impulsos Juppiter urgens
465 Miratur non ire polos. nunc omnia complent
Imbribus, et calido producunt nubila Phoebo:

451. Abducet, d. Abducit, sed *b* man. sec. in erasa membr. b. 455. *proficiunt*, a. b. c. d. turgentia, *tur* man. sec. b. 457. sanie nulla, a. 464. rapidis, superne scriptum *dios* man. alia sine nota, c. 465. *tunc*, *t* man. sec. in membr. erasa, b.

451. *Abducit Superos alienis Thessalis aris.*] Non de *aris*, sed de *carmine* agitur. Corrigo,

Abducit Superos ALIENAS *Thessalis* ORAS.

Aeneid. III, 601.

Tollite me, Teucri, quascumque abducite terras.

455. *Pocula perficiunt,*] Melius alii codices PROFICIUNT.

460. *Traxerunt torti magica vertigine fili.*] Ridiculum est illud *torti fili*. Repone RHOMBI. Ovid. Amor. I, 8, [7.]

Scit bene, quid gramen, quid torto *concita* rhombo
Licia, quid valeat virus amantis equae.

Propert. II, 21, 35,

Deficiunt magico torti *sub carmine* rhombi.

Idem III, 4, 26,

Staminea rhombi ducitur ille rota.

466. — *et calido producunt nubila Phoebo:*] PRAEDUCUNT tres codices Nicolai Heinsii. Recte. Vide ipsum ad Silii X, 411.

Digitized by Google

Et tonat ignaro coelum Jove. vocibus isdem
Humentes late nebulas, nimbosque solutis
Excussere comis. ventis cessantibus, aequor
470 Iutumuit: rursus vetitum sentire procellas
Conticuit turbante Noto: puppimque ferentes
In ventum tumuere sinus. de rupe pependit
Abscissa fixus torrens: amnisque cucurrrit
Non qua pronus erat. Nilum non extulit aestas:
475 Maeander direxit aquas: Rhodanumque morantem
Praecipitavit Arar: submisso vertice montes
Explicuere jugum. nubes suspexit Olympus:
Solibus et nullis Scythicae, cum bruma rigeret,
Dimaduere nives. impulsam sidere Tethyn
480 Reppulit Aemonidum, defenso littore, carmen.
Terra quoque immoti concussit ponderis axem,

467. *h*isdem, a. 470. Int*r*emuit, b. rursu*m*, d. vetitum, *tit* man. sec. correctum, b. 471. puppemque c. 472. t*i*muere, c. 473. Abscisa, b. d. et c, sed *c* manus alia addidit. 474. Non, *o* man. alia, c. qua, *ua* man. alia in membr. erasa, c. expulit, d et a, qui pro varia lectione addit *extulit*. 475. Me*a*nder, *e* correcta est in membr. erasa, c. 476. su*m*misso, ut semper in hac praepositione, b. d. 477. Ol*i*mpus, ita semper, b. 479. sidere et *vel litore*, addita tamen glossa *solis*, *lunae*, a. Th*e*tim, b. c. 481. axe*s*, d.

467. — *vocibus isdem Humentes late nebulas, nimbosque solutis Excussere comis.*] Quid hoc? Si *vocibus*, quomodo *comis?* Saltem *comisque* dicendum fuit. Ex sensu ipso emendationem eruimus,

— *solutis*
Excussere UMBRIS.

Sic 1, 261,

Nondum gelidas lux solverat umbras.

475. *Maeander direxit aquas.*] Scribe *Maeandros*, ut noster alibi, [III, 208.] *Errantem* Maeandron *adit*. vide Nic. Heinsium ad Ovid. Heroid. IX, 56.

480. *Reppulit Aemonidum, de-*

Et medium vergens nisu titubavit in orbem.
Tantae molis onus percussum voce recessit,
Prospectumque dedit circumlabentis Olympi.
Omne potens animal leti, genitumque nocere,
Et pavet Aemonias, et mortibus instruit artes.
Has avidae tigres, et nobilis ira leonum
Ore fovent blando: gelidos his explicat orbes,
Inque pruinoso coluber distenditur arvo.
Viperei coeunt, abrupto corpore, nodi:
Humanoque cadit serpens afflata veneno.
Quis labor hic Superis cantus herbasque sequendi,

482. titubavit nisus in, b. c. d. *Titan* et *vel nisus*, supra v. *Titan* scripto *axem*, a. 483. *con*cussum, c. 484. *Per*spectumque, a. d. 485. genitumque, *i* man. alia correcta est, c. 488. fovet, d. 489. *antro*, in membr. erasa et in margine *.arvo*, c. 492. *pavor*, et superne scriptum *.labor*, c.

fenso littore, carmen.] Lege *Haemonium.* Sic infra 693,

— *mox caetera canta*
Explicat Haemonio.

et *vs.* 486, *Haemonias artes.*

482. *Et medium vergens nisu titubavit in orbem.]* Pro *vergens nisu* doctissimus Gronovius Observ. II, 7, magnopere contendit legendum esse, prout alii codices habent, *vergens nisus*, accusativo plurali. Non accedo. *Terra concussit axem*, hoc est, de centro mundi recessit; *et nisu suo vergens in medium orbem*, sive, ultro citroque centrum praetervecta est et fluctuavit, priusquam in medio quiesceret. Haec vera loci sententia est, et poetam philosophum indicat. Seneca de otio Sapientis: *Suapte natura gravia descenderint, an* praeter nisum *pondusque corporum altior aliqua vis legem singulis dixerit?*

488. *Ore fovent blando.]* Alii codices FOVET, quod recipimus. Animadvertes enim, Nostrum, ubi plures sunt nominativi etiam numeri pluralis, proximo, si singularis nomen sit, singulare verbum subnectere.

492. *Quis labor hic Superis.]* Codex Colbert. PAVOR. Lego ex antitheti ratione,

Unde AMOR *hic Superis cantus herbasque sequendi,*
Spernendive timor?

Amor edendi, habendi, pugnandi, etc. Virg. Ec. x, [21.]

— *omnes*
Unde amor *iste, rogant, tibi?*

Digitized by Google

Spernendique timor? cujus commercia pacti
Obstrictos habuere Deos? parere necesse est,
An juvat? ignota tantum pietate merentur?
An tacitis valuere minis? hoc juris in omnes
Est illis Superos? an habent haec carmina certum
Imperiosa Deum, qui mundum cogere, quicquid
Cogitur ipse, potest? illis et sidera primum
Praecipiti deducta polo: Phoebeque serena
Non aliter, diris verborum obsessa venenis,
Palluit, et nigris terrenisque ignibus arsit,
Quam si fraterna prohiberet imagine tellus,
Insereretque suas flammis coelestibus umbras.
Et patitur tantos cantu depressa labores,
Donec suppositas propior despumet in herbas.
Hos scelerum ritus, haec dirae carmina gentis
Effera damnarat nimiae pietatis Erichtho,
Inque novos ritus pollutam duxerat artem.

496. *nimis*, c. tacitis, *ci* man. sec. in membr. erasa, b. hoc, *o* man. sec. in membr. erasa, b. 497. haec, *ae* man. sec. in membr. erasa, b. 499. illic, a. b. c. 503. Quam, man. alia correctum antea *Quod*, c. 504. Inseretque, c. suas, *a* in membr. erasa, c. 506. dispumat, b. 507. ritus scelerum, c. 508. Effera, post *a* aliquid deletum est, d. Eritthò, b. Ericto, c. Eritho, d.

499. — *illis et sidera primum Praecipiti deducta polo:]* Omnes codices ILLIC, in Thessalia scilicet.

507. *Hos scelerum ritus, haec dirae carmina gentis]* Tota venuset virtus hujus sententiae periit librariorum facinore. Solus Pulmanni codex rem nobis restituit,

Hos scelerum ritus, haec dirae CRIMINA *gentis*
Effera damnarat nimiae pietatis Erichtho.

Illa ipsa *scelera ac crimina* videbantur huic venificae *nimium pia*; novos igitur et feraliores ritus in artem induxerat. Jam *carmina* substitue, et tota antitheti gratia evanescit.

509. *Inque novos ritus pollutam duxerat artem.]* Atqui al-

510 Illis namque nefas urbis submittere tecto
Aut laribus ferale caput: desertaque busta
Incolit, et tumulos expulsis obtinet umbris,
Grata Deis Erebi coetus audire silentum,
Nosse domos Stygias, arcanaque Ditis operti,
515 Non Superi, non vita vetat. tenet ora profanae
Foeda situ macies, coeloque ignota sereno.
Terribilis Stygio facies pallore gravatur,
Impexis onerata comis. si nimbus, et atrae

510. Illi, b. c. d. 513. Dis, man. alia, c. 514. domos et *vel domus*, a. 515. profanae et *vel profano*, a. 518. Implexis, b. onerata, *nerata* in membr. erasa man, sec. b. atrae, *e* manus sec. addidit, b.

tere abhinc versu praecesserat, *Hos scelerum ritus*. Repone,

Inque novos ACTUS *pollutam duxerat artem.*

Infra 606,

Pronum erat, o juvenis, quos velles (inquit) in actus
Invitos praebere Deos.

Vel *Inque novos* USUS, ut 577,

Illa Magis magicisque Deis incognita verba
Tentabat, carmenque NOVOS *fingebat* in usus.

511. *Aut laribus ferale caput:]* Jam bis habuimus *ferale*, 452, 440. Lege igitur, NE semper eandem chordam,

Aut laribus furiale *caput.*

Quod et per se melius est. Virgilius VII, 415,

Alecto torvam faciem et [furialia *membra*
Exuit.

517. *Terribilis Stygio facies pallore gravatur, Impexis onerata comis.]* Tertio abhinc versu jam habuimus, *Nosse domos Stygias*. Quare alind epitheton excogitandum. Quid vero illud *gravatur pallore?* an in pallore est aliquid ponderis? Nec magis placet *onerata facies*: caput, collum, cervix, sed non *facies*. Legerim,

Terribilis TETRO *facies* SQUALORE *gravatur,*
Impexis UMBRATA *comis.*

Noster infra, 625.

Moestum tecta caput squalenti *nube.*

Virgilius, Aeneid. VI, 299,

Terribili squalore *Charon, cui plurima mento*
Canities inculta jacet.

Sic Ovidius [Metam. IV. 655.], *Medusae ora squalentia*, et alii passim. Statius de Tisiphone, [Theb. I, 103.]

Centum illi stantes umbrabant *ora cerastae.*

Digitized by Google

Sidera subducunt nubes, tunc Thessala nudis
520 Egreditur bustis, nocturnaque fulgura captat.
Semina foecundae segetis calcata perussit,
Et non letiferas spirando perdidit auras.
Nec Superos orat, nec cantu supplice numen
Auxiliare vocat, nec fibras illa litantes
525 Novit: funereas aris imponere flammas
Gaudet, et accenso rapuit quae thura sepulcro.
Omne nefas Superi prima jam voce precantis
Concedunt, carmenque timent audire secundum.
Viventes animas, et adhuc sua membra regentes,
530 Infodit busto: fatis debentibus annos
Mors invita subit: perversa funera pompa

520. ful*mina*, a. c. et pro varia lectione b, man. sec. fulgura, pro varia lectione, a. 523. cantu man. alia inter lineas, erasa lineae membrana, c. 524. l*a*tentes, a. litant*is*, b. c. sed *i* man. sec. in membr. erasa, b. et in c. superne scriptum est *i. e. es.* 526. quo, c. t*u*ra, d. sepulc*h*ro, b. 528. timent, *ti* inter lineas man. alia, membrana lineae erasa, c. 529. regentes, correcta *e* ex *i* man. alia, c.

Ovid. Metam. XIII, 845,

Prominet in vultus, humerosque, ut lucus, obumbrat.

519. — *tunc Thessala nudis Egreditur bustis,*] Jam dixerat 511. *desertaque busta Incolit;* ut probe sciremus, unde egressa sit, etsi *bustis* non iterum inculcasset. Quid autem *nudis bustis?* Corrige,

— *tunc Thessala nudis*
Egreditur PEDIBUS.

Hoc in omnibus veneficiis solenne est. Horat. Serm. I, 8, [24.]

Vidi egomet nigra succinctam vadere palla
Canidiam, pedibus nudis *passoque capillo.*

Medea apud Ovidium Metam. VII, 182,

Egreditur tectis vestes induta recinctas,

Nuda pedem.

522. *Et non letiferas spirando perdidit auras.*] Vellem doceri, quid sit *auras perdere?* Nisi si sit ad nihilum redigere: quod Philosophi non concedent, *vitiare, corrumpere, inficere auras;* sed *perdere* quid sit nescio. Scribe,

Et non letiferas spirando REDDIDIT *auras.*

Digitized by Google

Rettulit a tumulis: fugere cadavera letum.
Fumantes juvenum cineres, ardentiaque ossa
E mediis rapit illa rogis, ipsamque, parentes
535 Quam tenuere, facem: nigroque volantia fumo
Feralis fragmenta tori, vestesque fluentes
Colligit in cineres, et olentes membra favillas.
Ast ubi servantur saxis, quibus intimus humor
Ducitur, et tracta durescunt tabe medullae
540 Corpora; tunc omnes avide desaevit in artus,
Immersitque manus oculis: gaudetque gelatos
Effodisse orbes: et siccae pallida rodit
Excrementa manus: laqueum nodosque nocentes
Ore suo rupit: pendentia corpora carpsit,
545 Abrasitque cruces: percussaque viscera nimbis
Vulsit, et incoctas admisso sole medullas.
Insertum manibus chalybem, nigramque per artus
Stillantis tabi saniem, virusque coactum
Sustulit, et nervo morsus retinente pependit.

532. *D*etulit, b. tumulis, post *i* aliquid deletum est, c. lectum, c. et pro varia lectione b. man. sec. 534. *ipsa*, a. b. rogis, *o* man. sec. in membr. erasa, b. parentes, *es* in membr. erasa, c. 536. Feralis, et *vel ardentis*, a. 537. et olentes, inter *t* et *o* aliqui deletum est, b. 543. laque*os*, c. nocent*is*, c. 549. nervo, post *o* aliquid deletum est, c. morsus, *s* man. alia, c.

Auras prius non laetiferas spirando reddidit, fecit, letiferas. Ovid. Metam. [IX, 687.] *Aut stetit, aut visa est*, hoc est, stetisse.

541. *Immersitque manus oculis:*] Melius alii codices,

— *desaevit in artus,*
IMMERGITQUE *manus oculis, gaudetque*, etc.

543. —*laqueum nodosque nocentes Ore suo rupit:*] *Nocentes*, quia collum alicui eliserant. Pulmanni tamen codex RECENTES, et praetulerim, quoniam plus virium habent a gula jam nuper tracta.

Digitized by Google

550 Et quacunque jacet nudum tellure cadaver,
Ante feras volucresque sedet: nec carpere membra
Vult ferro manibusque suis, morsusque luporum
Expectat, siccis raptura e faucibus artus.
Nec cessant a caede manus, si sanguine vivo
555 Est opus, erumpat jugulo qui primus aperto.
Nec refugit caedes, vivum si sacra cruorem,
Extaque funereae poscunt trepidantia mensae:
Vulnere sic ventris, non, qua Natura vocabat,
Extrahitur partus; calidis ponendus in aris.
560 Et quoties saevis opus est ac fortibus umbris,
Ipsa facit manes: hominum mors omnis in usu est.
Illa genae florem primaevo corpore vulsit,

550. quocunque, c. quodcunque, b. d. nuda a. b. c. d. 552. manibusque, *que* man. alia, b. 556. vivum *et vel fusum*, c. 558. *si* ventris, a. b. c. d. 560. umbris, *i* man. sec. in membr. erasa, b. 562. primeve, d. *e* corpore, a. b. *a* corp. c.

550. — *quacunque jacet nudum tellure cadaver,*] Omnes omnium codices habent,

Et quodcumque *jacet* nuda *tellure cadaver.*

Recte: *nuda tellure cadaver,* nullo busto aut sepulcro conditum; utrum cadaver ipsum nudum an vestitum fuerit, nihil intererat. Sed cur *sedet ante feras?* an ferae aut volucres sedent? aut ipsa nihil agere potuit, nisi sedendo? Lege ex codice Regio,

Et quodcumque jacet nuda tellure cadaver,
Ante feras volucresque VIDET.

Videt, priusquam vultures et ferae ὀξυδερκέστατοι videant.

553. — *siccis raptura e faucibus artus.*] Bis paulo ante *artus* in fine versus: deinde an lupi totos *artus* uno morsu hauriunt? Corrigo,

siccis raptura e faucibus OFFAS.

556. *Nec refugit caedes,*] Aut hoc distichon, aut quod proximum habuimus, est correctio alterius, et ex curis secundis; placet magis, quod posterius est.

558. *Vulnere sic ventris,*] Omnes codices *si ventris.* Sententia autem postulat SED. *Nec refugit caedes;* sed *vulnere ventris partus extrahitur.*

562. — *primaevo corpore*] Lege cum aliis codicibus:

Illa genae florem primaevo corpore vulsit.

Digitized by Google

Illa comam laeva morienti abscidit ephebo.
Saepe etiam caris cognato in funere dira
565 Thessalis incubuit membris: atque oscula fingens,
Truncavitque caput, compressaque dentibus ora
Laxavit: siccoque haerentem gutture linguam
Praemordens, gelidis infudit murmura labris,
Arcanumque nefas Stygias mandavit ad umbras.
570 Hanc ut fama loci Pompejo prodidit: alta
Nocte poli, Titan medium quo tempore ducit
Sub nostra tellure diem: deserta per arva
Carpit iter. fidi scelerum suetique ministri,
Effractos circum tumulos ac busta vagati,
575 Conspexere procul praerupta in caute sedentem,
Qua juga devexus Pharsalica porrigit Aemus.
Illa Magis, magicisque Deis incognita verba
Tentabat, carmenque novos fingebat in usus.
Namque timens, ne Mars alium vagus iret in orbem,
580 Emathis et tellus tam multa caede careret;
Pollutos cantu, dirisque venefica succis

563. abscidit, *c* manus alia addidit; in margine *abscidit*, c. 565. *figens*, a. 566. compressa, sine *que*, c. 568. infundit, c. d. 569. sicco, omissa *que* particula, alia manus *in* addidit, c. 571. Tytan, b. 573. "per arva "diserta, c. 575. Pharsalia, a et b, superne tamen scriptis *ca*. 581. Polluto, a et c, addita tamen *s* man. alia.

566. *Truncavitque caput,*] Notato tria ista, *cognato in funere, caris membris, fingens oscula:* et dic mihi, qui potuit tot praesentibus, aut cur voluit *truncare caput?* Corrige TRACTAVITQUE *caput*. Sententia est, dum fingit se dare suprema oscula cognato morienti, tractat caput, os clausum aperit, et linguam leviter mordens, insusurrat aliquid, quod ille Manibus narrare debet. Tacitus Annal. III, 12, *Quo pertinuit nudare corpus, et contrectandum vulgi oculis permittere?*

Digitized by Google

Conspersos, vetuit transmittere bella Philippos,
Tot mortes habitura suas, usuraque mundi
Sanguine: caesorum truncare cadavera regum
585 Sperat, et Hesperiae cineres avertere gentis,
Ossaque nobilium, tantosque acquirere manes.
Hic ardor, solusque labor, quid corpore Magni
Projecto rapiat, quos Caesaris involet artus.
Quam prior affatur Pompeji ignava propago:
590 O decus Aemonidum, populis quae pandere fata,
Quaeque suo ventura potes devertere cursu,
Te precor, ut certum liceat mihi noscere finem,
Quem belli fortuna parat. non ultima turbae
Pars ego Romanae, Magni clarissima proles;
595 Vel dominus rerum, vel tanti funeris heres.
Mens dubiis percussa pavet, rursusque parata est
Certos ferre metus. hoc casibus eripe juris;
Ne subiti caecique ruant: vel numina torque,
Vel tu parce Deis, et Manibus exprime verum.
600 Elysias resera sedes, ipsamque vocatam,
Quos petat e nobis, Mortem tibi coge fateri.
Non humilis labor est: dignum, quod quaerere cures,

582. Conspersos, et in margine *compressos*, c. Con*pressos*, et pro varia lectione *conspersos*, a et b, man. sec. 585. a *vellere*, a. d. *advertere*, c. 586. *adquirere*, a. b. c. d. 589. pri*us*, a. ignava, correcta *v* ex *r*, a. 590. quae, *uae* man. alia in membr. erasa, c. 591. Queque, *e* man. alia addita est, c. divertere, c. 593. par*at*, a. 594. clarissima, *l* manus alia addidit, b. 597. juris, *ju* man. alia in membr. erasa, c. 599. parce, correcta *c* man. alia ex *t*, c. 601. *a* nobis, a. c. 602. *est*, man. alia addidit, d.

Digitized by Google

Vel tibi, quo tanti praeponderet alea fati.
Impia laetatur vulgatae nomine famae
605 Thessalis, et contra: Si fata minora moveres,
Pronum erat, o juvenis, quos velles (inquit) in actus
Invitos praebere Deos. conceditur arti,
Unam cum radiis presserunt sidera mortem,
Inseruisse moras: et, quamvis fecerit omnis
610 Stella senem, medios herbis abrumpimus annos.
At simul a prima descendit origine mundi
Causarum series, atque omnia fata laborant,
Si quicquam mutare velis, unoque sub ictu
Stat genus humanum: tunc, Thessala turba fatemur,
615 Plus Fortuna potest. sed si praenoscere casus
Contentus, faciles aditus, multique patebunt
Ad verum: tellus nobis, aetherque, chaosque,

603. praeponderat, *e* man. alia, c. 604. vulgato, c, et addito *vel vulgatae*, a. 605. minora, *in* in membr. erasa, man. sec., b. moveres, et superne scriptum *vel ne*, b. 608. *noc*tem, c. 610. abrupimus, a. d. abru*m*pimus, sed *m* manus alia addita, et *mus* correctae, c. 613. velis et *vel voles*, a. unoque, *que* man. alia, c. 615. si, sed *i* manu alia, c. 616. facilesque, b. d. aditus, ante *d* aliquid deletum est, c. 617. chaosque, *a* correcta man. alia ex *o*, c.

603. — *quo tanti praeponderet alea fati.*] Vel ob illud *quo* corrigendum est,

— *quo tanti* PROPENDEAT *alea fati.*

616. — *faciles aditus, multique patebunt*] Rectius codices plerique, FACILESQUE. Illud QUE promittit aliud epitheton secuturum.

617. — *tellus nobis, aetherque, chaosque, Aequoraque, et campi, Rhodopeaque saxa lo-*

Aequoraque, et campi, Rhodopeaque saxa loquentur.
Sed pronum, cum tanta novae sit copia mortis,
620 Emathiis unum campis attollere corpus,
Ut modo defuncti tepidique cadaveris ora
Plena voce sonent: ne membris sole perustis
Auribus incertum feralis strideat umbra.
Dixerat: et noctis geminatis arte tenebris,
625 Moestum tecta caput squalenti nube, pererrat
Corpora caesorum, tumulis projecta negatis.
Continuo fugere lupi, fugere revulsis
Unguibus impastae volucres, dum Thessala vatem
Eligit, et gelidas leto scrutata medullas
630 Pulmonis rigidi stantes sine vulnere fibras
Invenit, et vocem defuncto in corpore quaerit.
Fata peremtorum pendent jam multa virorum,

618. versus in margine scriptus legitur, c. loqu*u*ntur, a. 619. pronum *est*, d. 621. tr*e*pidique, b. 622. sol*a*, c. 625. tes*c*ta, *c*. man. alia, c. spalenti, ut semper, a. 628. dum, correcta *d* ex *c* man. alia, b. 629. gelidas, *d* man. sec. b. 630. r*i*gidi, *i* man. alia, b. in membr. erasa. 631. Inven. def. vocem, c.

quentur.] Tellus, aether, chaos, aequora, his addit propinqua loca. Ergo legendum,

Aequoraque, et TEMPE, ET *Rhodopeia saxa loquentur.*

Tempe, montes Thessaliae, Rhodope proximae regionis Thraciae. Claudianus [III. Honor. 113.] *Rhodopeia saxa* habet. Martialis [lib. Spectac. III.], *Cultor Rhodopeius Haemo.*

622. — *ne membris sole perustis]* Melius alii codices NEC *membris.*

626. — *tumulis projecta negatis]* Laudat inter alios hunc et libri VII, 565. locum Bentl. ad Horat. Epod. 10, 22. dicens, *projecta* ea dici, quae inhumata, insepulta abjicerentur. WEB.

632. *Fata peremtorum pendent jam multa virorum.]* Alius codex TUNC. Lege TAM *multa.*

Digitized by Google

Quem Superis revocasse velit. si tollere totas
Tentasset campis acies, et reddere bello:
635 Cessissent leges Erebi, monstroque potenti
Extractus Stygio populus pugnasset Averno,
Electum tandem trajecto gutture corpus
Ducit, et inserto laqueis feralibus unco,
Per scopulos miserum trahitur, per saxa cadaver
640 Victurum: montisque cavi, quem tristis Erichtho
Damnarat sacris, alta sub rupe locatur.
Haud procul a Ditis caecis depressa cavernis
In praeceps subsedit humus: quam pallida pronis
Urget silva comis, et nullo vertice coelum
645 Suspiciens, Phoebo non pervia taxus opacat.
Marcentes intus tenebrae, pallensque sub antris
Longa nocte situs, nunquam, nisi carmine factum,
Lumen habet. non Taenareis sic faucibus aer
Sedit iners, moestum mundi confine latentis
650 Ac nostri: quo non metuunt emittere manes

633. revocare, c. 634. Tentasset, *set* man. alia in membr. erasa, c. 640. quem et superne scriptum *vel quod*, c. man. alia. 641. Dam*pna*nt, superne scriptae *rat*, c. 645. suspiciens, *pic* in membr. erasa, d. opacat, *t* man. alia, b. 646. pallensque, *que* man. alia, b. 647. *sine* et *vel nisi*, a. *tantum* et *vel factum*, a. 648. non, man. alia in membr. erasa, b. 649. mundi moestum, c. confine, man. sec. in membr. erasa, b. 650. metu*ant*, a. b. c. d. *ad*mittere, d.

646. — *pallensque sub antris Longa nocte situs.*] *Pallens situs* non apte dicitur; et *pallida silva* jam tertio ante versu habuimus. Lege iterum,

— SQUALENSQUE *sub antris*
Longa nocte situs.

650. — *quo non metuunt emit-*

Digitized by Google

Tartarei reges. nam quamvis Thessala vates
Vim faciat fatis, dubium est, quod traxerit illuc,
Aspiciat Stygias, an quod descenderit, umbras.
Discolor, et vario furialis cultus amictu
655 Induitur, vultusque operitur crine soluto,
Et coma vipereis substringitur horrida sertis.
Ut pavidos juvenis comites, ipsumque trementem
Conspicit, exanimi defixum lumina vultu:
Ponite, ait, trepida conceptos mente timores:

651. nam quamvis, in membr. erasa; ad marginem man. alia : *nam quamvis*, c. 652. traxerat et *vel traxerit*, a. ill*inc*, a. 653. Aspiciat, *ici* in membr. erasa, d. descend*it ad* et *vel descenderit*, b. 655. *a*peritur, a. b. c. d. in c glossa est *nudatur*. *remo*to, a. b. c. d. in c . *soluto* man. alia superne scriptum. 656. vipereis, *i* man. alia, c.

tere manes Tartarei reges.] Manuscripti fere omnes METUANT. Recte. *Non procul a Ditis domo, confinium mundi inferi et superi, quo non* metuant; hoc est, Ut ne metuant illuc manes emittere.

652. — *dubium est, quod traxerit illuc, Aspiciat Stygias, an quod descenderit, umbras.]* Secundum hanc lectionem et distinctionem, quodcumque agas, nullum huic loco sensum efficies. Codex Bersmanni habet, *descendit in umbras.* Lege,

— *dubium est, quod traxerit illuc,*
Aspiciat, Stygias an quod
DESCENDAT AD *umbras.*

Sententia haec est: quantumvis polleat venifica, ut anima quaedam vocanti illi praesto sit; tamen in hoc specu, quod utriusque mundi est confinium, dubium est, an *aspiciat* animam, quam e Stygo exciverat, an aliam, quae recens mortua illac ad inferos descendat.

655. — *vultusque operitur crine soluto,]* MSS. P. et T.

— *vultusque* aperitur *crine remoto.*

Hactenus velaverat vultum crine, nunc eum nudat, quo sit terribilior. nam sequitur:

Et coma vipereis substringitur horrida nodis.

GROTIUS. Cum Grotianis codicibus nostri omnes faciunt, et ipsa adeo sententia. Sed hoc non facit, *quo sit terribilior*; sed, quo ad opus se praeparet et accingat.

658. — *exanimi defixum lumina vultu :]* Satis bene *defixum*, sed melius est, quod Bersmanni codex suggerit,

Digitized by Google

660 Jam nova, jam vera reddetur vita figura,
Ut quamvis pavidi possint audire loquentem.
Si vero Stygiosque lacus, ripamque sonantem
Igniibus ostendam, si me praesente videri
Eumenides possent, villosaque colla colubris
665 Cerberus excutiens, et vincti terga Gigantes;
Quis timor, ignavi, metuentes cernere manes?
Pectora tunc primum ferventi sanguine supplet
Vulneribus laxata novis: taboque medullas
Abluit: et virus large lunare ministrat.
670 Huc quicquid fetu genuit Natura sinistro
Miscetur. non spuma canum, quibus unda timori est,
Viscera non lyncis, non dirae nodus hyaenae
Defuit, et cervi pasti serpente medullae:
Non puppim retinens, Euro tendente rudentes,
675 In mediis echeneis aquis, oculique draconum,
Quaeque sonant feta tepefacta sub alite saxa:
Non Arabum volucer serpens, innataque rubris
Aequoribus custos pretiosae vipera conchae,

663. si *te*, et superne *me* alia manu, c. 664. possent, *s* man. sec. in membr. erasa, b. villosaque in membr. erasa legitur, c. 665. victi, et *vel vincti*, a. 669. lunare; man. alia in membr. erasa, b. 671. "spuma "non, c. 672. d*ur*ae, a. b. 674. puppem, c. rudentes, *r* man. alia in membr. erasa, c. 675. echineis, a. ech*in*us, b. d. ech*in*us, c. 676. *dextr*a et *vel saxa*, a.

Exanimi DEFLEXUM *lumina vultu.*

Adeo exhorruit juvenis Pompejus, ut non ausus aspicere venificae apparatum, lumina alio deflecteret. Ovidius Metam. VII, 789,

Lumina deflexi, *revocataque rursus eodem*
Rettuleram.

671. — *non spuma canum,]* Alii codices omittunt EST. Re-

Aut viventis adhuc Libyci membrana cerastae,
680 Aut cinis Eoa positi Phoenicis in ara.
Quo postquam viles, et habentes nomina pestes
Contulit: infando saturatas carmine frondes,
Et quibus os dirum nascentibus inspuit, herbas
Addidit et quicquid mundo dedit ipsa veneni:
685 Tunc vox Lethaeos cunctis pollentior herbis
Excantare Deos, confundit murmura primum
Dissona, et humanae multum discordia linguae.
Latratus habet illa canum, gemitusque luporum.
Quod trepidus bubo, quod strix nocturna queruntur,
690 Quod strident ululantque ferae, quod sibilat anguis,
Exprimit, et planctus illisae cautibus undae,
Silvarumque sonum, fractaeque tonitrua nubis.
Tot rerum vox una fuit. mox cetera cantu
Explicat Aemonio, penetratque in Tartara lingua.
695 Eumenides, Stygiumque nefas, Poenaeque nocentum,
Et Chaos innumeros avidum confundere mundos,
Et Rector terrae, quem longa in secula torquet

679. Lib*i*cae, b. c. 680. ci*v*is, c. eo*e*a, c. 681. nomina et *vel numina*, a. 683. inspuit et *vel inbuit*, a. herb*i*s, a. 684. *et* ante v. quicquid manus alia addidit, b. 685. vox, *x* man. sec. addita, b. 686. conf*u*dit, b. d. 688. gemitu*m*que et *vel gemitusque*, a. 691. ill*i*sae, *i* man. sec. in membr. erasa, b. 694. explicat, *a* ex *i* man. sec. correxit, b. 696. mundos, *os* man. alia addidit, b.

ctius, quia sequitur consonans, non vocalis.

686. — *confundit murmura primum Dissona, et humanae multum discordia linguae.*] Codex Regius, NIMIUM *discordia.*

697. *Et Rector terrae, quem longa in secula torquet Mors dilata deum.*] Perperam hic in-

Mors dilata Deum, Styx, et quos nulla meretur
Thessalis, Elysios, coelum matremque perosa
700 Persephone, nostraeque Hecates pars ultima, per quam
Manibus et mihi sunt tacitae commercia linguae:
Janitor et sedis laxae, qui viscera saevo
Spargis nostra cani: repetitaque fila sorores
Fracturae: tuque o flagrantis portitor undae,
705 Jam lassate senex ad me redeuntibus umbris:
Exaudite preces, si vos satis ore nefando,
Pollutoque voco, si nunquam haec carmina fibris
Humanis jejuna cano, si pectora plena
Saepe dedi, et lavi calido prosecta cerebro:
710 Si quis, qui vestris caput extaque lancibus infans

698. St*i*x, *t* correcta, c. 699. Elisi*i*, b. Elysios, *o* ex *i* correcta, a. 700. Persiphone, c. *Ech*ates, c. Hec*c*ate, d. 704. *T*racturae, a. b. c. d. 705. la*x*ate et in margine man. alia *lassate*, c. 709. dedi et; *et* deest in b, serius addita est in c. cerebro, correctum ex *cerbro*, c. 710. quisqu*am* *n*ostris, a. quisqu*am*, b. d.

terpretes, quem deum torquet dilata in longa saecula mors sua: adeo ut prae sortis iniquitate taedium vitae eum capiat. Tu vero *Mors deum* hic accipe pro *deorum*: quem mors deorum diu dilata torquet et cruciat. Stoicum hic agit Noster, ut semper: Ex eorum sententia in conflagratione mundi omnia pereunt, etiam ipsi qui nunc dii. Optat igitur Pluto, sortem suam tertiam aegre ferens, ut conflagratio citius fiat, et in mundi renovatione vel maris vel etiam coeli sibi sortem speret.

698. — *Styx, et quos nulla meretur Thessalis, Elysios, coelum matremque perosa Persephone,*] Haec mendosa sunt: lege cum aliis codicibus,

— *Styx, et quos nulla meretur*
Thessalis, ELYSII; *coelum matremque perosa*
Persephone.

Quippe Elysios non oderat Proserpina, quos ipsi coelo praetulit. Styx, et Elysii campi, exaudite.

710. *Si quis, qui vestris caput extaque lancibus infans Imposuit, victurus erat,*] Duo ex nostris, *Si quisquis vestris*: Bers-

Imposuit, victurus erat, parete precanti.
Non in Tartareo latitantem poscimus antro,
Assuetamque diu tenebris, modo luce fugata
Descendentem animam: primo pallentis hiatu
715 Haeret adhuc Orci. licet has exaudiat herbas
Ad manes ventura semel. ducis omina nato
Pompejana canat noti modo militis umbra,
Si bene de vobis civilia bella merentur.
Haec ubi fata, caput spumantiaque ora levavit,
720 Aspicit astantem projecti corporis umbram,
Exanimes artus invisaque claustra timentem
Carceris antiqui. pavet ire in pectus apertum,
Visceraque, et ruptas letali vulnere fibras.
Ah miser, extremum cui mortis munus iniquae
725 Eripitur, non posse mori. miratur Erichtho

714. Discedentem, b. 715. licet, ante *t* aliquid erasum est, c. 716. om*nia*, b. c. 717. nos*tri*, a. umbra b. d. modo nostri mil. *arma*, c. Sub v. *arma* lineola, ut videtur, deleta est. 719. levavit, *e* in membr. erasa, c. 721. Exanimes*que*, c. 724. *Ha*, c. *A*, d. munus mortis, c. inique, d.

manni unus, *Si quisquam nostris*, Lege,

Si QUISQUIS NOSTRIS *caput extaque lancibus infans*
Imposuit, victurus erat.

Si quis et *si quisquam* hoc volunt, si *aliquis* ex infantibus erat victurus; *si quisquis* majus quid notat et *satis nefandum;* omnes nempe infantes victuros fuisse. Porro *nostris* lancibus, quas *ego* vobis fero: *vestris* etiam minorum veneficarum lances includeret.

721. *Exanimes artus invisaque claustra]* Melius alii codices *Exanimesque artus.*

724. — *cui mortis munus iniquae Eripitur, non posse mori.]* Lege *inique.* GROTIUS. Non accedo. Friget hoc prae illo, *iniquae mortis;* violentae scilicet, ob *ruptas letali vulnere fibras.* Etiam iniquae mortis hoc saltem munus est, semel mori; cum *miser* dixit, eo ipso sat ostenderat, *inique* eripi. Sed et mors ipsa per se *dura* et *iniqua* passim audit.

Digitized by Google

Has fatis licuisse moras, irataque Morti
Verberat immotum vivo serpente cadaver:
Perque cavas terrae, quas egit carmine, rimas
Manibus illatrat, regnique silentia rumpit:
730 Tisiphone, vocisque meae secura Megaera,
Non agitis saevis Erebi per inane flagellis
Infelicem animam? jam vos ego nomine vero
Eliciam, Stygiasque canes in luce superna
Destituam: per busta sequar, per funera custos,
735 Expellam tumulis, abigam vos omnibus urnis.
Teque Deis, ad quos alio procedere vultu
Ficta soles, Hecate, pallenti tabida forma,
Ostendam, faciemque Erebi mutare vetabo.
Eloquar immenso terrae sub pondere, quae te
740 Contineant, Ennaea, dapes, quo foedere moestum
Regum noctis ames, quae te contagia passam
Noluerit revocare Ceres. tibi, pessime mundi
Arbiter, immittam ruptis Titana cavernis,
Et subito feriere die. parcis? an ille

727. vi*no*, c. 728. rimas, ante *m* aliquid deletum est, c. 730. T*e*siphone, a. T*hes*iphone, b. c. Te siphone, et supra Te *o* scripta, d. 731. agit*as*, et in margine man. alia *·ducitis* et *·agitis*, c. *H*erebi, ita semper, b. c. 732. ego vos jam, c. 733. Stygiosque, a. *que* in membr. erasa, c. 734. Destituam, in membr. erasa, c. funera cu*nctis*, d. 735. urnis, in membr. erasa, d. 739. *q̄* te, lineola man. alia; ante *t* aliquid deletum est, c. 740. E*th*nea, b. c. *Hethnea*, d.

739. — *terrae sub pondere, quae te Cōntineant, Ennaea, dapes.*] Mirum, si *dapes* eam *contineant*, coerceant, comprimant. Recte Nic. Heinsius ad Claudianum, seu ex codice, sive ex conjectura, DETINEANT, suadeant, invitent ad commorandum. Seneca Epist. 70, *Sic veteres inquilinos indulgentia loci et consuetudo, etiam inter injurias*, detinet.

Digitized by Google

Compellandus erit, quo nunquam terra vocato
Non concussa tremit, qui Gorgona cernit apertam,
Verberibusque suis trepidam castigat Erinnym,
Indespecta tenet vobis qui Tartara; cujus
Vos estis Superi; Stygias qui pejerat undas.
Protinus astrictus caluit cruor, atraque fovit
Vulnera, et in venas extremaque membra cucurrit.
Percussae gelido trepidant sub pectore fibrae:
Et nova desuetis subrepens vita medullis,
Miscetur morti. tunc omnis palpitat artus:
Tenduntur nervi: nec se tellure cadaver
Paulatim per membra levat, terraque repulsum est,
Erectumque simul. distento lumina rictu
Nudantur. nondum facies viventis in illo,
Jam morientis erat. remanet pallorque rigorque;

746. *ex*cussa, c. b, sed *ex* man. sec.; a, qui addit pro varia lectione *vel concussa*. 747. trepid*a*, post *a* aliquid deletum est, c. Erinny*n*, a. Eri*nim*, sed *i* ex *e* correcta, c. Eri*n*em, d. *H*eri*n*em, b. 748. Ind*i*specta, c. Insp*ect*ata, d. 750. ad*s*trictus, ita semper in hac praepositione, d. 753. subrep*sit*, b. sub-repens, *ens* in membr. erasa, d. 754. om>is, > man. alia, c. 757. semel, a. b. c. qui pro varia lectione man. alia *simul* addit. distento, *i* man. alia, b. 758. Nudantur, *n* manus sec. addidit, b. 759. *Sed* mor. a. remanet*que*, c.

756. — *terraque repulsum est, Erectumque simul.*] Omnes nostri SEMEL: uno impetu, non gradatim, non flexu membrorum surgens.

757. — *distento lumina rictu Nudantur.*] Sunt qui NICTU substituere velint; quia ad *lumina* referunt. Frustra. Duplex vultus morientis signum ponit, *lumina nuda*, et *rictum distentum*. Rigent enim oculi, et maxillae cadunt, VIII, 683,

Dum vivunt vultus, dum lumina nuda *rigescunt.*

Suetonius de Augusto moribundo [c. 99.]: *Capillum sibi comi, et* malas labentes *corrigi prae-*

760 Et stupet illatus mundo. sed murmure nullo
Ora astricta sonant. vox illi linguaque tantum
Responsura datur. dic, inquit Thessala, magna,
Quod jubeo, mercede mihi: nam vera locutum
Immunem toto mundi praestabimus aevo
765 Artibus Aemoniis: tali tua membra sepulcro,
Talibus exuram Stygio cum carmine silvis,
Ut nullos cantata magos exaudiat umbra.
Sit tanti vixisse iterum: nec verba, nec herbae
Audebunt longae somnum tibi solvere Lethes,
770 A me morte data. tripodas vatesque Deorum
Sors obscura tenet. certus discedit, ab umbris
Quisquis vera petit, duraeque oracula Mortis
Fortis adit. ne parce, precor. da nomina rebus,
Da loca, da vocem, qua mecum fata loquantur.
775 Addidit et carmen, quo, quicquid consulit, umbram
Scire dedit. Moestum fletu manante cadaver,

761. stricta, et in margine man. alia *astricta*, c. 765. sepulchro, ita semper, b. 768. Sit, correcta *c* in *t*, c. tanti, *ti* man. sec. in membr. erasa, b. 769. t'pe, et in margine man. alia *vel solvere*, c. 771. Mors et *vel Sors*, a. tenet et *vel licet*, a. decet, d. discedat, a. b. c. d. ab umbris, in membr. erasa, c. 774. loquentur, c. 775. umbram, *m* man. sec. in membr. erasa, b.

cepit. Homerus de Agamemnone utrumque ponit, Odyss. *Λ*. 425,

χεροὶ κατ' ὀφθαλμοὺς ἐλέειν, σύν τε σόμ' ἐρεῖσαι.

771. *tripodas vatesque Deorum Sors obscura tenet. certus discedit, ab umbris Quisquis vera petit,*] Si, quisquis umbras consulit, certus veri discedit; cur tot verbis et tanta mercede hanc umbram hortatur, ut vera dicat? Repone cum melioribus codicibus,

— *tripodas vatesque deorum*
Sors obscura DECET. *certus* DISCEDAT, *ab umbris*
Quisquis vera petit.

Digitized by Google

Tristia non equidem Parcarum stamina, dixit,
Respexi, tacitae revocatus ab aggere ripae:
Quod tamen e cunctis mihi noscere contigit umbris,
780 Effera Romanos agitat discordia manes,
Impiaque infernam ruperunt arma quietem.
Elysias alii sedes, ac Tartara moesta
Diversi liquere duces: quid fata pararent,
Hic fecere palam. tristis felicibus umbris
785 Vultus erat. vidi Decios, natumque patremque,
Lustrales bellis animas, flentemque Camillum,
Et Curios; Syllam de te, Fortuna, querentem.
Deplorat Libycis perituram Scipio terris
Infaustam sobolem. major Carthaginis hostis,
790 Non servituri moeret Cato fata nepotis.
Solum te, Consul, depulsis prime tyrannis
Brute, pias inter gaudentem vidimus umbras.
Abruptis Catilina minax fractisque catenis,

777. *fl*amina et in margine man. alia *stamina*, c. 778. *A*spexi, b. d. *Ad*spexi, a. 779. michi, ita fere semper, c. 781. infernam, et in margine man. alia *eternam*, c. 782. Elisias, ita semper, b. c. 783. parturent, *a*man. sec. in membr. erasa, b. 784. Hi, a. d. Hii, b. 785. natumque, *m* manus alia addidit, c. 787. Sillam, ita semper, b. *et* Sillam, c. 789. Cartaginis, b. d.

777. *Tristia non equidem Parcarum stamina, dixit, Respexi.]* Omnes fere codices, ASPEXI. Recte. Nam Parcae ultra Styga erant, ipse citra. At si *respexi* legis, hoc innuis, nempe huic copiam inspiciendi fuisse, sed eam neglexisse.

782. *Elysias alii sedes, ac Tartara moesta Diversi liquere duces:]* Lege, AT *Tartara moesta.*

793. *Abruptis Catilina minax fractisque catenis Exultat,]* Quid quaeso interest inter *Abruptis* et *fractis*, quo ab odiosissima repetitione poetam absolvas? Qui tot alia tam argute dixit, hoc

Digitized by Google

Exultat, Mariique truces, nudique Cethegi.
795 Vidi ego laetantes popularia nomina Drusos;
Legibus immodicos, ausosque ingentia Gracchos.
Aeternis chalybum nodis et carcere Ditis
Constrictae plausere manus: camposque piorum
Poscit turba nocens. regni possessor inertis
800 Pallentes aperit sedes, abruptaque saxa
Asperat, et durum vinclis adamanta, paratque
Poenam victori. refer haec solatia tecum,
O juvenis, placido manes, patremque domumque,
Expectare sinu, regnique in parte serena
805 Pompejo servare locum. nec gloria parvae
Sollicitet vitae: veniet quae misceat omnes
Hora duces. properate mori, magnoque superbi
Quamvis e parvis animo descendite bustis,
Et Romanorum manes calcate Deorum.
810 Quem tumulum Nili, quem Tybridis abluat unda,
Quaeritur, et ducibus tantum de funere pugna est.
Tu fatum ne quaere tuum cognoscere: Parcae,

796. Grachos, b. Graccos, c. 797. Aeterni chalyb*is*, a. Alternis, b. 803. domumque et *vel dominumque*, a. 805. ne, deleta c, quae antea fuit, b. 806. Sollicit*at*, c. 810. a*l*luat, ante *u* aliquid deletum est, b. abluit, c.

tam putidum numquam dixerit. Potius scripsisset,

AT RUPTIS *Catilina minax* TRACTISQUE *catenis*.

Cum *pias* animas absolvisset, nunc impias inducit: ergo opus omnino est disjunctione AT. *Tractas* autem egregie dixit; quia ruptis licet catenis liber tamen non erat, cito ad antiquam poenam per Furias revocandus. Persius v, 158.

— rupi *jam* vincula *dicas*:
Nam et luctata canis nodum arripit: ast tamen illi,
Cum fugit, a collo trahitur *pars magna* catenae.

812. *Tu fatum ne quaere tuum cognoscere:*] Distingue alio modo:

Me reticente, dabunt: tibi certior omnia vates
Ipse canet Siculis genitor Pompejus in arvis:
815 Ille quoque incertus, quo te vocet, unde repellat,
Quas jubeat vitare plagas, quae sidera mundi.
Europam, miseri, Libyamque, Asiamque timete:
Distribuit tumulos vestris Fortuna triumphis.
O miseranda domus, toto nihil orbe videbis
820 Tutius Emathia. Sic postquam fata peregit;
Stat vultu moestus tacito, mortemque reposcit.
Carminibus magicis opus est herbisque, cadaver
Ut cadat, et nequeunt animam sibi reddere fata
Consumto jam jure semel. Tum robore multo
825 Extruit illa rogum: venit defunctus ad ignes:

813. dab*it*, d. om*ina*, d. 814. *hor*is, et man. sec. *vel arvis*, b. *oris* pro varia lectione, a. 815. incertus, *is* in membr. erasa, b. 818. Distribuet, correcta *e* ex *i* man. sec. b. 819. ni*l*, d. 820. postquam sic, a. 821. *p*eposcit, c. 822. opus est magicis, c. 823. cadat*que*, *ue* in membr. erasa, c. neque*un*t, *u* man. sec. in membr. erasa, b. 825. Ex*st*ruit, ita semper in hac praepositione, a. d. ignes et *vel ignem*, a.

Tu fatum ne quaere tuum: cognoscere Parcae,
Me reticente, dabunt.

814. — *Siculis genitor Pompejus in arvis:]* Pro *omnia*, repone, OMINA; ut supra 716,

— *ducis* omina *nato*
Pompejana canat nostri modo militis umbra.

Virgil. v, 524,

Seraque terrifici cecinerunt omina *vates.*

Silius IV, 131,

— *Tyrio canit* omina *regi.*

Recto ORIS vel UNDIS, non *arvis*. non enim *arva* Siciliae, sed *oras* tantum pirata tenuit. Noster supra de codem 421,

Qui mox Scyllaeis *exul grassatus* in undis.

817. *Europam, miseri, Libyamque, Asiamque timete: Distribuit tumulos vestris Fortuna triumphis.]* Lege ex aliis libris, DISTRIBUET.

L

Accensa juvenem positum strue linquit Erichtho,
Tandem passa mori, Sextoque ad castra parentis
It comes: et coelo lucis ducente colorem,
Dum ferrent tutos intra tentoria gressus,
830 Jussa tenere diem densas nox praestitit umbras.

826. positum juvenem, a. *liquit*, b. *liquid*, c. *relinquit*, d. 830. praestit*it*, *it* manus alia addidit, d.

Explicit VItus; Incipit VIIus. c. *Incipit Liber Septimus*, d.

Digitized by Google

M. ANNAEI LUCANI
PHARSALIAE
LIBER SEPTIMUS.

Segnior Oceano, quam lex aeterna vocabat,
Luctificus Titan nunquam magis aethera contra
Egit equos, currumque polo rapiente retorsit:
Defectusque pati voluit, raptaeque labores

1. lex, manu sec. additum est, b. 3. cursumque, c. et b, correcta tamen *s* in *r* manu secunda.

2. *Luctificus Titan nunquam magis aethera contra Egit equos,]* Ain vero, *Luctificus Titan?* Cur vero eodem epitheto sol infamatur, quo Furiarum maxima Alecto apud Virgil. VII, 324,

Luctificam *Alecto dirarum ab sede sororum.*

Tantum aberat, ut sol *luctificus*, sive causa cladis luctusque fuerit, ut nemo magis moereret; ac idcirco *tardior* solito exoriebatur, et eclipsin pati optabat, ne cladem et nefas conspiceret. Non repugno tamen, quin *luctificus* sedem hic suam retineat, si non aliud verbum sponte suboriatur, quod et sententiam et compositionem reddat meliorem, et tam simile sit, ut jure librariis fucum fecisse videatur. Lege autem,

Segnior Oceano, quam lex aeterna vocabat,
LUCIFEROS *Titan nunquam magis aethera contra*
Egit equos, currumque polo rapiente retorsit.

Ovidius, Heroid. XI, [46.]

— luciferos *Luna movebat* equos.

de Aurora, Arte Amand. III, [180.]

Roscida luciferos *cum dea jungit* equos.

Illud vero *contra aethera* et *polo rapiente;* quia ipse aether et

Digitized by Google

5 Lucis: et attraxit nubes, non pabula flammis,
Sed ne Thessalico purus luceret in orbe.
At nox felicis Magno pars ultima vitae
Sollicitos vana decepit imagine somnos.
Nam Pompejani visus sibi sede theatri
10 Innumeram effigiem Romanae cernere plebis,
Attollique suum laetis ad sidera nomen
Vocibus, et plausu cuneos certare sonantes.
Qualis erat populi facies, clamorque faventis,
Olim cum juvenis, primique aetate triumphi
15 Post domitas gentes, quas torrens ambit Iberus,
Et quaecunque fugax Sertorius impulit arma,
Vespere pacato, pura venerabilis aeque
Quam currus ornante toga, plaudente Senatu,
Sedit adhuc Romanus eques. seu fine bonorum

5. pabula, *pa* et *u* manu sec. in membr. erasa, b. 6. l*i*ceret, c. 7. Magno, *o* man. sec. in membr. erasa, b. 13. facies populi, a. faventi et *vel tis*, a. faventis, et man. sec. *vel tum*, b. 16. fug*a*, a. et d, sed *x* man. alia addita. 18. *Cum*, et superne *Quam*, a.

polus (*nam ejus diei fatis coelum omne vacavit*, VII, 206,) majore solito vertigine solem adversum retardabant, ut sueto tardius oriretur. Sol ipse, apud Ovidium, Metam. II, 70,

Adde quod assidua rapitur vertigine coelum,
Sideraque alta trahit, celerique volumine torquet.
Nitor in adversum: nec me, qui cetera, vincit
Impetus: et rapido contrarius evehor orbi.

13. *Qualis erat populi facies,*] Repone ex aliis codicibus POPULIS. ut ille Ovidii locus: *Sed* mihi *tum faciles.* Horatius [Sat. II, 5, 102.],

Unde mihi *tam fortem tamque fidelem?*

16. *Et quaecunque fugax*] Recte codex Pulmanni,

Et QUACUMQUE *fugax Sertorius impulit arma.*

19. — *seu fine bonorum Anxia venturis ad tempora laeta refugit:*] Quam rem dicit esse

20 **Anxia venturis ad tempora laeta refugit:**
Sive per ambages solitas contraria visis
Vaticinata quies, magni tulit omina planctus:
Seu vetito patrias ultra tibi cernere sedes,
Sic Romam Fortuna dedit. Ne rumpite somnos,
25 Castrorum vigiles, nullas tuba verberet aures.
Crastina dira quies, et imagine moesta diurna
Undique funestas acies feret, undique bellum.
Unde pares somnos populi, noctemque beatam?
O felix, si te vel sic tua Roma videret.
30 Donassent utinam Superi, patriaeque tibique
Unum, Magne, diem, quo fati certus uterque
Extremum tanti fructum caperetis amoris.
Tu velut Ausonia vadis moriturus in urbe:
Illa, rati semper de te sibi conscia voti,
35 Hoc scelus haud unquam fatis haerere putavit,

21. venturis, post *s* aliquid deletum est, d. 22. om*n*ia, *n* manus sec. addidit, b. om*n*ia, c. sed man. alia *omina* correxit, alia in margine *omina* scripsit. 28. populi, post *i* aliquid deletum est, c. 30. donassent, *ssent* in membr. erasa, d. 31. Magne, *e* man. alia in membr. erasa, c. 34. conscia, *s* manus alia addidit, c.

anxiam? nihil enim video. Nam *quies* in proxima sententia sive *somnus* nullo modo huc convenit. Corrige,

— *seu fine bonorum*
Anxia MENS CURIS *ad tempora laeta refugit.*

Fine bonorum, ut VIII, 29,
— *nisi summa dies* cum fine *bonorum*
Affuit.

Anxia mens curis, ut II, 681,
— *curis animum morsdecibus angit.*

25. — *nullas tuba verberet aures.*] Harleianus et Trin. AURAS. Recte. De Pompejo solo curat, ne a somno excitetur, at si *nullas aures*, de omnium somno caveret. Virgilius, [A. V, 377.]

— *et verberat ictibus auras.*

Digitized by Google

Sic se dilecti tumulum quoque perdere Magni.
Te misto flesset luctu, juvenisque senexque,
Injussusque puer: lacerasset crine soluto
Pectora femineum, ceu Bruti funere, vulgus.
40 Nunc quoque tela licet paceant victoris iniqui,
Nuntiet ipse licet Caesar tua funera, flebunt:
Sed dum thura ferent, dum laurea serta Tonanti.
O miseri, quorum gemitus edere dolorem,
Qui te non pleno pariter planxere theatro.
45 Vicerat astra jubar, cum misto murmure turba
Castrorum fremuit, fatisque trahentibus orbem,
Signa petit pugnae. miseri pars maxima vulgi
Non totum visura diem, tentoria circum
Ipsa ducis queritur, magnoque accensa tumultu
50 Mortis vicinae properantes admovet horas.

40. *Hoc* quoque, d. 41. Cesar. tua, d. 42. *tura*, ita semper, a. d. fer*unt*, a. b. c. d. 50. admo*net* et *vel admovet*, a.

38. *Injussusque puer:*] Sponte sua, non imperio parentum aut aliorum. Scaliger malebat, *Investisque puer*. GROTIUS. *Investis*, etiam si codices addicerent, nihil praeter aetatem significaret; at illud *Injussus* moralem affectum superaddit. Cicero Tuscul. III, 27, *Pueros vero matres et magistri castigare etiam solent; nec verbis solum, sed etiam verberibus, si quid in domestico luctu hilarius ab his factum est aut dictum*, PLORARE COGUNT.

42. *Sed dum thura ferent,*] Placet aliorum codicum lectio FERUNT.

47. — *miseri pars maxima vulgi* - - - - - *tentoria circum Ipsa ducis queritur:*] Non credo de parte *maxima:* ubi enim disciplina militaris; ubi tantae multitudini ad consistendum locus? Codex Bersmanni rectissime, *pars* ULTIMA. Et fex populi, et Reges, et Senatores extorquebant signum praelii a Pompejo. Juvenalis VIII, 44,

Nos humiles, inquit, vulgi pars ultima nostri.

50. *Mortis vicinae properantes admovet horas.*] MS. T. sic habet, quomodo hunc locum emendatum video ab eodem, cujus ante et honoris et amicitiae causa memini, Rutgersio:

Morti *vicinae properantes admovet horas.*

GROTIUS. Non placet emendatio Rutgersiana. *Sibi* enim ad-

Digitized by Google

Dira subit rabies: sua quisque ac publica fata
Praecipitare cupit: segnis pavidusque vocatur,
Ac nimium patiens soceri Pompejus, et orbis
Indulgens regno, qui tot simul undique gentes
55 Juris habere sui vellet, pacemque timeret.
Nec non et reges populique queruntur Eoi
Bella trahi, patriaque procul tellure teneri.
Hoc placet, o Superi, cum vobis vertere cuncta
Propositum, nostris erroribus addere crimen.
60 Cladibus irruimus, nocituraque poscimus arma:
In Pompejanis votum est Pharsalia castris.
Cunctorum voces Romani maximus auctor
Tullius eloquii, cujus sub jure togaque
Pacificas saevus tremuit Catilina secures,

51. subit, *ibit*, man. sec. in membr. erasa, b. fata et *vel signa*, man. alia, c. 52. *capd'*, et superne scriptum *cupit* man. alia, quod in margine quoque alia manu legitur. vocatus, d. 53. soceri paciens, c. 55. timeret, *r* man. alia addidit, d. 59. Propositum *est*, c. 60. poscimus, *p* correcta, c. 61. Pharsalia, *Phar* in membr. erasa, c. castris, *is* man. sec. in membr. erasa, b. 64. Pacificus, *a* man. alia, c.

movet *mortem*, non *se morti*. Infra 591,

Nec tibi *fatales* admoveris *ante* Philippos,
Thessalia periture tua.

Seneca de brevitate vitae XVI, *At illis erat* admoturus fatum *ipse*. Noster IV, 480.

— admoto *occurrere* fato.

et VI, 416,

— *propius jam* fata moveri
Degeneres trepidant animi.

Statius VIII, 375,

Fatalem *populis ultro poscentibus* horam
Admovet *atra dies.*

53. *Hoc placet, o Superi,*] Meliores codices PERDERE *cuncta*, et omnes *Propositum* EST. *Addere crimen*, ut, quod alias patiendo error et poena esset, cupiendo fiat crimen. *Perdere cuncta*, ut illud Catulli, [XXIX, 25.]

Socer generque perdidistis omnia.

Digitized by Google

65 Pertulit, iratus bellis, cum rostra forumque
Optaret, passus tam longa silentia miles.
Addidit invalidae robur facundia causae.
Hoc pro tot meritis solum te, Magne, precatur,
Uti se Fortuna velis, proceresque tuorum
70 Castrorum, regesque tui cum supplice mundo
Affusi, vinci socerum patiare rogamus.
Humani generis tam longo tempore bellum
Caesar erit? merito, Pompejum vincere lente,
Gentibus, indignum est, a transcurrente subactis,
75 Quo tibi fervor abit? aut quo fiducia fati?
De Superis, ingrate, times? causamque Senatus
Credere Diis dubitas? ipsae sua signa revellent,
Prosilientque acies. pudeat vidisse coactum.

68. precatur, et *vel precamur*, a. 73. lent*um*, c. lente et *vel tarde* et *vel tardum*, a. *tarde*, man. sec. in membr. erasa, b. 74. *te* transcurrente, d. 77. *Dis*, b. d. *tua*, b. et c, qui pro varia lectione *sua* man. alia addit. 78. vicisse, a, c.

Noster infra 665,

Omnia quid laceras, quid perdere cuncta *laboras?*

Ovidius Heroid. XVII, [48.]

— *nec ullus*
Error, *qui facti* crimen obumbret, *erit.*

72. *Humani generis tam longo tempore bellum Caesar erit?*] Melius alii codices, licet numero pauciores, HUMANO GENERI.

77. — *ipsae sua signa revellent, Prosilientque acies.*] Alii codices, *ipsae* TUA *signa revellent.* Signa enim et castra non exercitus, sed imperatoris dicuntur. Caesar supra [V,] 349,

Quisquis mea *signa relinquens.*

Cato infra IX. 379,

O quibus una salus placuit mea *castra secutis.*

Et hic *v.* 83, Cicero ad Pompejum,

— *propera, ne te* TUA *classica linquant.*

Vides, si *sua* legas, insolentiam verbi, si TUA, repetitionem. ut utramque vites, lege,

— *ipsae* SIBI *signa revellent.*

78. — *pudeat vidisse coactum.*] Unde natum illud *vidisse*, cum et codices et sententia ipsa postulent VICISSE?

Digitized by Google

Si duce te jusso, si nobis bella geruntur,
80 Sit juris quocunque velint concurrere campo.
Quid mundi gladios a sanguine Caesaris arces?
Vibrant tela manus: vix signa morantia quisquam
Expectat: propera, ne te tua classica linquant.
Scire Senatus avet, miles te, Magne, sequatur,
85 An comes. Ingemuit Rector, sensitque Deorum
Esse dolos, et fata suae contraria menti.
Si placet hoc, inquit, cunctis, si milite Magno,
Non duce tempus eget, nil ultra fata morabor.
Involvat populos una Fortuna ruina,
90 Sitque hominum magnae lux ista novissima parti.
Testor, Roma, tamen Magnum, quo cuncta perirent,

80. vel*im*, d. et a, qui *vel velint* addit. 81. arces, correcta *c* ex *t* man. alia, c. 82. quisqu*e*, c. 83. l*i*quant, c. 85. rector, *c* man. alia in membr. erasa, b. 86. fata et *vel vota*, a. 87. cunctis inquit, d. hoc "*cunctis*" vobis, *inquid* man. alia, *c*. 88. n*on*, a. ni*hil*, d.

79. *Si duce te jusso.*] Non jubente. Si tibi Senatus, non tu Senatui imperas. Posses et *justo* scribere, id est legitimo. GROTIUS. Immo unica et vera lectio est *jusso*. Supra v, 46,

Consulite in medium Patres, Magnumque jubete
Esse ducem.

82. — *vix signa morantia quisquam Expectat*:] At paulo ante v. 77. habuimus, *ipsae* SIGNA signa *revellent*. Quid si legas,

— *vix* FATA *morantia quisquam Expectat.*

Infra 252,

Nil opus est votis, jam fatum arcessite *ferro.*

et 460,

Ut rapido cursu, fati *suprema* morantem
Consumsere locum.

87. *Si placet hoc, inquit, cunctis*,] Concinnius codex Coll. Trinitatis,

Si placet hoc cunctis, inquit, *si milite Magno,*
Non duce tempus eget.

Digitized by Google

Accepisse diem. potuit tibi vulnere nullo
Stare labor belli: potuit sine caede subactum,
Captivumque ducem violatae tradere paci.
95 Quis furor, o caeci, scelerum? civilia bella
Gesturi, metuunt, ne non cum sanguine vincant.
Abstulimus terras, exclusimus aequore toto,
Ad praematuras segetum jejuna rapinas
Agmina compulimus, votumque effecimus hosti,
100 Ut malleat sterni gladiis, mortesque suorum
Permiscere meis. belli pars magna peracta est
His, quibus effectum est, ne pugnam tiro paveret:
Si modo virtutis stimulis, iraeque calore
Signa petunt. multos in summa pericula misit
105 Venturi timor ipse mali. fortissimus ille est,
Qui promtus metuenda pati, si comminus instent,
Et differre potest. placet haec tam prospera rerum

94. *Romanae*, a. et pro varia lectione b; *violatae* pro varia lectione a. paci, correcta c ex *t*, c. 100. mortem*que*, c. mortesque, sed *s* man. sec. in membr. erasa, b. 106. pro*n*tus, c. prōpt', lineolam supra *o* manus alia addidit, b. co*m*inus, b. c.

93. — *potuit sine caede subactum,*] Immo, ut alii codices, POTUI. Nam *labor belli potuit tradere paci*, omnino durum et subabsurdum esset.

94. — *violatae tradere paci.*] Lege *Romanae*, ut alibi [VIII, 427.] *Assyriae paci.* Tacit. Annal. XII, 29, *Ne fortuna elati* nostram *quoque* pacem *turbarent.* et 33, *additis qui* pacem nostram *metuebant.* Ubi plura vide apud Gronovium. Plin. XXVII, 1, *Alia aliunde ultro citroque in toto orbe portari, immensa* Romanae pacis *majestate.*

95. *Quis furor, o caeci, scelerum?*] Tolle distinctionem, ut sit *caeci scelerum*, non *furor scelerum.*

Quis furor, o caeci scelerum?

102. — *ne pugnam tiro paveret:*] Lege, ea qua solet Noster compositione, et codex Caji praestat,

— pugnam ne *tiro paveret.*

Digitized by Google

Tradere Fortunae? gladio permittere mundi
Discrimen? puguare ducem, quam vincere, malunt.
110 Res mihi Romanas dederas, Fortuna, regendas:
Accipe majores, et caeco in marte tuere.
Pompeji nec crimen erit, nec gloria bellum.
Vincis apud Superos votis me, Caesar, iniquis:
Pugnatur. quantum scelerum, quantumque malorum
115 In populos lux ista feret! quot regna jacebunt!
Sanguine Romano quam turbidus ibit Enipeus!
Prima velim caput hoc funesti lancea belli,
Si sine momento rerum, partisque ruina
Casurum est, feriat: neque enim victoria Magno
120 Laetior. aut populis invisum, hac clade peracta,
Aut hodie Pompejus erit miserabile nomen.
Omne malum victi, quod sors feret ultima rerum,
Omne nefas victoris erit. Sic fatur, et arma
Permittit populis, fraenosque furentibus ira

108. gladi*is*, *is* man. sec. in membr. erasa, b. 109. ducem, signo quodam addito in margine legitur, c. 116. Enip*h*eus, b. c. 120. clade et *vel caede*, a. ca*e*de, sed *cae* man. sec. in membr. erasa, b. 123. Sic, sed *S* man. sec. in membr. erasa, b.

114. *Pugnatur. quantum scelerum, quantumque malorum In populos lux ista feret!*] Cur, obsecro, *lux ista?* cur non *haec lux?* nam cum haec loquitur Pompejus, *lux* erat, et dies ipse, in quo pugnatum est. supra 45, *Vicerat astra jubar.* Sed gemino mendo laborat sententia, quam nunc eruimus, codice Bersmanni viam monstrante: ubi PUGNETUR. et ex eo vestigio cetera sic lege,

PUGNETUR. *quantum scelerum*
quantumque malorum
In populos vox *ista dabit!*

Omnes signum pugnae petierant: hoc verbo signum istud dat: *Pugnetur*, habetis pugnandi licentiam: quantum *vox ista*, verbum istud *Pugnetur*, dabit hodie malorum!

122. — *sors feret ultima rerum,*] Affert hunc inter alios lo-

Digitized by Google

125 Laxat: et ut victus violento navita Coro
Dat regimen ventis, ignavumque arte relicta
Puppis onus trahitur. trepido confusa tumultu
Castra fremunt, animique truces sua pectora pulsant
Ictibus incertis. multorum pallor in ore
130 Mortis venturae est, faciesque simillima fato.
Advenisse diem, qui fatum rebus in aevum
Conderet humanis, et quaeri Roma quid esset,
Illo marte palam est. sua quisque pericula nescit,
Attonitus majore metu. quis littora ponto
135 Obruta, quis summis cernens in montibus aequor,
Aetheraque in terras dejecto sole cadentem,
Tot rerum finem, timeat sibi? non vacat ullos
Pro se ferre metus: Urbi, Magnoque timetur.
Nec gladiis habuere fidem, nisi cotibus asper

125. violento, *o* correcta man. sec. in membr. erasa, b. 127. *h*onus, ita saepius, c. 130. venturae, omisso *est*, a. b. c. d. *le*to, a. 137. ullos, et in margine man. alia *ulli*, c. 139. nis*i*, *i* man. sec. b. cautibus, a. b. c. d. cotibus pro varia lectione a. et in margine c, manu alia.

cos Bentl. ad Horat. Epist. II, 2, 173. quibus locutionem *ultima*, *suprema sors* comprobet. Wer.

125. — *et ut victus*] Illud *et*, ut facile animadvertes, redundat et orationem turbat. Corrige,

Laxat; ut evictus *violento navita Coro*
Dat regimen ventis.

Quid, quod *evictus* per se melius hic est quam *victus*: notat enim, post longum certamen tandem invitum navitam vento cessisse; ut ornus arbor, Virgil. Aen. II, 630,

Vulneribus donec paulatim evicta supremum
Congemuit.

130. — *faciesque simillima fato.*] Repone ex Pulmanni codice leto. proximo enim versu habebis, *qui* Fatum *rebus in aevum.*

137. — *non vacat ullos Pro se ferre metus:*] Codex Academiae pro varia lectione,

Digitized by Google

140 Exarsit mucro. tunc omnis lancea saxo
Erigitur: tendunt nervis melioribus arcus:
Cura fuit lectis pharetras implere sagittis.
Auget eques stimulos, fraenorumque aptat habenas.
Si liceat Superis hominum conferre labores,
145 Non aliter, Phlegra rabidos tollente Gigantes,
Martius incaluit Siculis incudibus ensis;
Et rubuit flammis iterum Neptunia cuspis,
Spiculaque extenso Paean Pythone recoxit,
Pallas Gorgoneos diffudit in aegida crines,
150 Pallenaea Jovi mutavit fulmina Cyclops.
Non tamen abstinuit venturos prodere casus
Per varias Fortuna notas. nam Thessala rura

143. artat, a. c. d. et b, correcta tamen *r* in *p* man. sec. aptat pro varia lectione a, et in b. supra v. *artat* sine signo scriptum est. 145. *p*legra, et in margine man. alia *flegra*, c, hoc et in d. rapidos, c. Gigant*as*, a. b. 148. P*hit*ont*e* ret*or*sit, c. P*hit*one, b. 149. *e*gid*e*, c. 150. Pall*ae*nea, *e* man. alia addidit, b. 151. *mot*us et *vel casus*, a. 152. *ven*tura et superne scriptum *Fortuna*; in margine man. alia *Fortuna*, c.

— *non vacat* ULLI
Pro se ferre metus.

Ulli, ut supra 133,

— sua quisque *pericula nescit.*

143. *Auget eques stimulos, fraenorumque aptat habenas.*] Manuscripti fere omnes ARTAT. Seneca de beneficiis I, 14, *Tamquam reducam liberalitatem, et* fraenis arctioribus *reprimam.* Tibullus 1, 4, 71.

Hic placet, angustis *quod equum compescit* habenis.

Idem ad Messalam [IV, 1,] 91.

Aut quis equum celerem artato *compescere* fraeno
Par sit, et effusas tardo permittere habenas?

148. *Spiculaque extenso Paean Pythone recoxit,*] Mentionem facit hujus et aliorum locorum Bentl. ad Horat. Carm. 1, 35, 38, ubi loquendi formulam *coquere*, *recoquere ferrum*, comprobatam dedit. WER.

151. *Non tamen abstinuit venturos prodere casus Per varias*

Digitized by Google

Cum peterent, totus venientibus obstitit aether:
Inque oculis hominum fregerunt fulmina nubes:
155 Adversasque faces, immensoque igne columnas,
Et trabibus mistis avidos typhonas aquarum
Detulit, atque oculos ingesto fulgure clausit.
Excussit cristas galeis, capulosque solutis
Perfudit gladiis, ereptaque pila liquavit;
160 Aethereoque nocens fumavit sulfure ferrum.

154. ful*gura*, c. 155. columpnas, c. d. 156. ti*pho*nas, a. c. d. typhonas, sed *typho* man. sec. in membr. erasa, b. 157. in*jecto*, a. fulgure et *vel fulmine*, a. 158. solutis, *o* man. alia correcta, c. 159. ere*c*taque, b. c. d. cre*p*taque, a. *te*la et *vel pila*, a. pila, sed *pi* man. sec. in membr. erasa, b. 160. Aether*i*oque, a. d. et b, sed manus sec. *i* in *e* mutavit. *Echoreoque*, correcta *e* ex *i* man. alia, c. *f*ulgure, correcta *e* ex *a* man. alia, et in margine manu eadem, qua Cod. scriptus, *.sulphure*, c. hoc in d. quoque.

Fortuna notas.] Atqui haec non *Fortunae* provincia est, sed *Naturae*. et sane in quibusdam editis *Natura* legitur, ex conjectura, ut opinor. Haec duo non raro permutantur, ut I, 251, *Melius Fortuna dedisses*, Codex Regius *Natura*.

154. *Inque oculis hominum fregerunt fulmina nubes:*] Versus, ni valde fallor, spurius et ejiciendus, eandem enim sententiam mox habes, et verbis melioribus, 157,

Atque oculos ingesto fulgure clausit.

Et praeterea orationis filum interrumpit: *Aether obstitit, detulit, clausit, excussit, perfudit, liquavit.* Haec omnia a casu recto suo abscinduntur, si illud interseris.

156. *Et trabibus mistis avidos typhonas aquarum*] Lege *siphonas*. Olympiodorus in meteoris: *ναῦται δὲ σίφωνα* (vocant) *διὰ τὸ δίκην τοῦ σίφωνος ἀνασπᾶν τὸ ὕδωρ τῆς θαλάσσης.* Plin. II, 49. *ex eodem genere et in longam veluti fistulam nubes aquam trahit.* Grotius. Immo recte habet, quod omnes codices praeferunt, *typhonas*. Et res et vox nota est ex Plinio, Gellio, et aliis. at *siphona*, nisi pro instrumento, Latini nesciunt.

159. *– ereptaque pila liquavit:*] Forte *ferrataque pila*. Sen. Nat. Quaest. p. 162. *Manente vagina* gladius liquescit, *et inviolato ligno* circa pila ferrum omne distillat.

Digitized by Google

Nec non innumero cooperta examine signa,
Vixque revulsa solo, majori pondere pressum
Signiferi mersere caput, rorantia fletu,
Usque ad Thessaliam Romana et publica signa.
Admotus Superis discussa fugit ab ara
Taurus, et Emathios praeceps se jecit in agros;
Nullaque funestis inventa est victima sacris.
At tu, quos scelerum Superos? quas rite vocasti
Eumenidas, Caesar? Stygii quae numina regni?
Infernumque nefas? et mersos nocte furores?
Impia tam saeve gesturus bella litasti?
Jam dubium monstrisne Deum, nimione pavori
Crediderint: multis concurrere visus Olympo
Pindus, et abruptis mergi convallibus Aemus,

161. exa*nim*e, c. examin*e*, *e* man. sec. in membr. erasa, b. 164. *ac* publica, b. Romana*que*, et superne *et* scriptum man. alia, c. 165. dis*per*sa et in margine *discussa*, c. 166. *in*, *et* man. alia, d. *He*mathios, ut semper, d.

168. *At tu, quos scelerum Superos? quas rite vocasti Eumenidas,*] Lego hic,

At tu, quos SCELERI *Superos,*
quas rite vocasti
Eumenidas?

Aen. III, 222,

— divos ipsumque vocamus
In praedam partemque Jovem.

Aen. V, 186,

Auxilioque vocare deos, et tendere palmas.

171. *Impia tam saeve gesturus bella litasti?*] Tolle notam interrogationis. Hoc ex historia petitum. Pompejus litare non potuit, Caesar litavit. vide Appianum et Plutarchum in Caesare.

174. *— et abruptis mergi convallibus Aemus,*] Quarto abhinc versu 170 habuimus, *Et* mersos *nocte furores*. Lege ergo,

Pindus, et abruptis VERGI
convallibus Haemus.

Pindus *concurrit* Olympo, Haemus *concurrit* convallibus; quod facere non potest, nisi *vergatur* et inclinetur.

175 Edere nocturnas belli Pharsalia voces,
Ire per Ossaeam rapidus Boebeida sanguis:
Inque vicem vultus tenebris mirantur apertos,
Et pallere diem, galeisque incumbere noctem,
Defunctosque patres, et cunctas sanguinis umbras
180 Ante oculos volitare suos. sed mentibus unum
Hoc solamen erat, quod voti turba nefandi
Conscia, quae patrum jugulos, quae pectora fratrum
Sperabat, gaudet monstris, mentisque tumultu,
Atque omen scelerum subitos putat esse furores.

176. Boetida, c. Boebeida, *oebe* man. sec. in membr. erasa, b. 177. opertos, a. b. d. et c, sed ante *o* aliquid deletum est. 182. "*vulgos* et in margine "*jugulos*, man. alia, c. 183. tumultus, a. b. et c, sed *s* man. alia addidit.

177. — *vultus tenebris mirantur apertos,*] Omnes nostri, *opertos*, et res per se patet.

179. *Defunctosque patres, et cunctas sanguinis umbras*] Quae, quaeso, illae sunt *sanguinis umbrae?* Credideram *sanguine cassas* fuisse. [Virg. Aen. vi, 401.]

— *licet ingens janitor antro*
Aeternum latrans exsangues *terreat* umbras.

Corrige,

Defunctosque patres, et JUNCTI *sanguinis umbras*
Ante oculos volitare suos.

Patres, et *juncti sanguinis* sive cognatorum umbras. Noster i, iii, *Nam pignora* juncti Sanguinis. Silius x, 566, *Non* juncta *propinquo* Sanguine *turba virum.* Statius Thebaid. ii, [437.]

Propriorque fluit de sanguine juncto
Juppiter.

183. — *gaudet monstris, mentisque tumultu, Atque omen*] Et mala distinctione et mendo locus hic laborat. Repone ex aliis codicibus,

— *gaudet monstris; mentisque* tumultus
Atque omen scelerum subitos putat esse furores.

Suae *mentis*, sibi male consciae, *tumultus*, et venturi omen, putat furores esse a faventibus Diis immissos. sic Vultejus iv, 517, suum ipsius ardorem diis adscribit:

— *totusque futurae*
Mortis agor stimulis, furor *est. agnoscere solis*
Permissum est, etc.

Digitized by Google

185 Quid mirum, populos, quos lux extrema manebat,
Lymphato trepidasse metu? praesaga malorum
Si data mens homini est, Tyriis qui Gadibus hospes
Adjacet, Armeniumque bibit Romanus Araxem:
Sub quocunque die, quocumque est sidere mundi,
190 Moeret, et ignorat causas, animumque dolentem
Corripit: Emathiis quid perdat, nescit, in arvis.
Euganeo, si vera fides memorantibus, Augur
Colle sedens, Aponus terris ubi fumifer exit,
Atque Antenorei dispergitur unda Timavi,

185. *mane*bat et *vel vocabat*, a. b. sed *vel vocabat* man. sec. in b. 186. Limphato*s*, *s* manus alia addidit, d. 187. Ga*d*ibus, c. Gradibus, d. 188. Arax*in*, d. 190. Meret, b. 191. nesci*us* in arvis, a. nesci*us* arvis, c. nesci*us* quid perdat, d. 193. *segn*ifer erit, et in margine *fumifer exit*, c.

Virgilius, [Aen. IX, 185.]

— *Diine hunc ardorem mentibus addunt,*
Euryale, an sua cuique deus fit dira cupido.

186. *Lymphato trepidasse metu?]* Laudat hunc inter alios locos Bentl. ad Horat. Carm. I, 37, 14, ob haec ipsa verba. WEB.

190. — *animumque dolentem Corripit: Emathiis quid perdat, nescit, in arvis.]* Repone, et fide plurium codicum, et jussu ipsius sententiae,

Corripit: Emathiis quid perdat NESCIUS *arvis.*

194. *Atque Antenorei dispergitur unda Timavi,]* Scaliger in Hypercritico [VI, 6. p. 779.] *Neque verum est, quod ait, Timavum esse, ubi est Aponus: nam et fluvius Medoacus haud parum distat ab Apono, et Timavus Virgilianus,* Aen. I, 248.

Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare proruptum.

At in toto agro Patavino nihil ejusmodi. Virgilius ipse, Aen. I, 246,

Antenor potuit — —
— — — —
Regna Liburnorum et fontem superare Timavi.
— — — — —
— — — — —
Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit
Teucrorum.

Silius XII, [214.]

Atque Antenorea *sese de stirpe ferebat,*

Digitized by Google

195 Venit summa dies, geritur res maxima, dixit:
Impia concurrunt Pompeji et Caesaris arma.
Seu tonitrus ac tela Jovis praesaga notavit:
Aera seu totum discordi obsistere coelo,
Prospexitque polos: seu lumen in aethere moestum,
200 Solis in obscuro pugnam pallore notavit.
Dissimilem certe cunctis, quos explicat, egit
Thessalicum Natura diem: si cuncta perito
Augure mens hominum coeli nova signa notasset,
Spectari e toto potuit Pharsalia mundo.
205 O summos hominum, quorum Fortuna per orbem
Signa dedit, quorum fatis coelum omne vacavit.
Haec et apud seras gentes populosque nepotum,

198. Ae*th*era, a. b. c. d. obsistere et *vel absistere*, a. obsistere, sed *o* man. sec. in membr. erasa, b. 199. Per*s*pexitque, a. 200. Sol*us*, d, et pro varia lectione c, man. alia. 201. eg^{a}it, c. 204. Spect*ur*i toto, c. Spectari toto, b. d. 206. vacavit et vel vacabat, a. *a* man. sec. in membr. erasa, b. *v* correcta ex *b*, d. 207. seras, *s* manus sec. in membr. erasa, b.

Haud levior generis fama sacroque Timavo,
Gloria, et Euganeis *dilectum nomen in oris.*
— *atque* Apono *gaudens populus.*

Statius Silv. IV, 7, extr. de Livio Patavino,

— *Orsa Sallusti brevis, et Timavi reddis alumnum.*

Martial. XIII, 89,

— *Euganei Timavi.*

Cluverius, *Ab Apono* centum *millia passum abest Timavus.* Aponus prope Patavium est. Ergo Virgilius in eadem culpa est, qui Timavum et urbem Patavi junxit. Euganei interum illud terrae spatium olim tenebant. Cluverius p. 194. Iterum notatur Lucani imperitia: *Dispergitur unda Timavi.* Atqui Timavus ex septem fontibus ortus, in unum flumen colligitur, et uno ostio in mare exit. Mille fere passus sunt a fontibus ad ostium Timavi. In recessu aestus Timavi fontes dulces sunt et leniter effluunt; at ubi aestus maris intumuit, tum magno fragore exeunt, et salsi sunt, et adjacentia prata late inundant ad speciem maris.

Digitized by Google

Sive sua tantum venient in secula fama,
Sive aliquid magnis nostri quoque cura laboris.
210 Nominibus prodesse potest: cum bella legentur,
Spesque metusque simul, perituraque vota movebunt:
Attonitique omnes veluti venientia fata,
Non transmissa legent, et adhuc tibi, Magne, favebunt.
Miles ut adverso Phoebi radiatus ab ictu
215 Descendens totos perfudit lumine colles,
Non temere immissus campis: stetit ordine certo
Infelix acies. cornus tibi cura sinistri,
Lentule, cum prima, quae tum fuit optima bello,
Et quarta legione, datur: tibi numine pugnax
220 Adverso, Domiti, dextri frons tradita martis.
At medii robur belli fortissima densant
Agmina, quae Cilicum terris deducta tenebat
Scipio, miles in hoc, Libyco dux primus in orbe.
At juxta fluvios, et stagna undantis Enipei,

208. venient, et *vel* veniant, man. alia, b. 209. nostri, ante *n* aliquid deletum est, c. *quod*, manus alia addidit, c. 210. legentur, et man. sec. *vel gerentur*, b. 211. peritura, sine *que*, c. movebunt, et *vel manebunt*, a. 212. facta, puncta manu sec. b. 213. legent adhuc, c. 214. iles, erasa *M*, b. 215. perfu*n*dit, c. perfu*n*dit, b. 218. tu*nc*, b. c. 221. At, *t* man. sec. in membr. erasa, b. 224. At, ante *t* aliquid deletum, sic quoque ante *u* in v. undantis, c. Enip*h*ei, b. c.

216. *Non temere immissus campis:]* Placet codex Bersmanni, qui NEC. idem cum Regio in priore versu PERFUNDIT. et altero abhinc versu distingue post *Miles:* nec intellige *ut primum miles*, sed *ut pote radiatus.*

221. — *fortissima densant Agmina, quae Cilicum]* Lege

225 Cappadocum montana cohors, et largus habenis
Ponticus ibat eques, sicci sed plurima campi
Tetrarchae, regesque tenent, magnique tyranni,
Atque omnis Latio quae servit purpura ferro.
Illuc, et Libye Numidas, et Creta Cydonas
230 Misit: Itureis cursus fuit inde sagittis:
Inde, truces Galli, solitum prodistis in hostem:
Illic pugnaces commovit Iberia cetras.
Eripe victori gentes, et sanguine mundi

225. habenae et *vel habena*, a. 226. ib*a*it, c. sicci *et*, ante *e* aliquid deletum est, et superne scriptum *vel sed* man. alia, c. 227. regesque, *que* manus alia addidit, c. tenen*t*, post *t* aliquid deletum est, c. 229. Ill*ic*, c. Lib*iae*, b. N*i*midas, c. Cido*n*ias, c. 230. versus, Misit *et* Itur. etc., in margine manu alia scriptus est, c. Itireis, b. 232. pugna*nt*es, *nt* ex *c* correctis, c. *a*movit, et superne *com* man. alia, c.

FIRMISSIMA. Caesar Civ. III, 88, de his ipsis: *Ciliciensis legio cum cohortibus Hispanis in dextro cornu erant collocatae: has* firmissimas *se habere Pompejus existimabat.* Hirtius, bello Alex. 45, *Elige ex tuis cohortem unam, quam putas esse* firmissimam.

232. *Illic pugnaces commovit Iberia cetras.*] Rideo illas *pugnaces cetras:* etsi epitheton istud rei inanimae interdum conveniat, ut VIII, 464,

— pugnaci *litora* velo
Vix tetigit.

et Ovid. Fast. II, 547,

— *dum longa gerunt* pugnacibus armis
Bella.

et Trist. V, 7, [48.]

Victaque pugnaci *jura* sub ense *jacent.*

sed minime cetrae, sive scuto, quae non pugnat, non certat, non vulnerat, sed a vulnere, quantum potest, defendit: parma enim, pelta et cetra male defendebant corpus, necdum ut *pugnaces* fuerint. Statius Thebaid. VII, [270.]

Saevaque difficiles excludere vulnera peltas.

Martialis XIV, 213,

Haec quae saepe solet vinci, quae vincere raro
Parma.

Corrige,

Illic LUNATAS *commovit Iberia cetras.*

Livius XXVIII, 5, *Pelta*, inquit,

Fuso, Magne, semel, totos consume triumphos.
Illo forte die Caesar, statione relicta,
Ad segetum raptus moturus signa, repente
Conspicit in planos hostem descendere campos,
Oblatumque videt votis sibi mille petitum
Tempus, in extremos quo mitteret omnia casus.
Aeger quippe morae, flagransque cupidine regni,
Coeperat exiguo tractu civilia bella
Ut lentum damnare nefas. discrimina postquam
Adventare ducum, supremaque proelia vidit,
Casuram et fati sensit nutare ruinam,
Illa quoque in ferrum rabies promtissima, paulum
Languit, et casus audax spondere secundos,
Mens stetit in dubio, quam nec sua fata timere,
Nec Magni sperare sinunt, formidine mersa
Prosilit hortando melior fiducia vulgo.

234. consum*me*, c. 235. Illu*c*, *o* man. alia, c. *llo*, erasa I, b. 237. decendere, c. 240. *mundi* et *vel regni*, b. 244. *et* deest in a. b. c. d. fatis, a. d. et b, c, addita *s* man. alia. 249. *o*rtando, aliquid ante *o* deletum est, d.

cetrae haud dissimilis est. Atqui pelta lunata est; ergo et cetra. Virgilius Aen. 1, 494,

Ducit Amazonidum lunatis *agmina* peltis.

et XI, 662,

Feminea exultant lunatis agmina peltis.

Erit fortasse, qui Bersmanniani codicis lectionem probet CELTAS: sed quid est, *commovit Celtas?* aut quid, *Iberia Celtiberos?* crediderim, illud *Celtas* natum esse ex glossemate, *peltas.* Poteris etiam *pulsatas cetras;* hoc enim eis moris erat, cum in praeliis, tum in festis et ludis. Silius X, 230,

— *ac ritu jam moris Hiberi*
Carmina pulsata *fundentem barbara* cetra.

et III, 348,

Ad numerum resonas gaudentem plaudere cetras.

244. *Casuram et fati sensit nutare ruinam,*] *Fati* quidem Pulmanni Bersmannique codices

250 O domitor mundi, rerum fortuna mearum,
Miles, adest toties optatae copia pugnae.
Nil opus est votis: jam fatum accersite ferro.
In manibus vestris, quantus sit Caesar, habetis.
Haec est illa dies, mihi quam Rubiconis ad undas
255 Promissam memini, cujus spe movimus arma,
In quam distulimus vetitos remeare triumphos.
Haec eadem est hodie, quae pignora, quaeque penates
Reddat, et emerito faciat vos marte colonos.
Haec, fato quae teste probet, quis justius arma
260 Sumserit, haec acies victum factura nocentem est.
Si pro me patriam ferro flammisque petistis,
Nunc pugnate truces, gladiosque exolvite culpa.
Nulla manus belli, mutato judice, pura est.
Non mihi res agitur, sed vos, ut libera sitis
265 Turba, precor, gentes ut jus habeatis in omnes.
Ipse ego privatae cupidus me reddere vitae,
Plebejaque toga modicum componere civem:
Omnia dum vobis liceant, nihil esse recuso.

250. domitor, omisso *O*, b. 252. acersite, c. 255. mo*n*imus, c. 258. emerito*s*, a. d. 259. probet, *e* man. sec. ex *a* correcta, c. 260. factura, *c* serius addita est, d. 261. flamm*a*que, c. 262. gladioque et *vel gladiosque*, a. gladioque, ante *q* aliquid deletum est, b. gladioque, c. gladi*i*sque, d. exsolvite, sed *ex* in membr. erasa man. alia; alia superne scripsit *ab*, c. culpa*m*, a. d. et b, man. sec. *culpa* pro varia lectione, a. 264. se*t*, c. 265. omnes, correcta *e* ex *i*, d. 268. nichil, c. nil, d.

aliquot habent, nostri omnes *fatis*. Legendum,

CESSURAM *et fatis sensit nutare ruinam.*

Invidia regnate mea. nec sanguine multo
270 Spem mundi petitis: Grajis delecta juventus
Gymnasiis aderit, studioque ignava palaestrae,
Et vix arma ferens, et mistae dissona turbae
Barbaries; non illa tubas, non agmine moto
Clamorem latura suum. civilia paucae
275 Bella manus facient: pugnae pars magna levabit
His orbem populis, Romanumque obteret hostem.
Ite per ignavas gentes famosaque regna,
Et primo ferri motu prosternite mundum:
Sitque palam, quas tot duxit Pompejus in urbem
280 Curribus, unius gentes non esse triumphi.
Armeniosne movet, Romana potentia cujus
Sit ducis? aut emtum minimo vult sanguine quisquam
Barbarus Hesperiis Magnum praeponere rebus?
Romanos odere omnes, dominosque gravantur,

269. Invid*a*, c. regnate et *vel regnare*, a. 270. Grais, ita fere semper, c. 271. Gi*gn*asiis, c. 272. *aut* mistae, a. b. *vel et*, a. 279. orbem, c. 280. triumph*um*, d. 281. Armenosne, *o* man. alia in membr. erasa, c. 282. emptum, b. c. vult, *t* man. sec. addidit, b. 283. prepone*re*, *re* man. sec. additae, b.

Noster VIII, 575,

Sed cedit fatis, classemque relinquere jussus
Obsequitur.

269. *Invidia regnate mea.*] Eleganter dictum. Livius XXIV, 25, *Quid enim sua sponte fecisse puerum? tutores ac magistros ejus sub aliena* invidia regnasse.

270. — *Grajis delecta juventus Gymnasiis aderit,*] Cave credas, cum hostium virtutem verbis deprimere cupit, tam honesto vocabulo usurum, DELECTA. repone COLLECTA, ut infra 548,

Non illic regum auxiliis collecta juventus.

Undecumque *collecta*, nullo delectu.

281. *Armeniosne movet,*] Mo-

285 Quos novere, magis. sed me Fortuna meorum
Commisit manibus, quorum me Gallia testem
Tot fecit bellis. cujus non militis ensem
Agnoscam? coelumque tremens cum lancea transit,
Dicere non fallar, quo sit vibrata lacerto.
290 Quod si signa ducem nunquam fallentia vestrum
Conspicio, faciesque truces, oculosque minaces;
Vicistis. videor fluvios spectare cruoris,
Calcatosque simul Reges, sparsumque Senatus
Corpus, et immensa populos in caede natantes.
295 Sed mea fata moror, qui vos in tela ruentes
Vocibus his teneo. veniam date bella trahenti:
Spe trepido: haud unquam vidi tam magna daturos
Tam prope me Superos: camporum limite parvo
Absumus a votis. ego sum, cui marte peracto,
300 Quae populi Regesque tenent, donare licebit.
Quone poli motu, quo coeli sidere verso,
Thessalicae tantum, Superi, permittitis orae?
Aut merces hodie bellorum, aut poena paratur.
Caesareas spectate cruces, spectate catenas,

285. Quos, *o* man. alia in membr. erasa, c. 290. fallacia, b. 295. *bella*, c. d. et pro varia lectione, a. tela, sed *tel* man. sec. in membr. erasa, b. *furentes*, b. c. d. 298. *me*, quod post v. *Superos* positum erat, alia manus praeposuit, c. 302. *promittitis*, d. permittitis, sed *er* man. sec. in membr. erasa, b. 303. poena, *oena* man. sec. in membr. erasa, b. parat*a* *est*, c. 304. Caesare*as*, *a* man. alia correcta est, c.

vet ita absolute poni, docet ex hoc et aliis locis Bentl. ad Horat. Serm. I, 10, 78. Web.

285. — *sed me Fortuna meorum Commisit manibus, quorum me Gallia testem Tot fecit bellis.*] Lege ex aliis codicibus QUARUM: id postulant quae sequuntur, *ensis*, *lancea*.

304. *Caesareas spectate cruces,*] Corrigo,

Digitized by Google

305 Et caput hoc positum rostris, effusaque membra,
Septorumque nefas, et clausi proelia campi.
Cum duce Syllano gerimus civilia bella.
Vestri cura movet. nam me secura manebit
Sors quaesita manu: fodientem viscera cernet
310 Me mea, qui nondum victo respexerit hoste.
Dii, quorum curas abduxit ab aethere tellus,
Romanusque labor, vincat, quicunque necesse
Non putat in victos saevum distringere ferrum,
Quique suos cives, quod signa adversa tulerunt,
315 Non credit fecisse nefas. Pompejus in arcto
Agmina vestra loco, vetita virtute moveri,
Cum tenuit, quanto satiavit sanguine ferrum!
Vos tamen hoc oro, juvenes, ne caedere quisquam
Hostis terga velit: civis, qui fugerit, esto.

306. ne*ph*as, ita fere semper, c. 310. victu*m* — host*em*, c. d. victo, sed *o* man. sec. in membr. erasa, b. 313. destringere, a. et b, correcta *e* ex *i*, in victos, sed man. alia separatim, d. 316. *no*stra, c. 317. *sa*ciavit, correcta *a* ex *o*, c. satia*tus*, a. 318. Ast ego vos, d. et pro varia lectione, a. cedere, ante *e* aliquid deletum est, c. 319. civ*is*, *i* correcta, d.

CARNIFICIS SPERATE *cruces*, SPERATE *catenas*,
Et caput IMPOSITUM *rostris*.
Ovid. Amor. 1, 12, [17.]

Praebuit illa arbor misero suspendia collo,
Carnifici *duras praebuit illa* cruces.

Seneca Suasor. VII, p. 43, Caput Ciceronis *in rostris positum*. p. 44, *jussit pro rostris exponi*. p. 45, *positi in rostris capitis*. Noster II, 123,

Ora ferens miles festae rorantia mensae
Imposuit.

315. — *Pompejus in arcto Agmina vestra loco*] Alii codices NOSTRA, quod civilius et gratius est.

318. *Vos tamen hoc oro, juvenes*,] Alii Codices, *Ast ego vos oro*, quod recipimus.

Digitized by Google

320 Sed dum tela micant, non vos pietatis imago
Ulla, nec adversa conspecti fronte parentes
Commoveant: vultus gladio turbate verendos.
Sive quis infesto cognata in pectora ferro
Ibit, seu nullum violabit vulnere pignus,
325 Ignoti jugulum tanquam scelus imputet hostis.
Sternite jam vallum, fossasque implete ruina,
Exeat ut plenis acies non sparsa maniplis.
Parcite ne castris: vallo tendetis in illo,
Unde acies peritura venit: vix cuncta locuto

323. pectora, correcta *a* ex *e* man. alia, c. 324. nullo et *vel nullum*, a. nullo, sed *o* man. sec. in membr. erasa, b. violarit, *d.* vulnere, *vul* man. sec. correctae, b. 325. inputet, ut semper *n* ante *p* in hac praepositione, b. 326. vallum et *vel vallo*, a. impleta, c. 328. nec castris, b.

325. *Ignoti jugulum tanquam scelus imputet hostis.*] Lectio ex MS. sensus: etiam si quis in adversa acie propinquum nullum invenerit, quem occidat, caedem ignoti cujusvis tanto in beneficio accipiam, quasi mea causa parricidium fecisset. Narrat Tacitus bello civili, quod inter Vitellium et Vespasianum fuit, militem occisi a se fratris praemium petiisse. GROTIUS. Recte quidem IMPUTET, quod codices fere omnes habent, adscivit vir magnus, cum priores editi haberent IMPETAT: sed a sententia loci aberrat, *caedem ignoti cujusvis tanto in beneficio accipiam, quasi mea causa parricidium fecisset.* Itane vero? Cur ignotus quivis jugulatus par sit fratri aut patri? qua causa? quo consilio? ex hac parte, sententia vel absurda vel nulla est; ex altera, scelesta et nefaria. Quo enim pertinet miles ille Vitellianus? cur non et illud Vitellii addidit, *Optime oleta occisum hostem, et melius civem?* Certe eodem recidit viri magni interpretatio: quam ei Lucanus ipse tam detestabilem affinxisset Caesari, omnem pudorem exuisset. Vera loci sententia haec est: Dixerat, terga hostis ne caedite, qui fugerit, civis sit, vel in partibus nostris numeratur. Hosti vero adverso et arma tenenti nolite parcere, seu patri seu fratri incurratis: addit, sive in cognatos inciditis, sive non; *ignoti* hostis jugulum, quem ex armatura non Italum agnoscitis, tamquam scelus imputate. *Imputet tamquam scelus*, hoc est, imputet *sibi*, reputet, tamquam scelus fecerit. Veto, interdico, tamquam scelus puniam, siquis in auxiliaribus occidendis tempus perdat, solos Romanos petite, ceteros contemnite. Appianus Civil. II, [c. 74.] in hac ipsa Caesaris allocutione: *Καὶ τάδε μοι περὶ μόνων ἐστὶ τῶν*

Caesare, quemque suum munus trahit, armaque raptim
Sumta viris: celeres capiunt praesagia belli;
Calcatisque ruunt castris; stant ordine nullo,
Arte ducis nulla: permittunt omnia fatis.
Si totidem Magni soceros, totidemque petentes
Urbis regna suae funesto in marte locasses,
Non tam praecipiti ruerent in proelia cursu.
Vidit ut hostiles in rectum exire catervas
Pompejus, nullasque moras permittere bello,
Sed Superis placuisse diem: stat corde gelato
Attonitus: tantoque duci sic arma timere
Omen erat. premit inde metus, totumque per agmen

330. quemque, *uem* man. alia correctae, c. 331. Ceresque viris, et *vel viris celeris*, a. Ceresque viris, b. d. viri celeres praesagia cappunt, et supra *v.* celeres scriptum est man. alia *celeris*, c. 333. permittunt*que*, a. b. c. d. 335. suae, *e* man. sec. addidit, b. locasset, a. c. d. 341. totumque, *que* man. sec. b.

Ἰταλῶν. ἐπεὶ τῶνγε συμμάχων μηδὲ φροντίζετε, μηδ' ἐν λόγῳ τίθεσθε, μηδὲ μάχεσθε ὅλως ἐκείνοις --- ἔχεσθε ἐν μοι τῶν Ἰταλῶν μόνων. Ceterum de solis Italis loquor: nam auxiliares ne curetis quidem, aut in ullo numero habeatis, aut omnino cum illis pugnetis: -- Italos, inquam, solos urgete.

330. — *armaque raptim Sumta viris: celeres capiunt praesagia belli;]* Egregie alii Codices:

Sumta CERESQUE *viris: capiunt* etc.

Disciplina erat, numquam milites nisi pransos et corporibus curatis in proelium educere. Inde titulus libro Varronis, citante Nonio, [c. 6. n. 59.] *Pransus paratus.* Cato senior (Fragm. p. 185.): *Exercitum suum* pransum paratum *cohortatus eduxit foras atque instruxit.*

335. — *funesto in marte locasses,]* Erat in editis, *locasset.* Reposuimus *locasses*, id est, si quis locasset: quale: *In caelum, jusseris, ibit.* Si quis vulgatam praefert, subaudiendum erit, *Caesar.* GROTIUS. Recte vir magnus *locasses:* licet omnes quos noverim codices *locasset.*

Digitized by Google

Sublimi provectus equo: quem flagitat, inquit,
Vestra diem virtus, finis civilibus armis,
Quem quaesistis, adest. totas effundite vires;
Extremum ferri superest opus, unaque gentes
Hora trahit. quisquis patriam carosque penates,
Qui sobolem ac thalamos, desertaque pignora quaerit,
Ense petat: medio posuit Deus omnia campo.
Causa jubet melior Superos sperare secundos.
Ipsi tela regent per viscera Caesaris, ipsi
Romanas sancire volent hoc sanguine leges.
Si socero dare regna meo mundumque pararent,
Praecipitare meam fatis potuere senectam.
Non iratorum populis urbique Deorum est,
Pompejum servare ducem. quae vincere possent
Omnia contulimus. subiere pericula clari
Sponte viri, sacraque antiquus imagine miles.
Si Curios his fata darent, reducesque Camillos

342. pervectus, a. praevectus, c. d. 343. Vestra et *vel re*, man. sec. b. 345. *belli* et *vel ferri*, a. *belli*, sed man. sec. in membr. erasa, b. 346. trahet, d. patriamque, correcta *a* ex *u*, c. man. alia. 347. thalamis, c. 350. gerent, b. per visc. regent, d. 351. Romanas, correcta *a* ex *o* man. alia, c. sanccire, prior *c* man. sec. in membr. erasa, b. 352. meo, correcta *o* ex *a*, ut videtur, man. alia, c. 355, quae, *uae* correctae sunt, c. 357. sacraque *subit* antiquus, sed v. *subit* lineola obductum est, c. 358. reducesve, a. b. d.

neque subintelligi potest *Caesar*, quale enim esset, *si Caesar tot Magni soceros, tot Caesares locasset?*

342. *Sublimi provectus equo:]* Repone ex aliis codicibus PRAEVECTUS *equo*.

357. — *sacraque antiquus imagine miles.]* Libenter haec mutaverim in,

Temporibus, Deciosque caput fatale voventes,
360 Hinc starent. primo gentes oriente coactae,
Innumeraeque urbes, quantas in proelia nunquam
Excivere manus. toto simul utimur orbe.
Quicquid, signiferi comprensum limite coeli,
Sub Noton et Borean hominum sumus, arma movemus.
365 Nonne superfusis collectum cornibus hostem
In medium dabimus? paucas victoria dextras
Exigit: at plures tantum clamore catervae
Bella gerent. Caesar nostris non sufficit armis.
Credite, pendentes e summis moenibus urbis,
370 Crinibus effusis hortari in proelia matres.
Credite grandaevum vetitumque aetate Senatum
Arma sequi, sacros pedibus prosternere canos:
Atque ipsam domini metuentem occurrere Romam.
Credite, qui nunc est, populum populumque futurum

359. Deciosve, d. 360. Hinc et *vel Nunc*, a. 363. compressum, a. c. *est* limite, b. c. d. 364. Boream, b. c. *aut* Bor. d. *sunt* et in margine man. alia *sumus vel simul*, c. 367. Exigit plures, ante *i* aliquid deletum est; *i* videtur ex *a* correcta; et inter lineas alia manus *et* adscripsit, e. 372. prosternere, *ere* man. sec. in membr. erasa, b. 374. populus, a. b. d, sed *s* in membr. erasa.

Sponte viri, ET FRISCA VENERANDUS *imagine miles.*

363. *Quicquid, signiferi comprensum limite coeli,*] *Coeli*, ut III, 254,

Signiferi regione poli.

Quidam Codices CYCLI. Lege STELLIFERI. Sen. Nat. Quaest. VI, 11, *Cometas non in una coeli parte aspici, nec in signifero tantum orbe, sed tam in ortu quam in occasu, frequentissime tamen circa septentrionem.* Herc. Fur. 1204, *Stelliger mundus sonet*, ubi legendum, *tonet.*

367. — *at plures tantum clamore catervae*] Lege ex aliis codicibus AC.

Digitized by Google

375 Permistas afferre preces. haec libera nasci,
Haec vult turba mori. si quis post pignora tanta
Pompejo locus est, cum prole et conjuge supplex,
Imperii salva si majestate liceret,
Volverer ante pedes. Magnus, nisi vincitis, exul,
380 Ludibrium soceri, vester pudor; ultima fata
Deprecor, ac turpes extremi cardinis annos,
Ne discam servire senex. Tam moesta locuti
Voce ducis flagrant animi, Romanaque virtus
Erigitur, placuitque mori, si vera timeret.
385 Ergo utrinque pari concurrunt agmina motu
Irarum: metus hos regni, spes excitat illos.
Hae facient dextrae, quicquid non expleat aetas
Ulla, nec humanum reparet genus omnibus annis,
Ut vacet a ferro. gentes mars iste futuras
390 Obruet, et populos aevi venientis in orbem
Erepto natale feret. tunc omne Latinum
Fabula nomen erit: Gabios, Vejosque, Coramque
Pulvere vix tectae poterunt monstrare ruinae,
Albanosque lares, Laurentinosque penates
395 Rus vacuum, quod non habitet nisi nocte coacta

379. Volveret ante, *et ante* in membr. erasa, c. vicitis, c. Volverer et *vel Volveret*, a. 382. loquuti et *vel secuti*, a. 383. Voce et *vel Verba*, a. 385. *pro*currunt, a. 387. facient, aliquid supra *ci* deletum est, c. 389. *Et*, a. d, addita glossa *etiam s. si*, et pro varia lectione *Ut* man. alia, d. a*ff*erro, c. 391. natali *au*ferret, lineola sub *au*, man. alia, d. 392. Ve*h*iosque, b. C*h*oramque, b. C*h*oru*s*que, c. 395. vacuum, *uum* man. alia in membr. erasa, b. quod, et in margine *quo man. alia, c. quo, a. d. et b, sed *uo* correctae. *quod* pro varia lectione, a. habitet, *t* man. sec. b.

385. *Ergo utrinque pari con- currunt agmina motu]* Nondum

Digitized by Google

Invitus, questusque Numam jussisse, Senator.
Non aetas haec carpsit edax, monimentaque rerum
Patria destituit: crimen civile videmus,
Tot vacuas urbes. generis quo turba redacta est
400 Humani? toto populi qui nascimur orbe,
Nec muros implere viris, nec possumus agros.
Urbs nos una capit: vincto fossore coluntur
Hesperiae segetes: stat tectis putris avitis
In nullos ruitura domus: nulloque frequentem
405 Cive suo Romam, sed mundi faece repletam,
Cladis eo dedimus, ne tanto in tempore bellum
Jam posset civile geri: Pharsalia tanti
Causa mali. cedant feralia nomina Cannae,
Et damnata diu Romanis Allia fastis.
410 Tempora signavit leviorum Roma malorum:
Hunc voluit nescire diem. pro tristia fata!
Aera pestiferum tractu, morbosque fluentes,
Insanamque famem, permissasque ignibus urbes,

396. Senat*us*, a. c. d. senator, pro varia lectione, a. et in margine man. alia, c. Senat*um*, b. 397. hoc, d. monimentaque, *taque*, man. sec. *a* in membr. erasa, c. 498. putrida, *d* manu alia addidit, et in margine alia *putrida* scripsit, c. 402. cap*d'*, et in margine man. alia *capit*, c. in'to, lineolae man. alia additae, c. 403. avitis, *tis* man. sec. *is* in membr. erasa, b. 406. *cor*pore, b. d. et pro varia lectione c, man. alia. *tempore* pro varia lectione a, man. sec. 407. poss*it*, a. b. c. d. 409. Allia, ante *A* aliquid deletum est, c. fastis et *vel fatis*, a. 411. *quo*, a. d. qui pro varia lectione *proh* alia manu praebet. 413. Insan*am*que, ante *a* aliquid deletum est, c.

concurrunt, nec nisi versu demum 470. Repone PROCURRUNT. IV, 772,

— *neque enim licuit* procurrere *contra*
Et miscere manus.

Digitized by Google

Moeniaque in praeceps laturos plena tremores
415 Hi possent explere viri: quos undique traxit
In miseram Fortuna necem, dum munera longi
Explicat eripiens aevi, populosque ducesque,
Constituit campis: per quos tibi Roma ruenti
Ostendat, quam magna cadas. quo latius orbem
420 Possedit, citius per prospera fata cucurrit.
Omne tibi bellum gentes dedit omnibus annis:
Te geminum Titan procedere vidit in axem.
Haud multum terrae spatium restabat Eoae,
Ut tibi nox, tibi tota dies, tibi curreret aether,
425 Omniaque errantes stellae Romana viderent.
Sed retro tua fata tulit par omnibus annis
Emathiae funesta dies. hac luce cruenta
Effectum, ut Latios non horreat India fasces,
Nec vetitos errare Daas in moenia ducat,

414. tremores et *vel timores*, a. 419. Ostend*a*t, *i* man. sec. b. Ostend*i*t, d. quae a. b. c. d. 420. citius, *s* man. sec. in membr. erasa, b. 421. *armis*, a. b. c. d. *vel annis*, a. et b, man. sec. 423. restabat, *s* correcta man. alia, c. terrae, *r* man. alia addidit, b. 424. nox tibi tota; *tibi* man. alia insertum, quod a man. prima post v. *dies* legitur, c. 425. Roman*a*, *a* ex *e* man. alia correcta, c. 427. *in* hac, c. 428. Effectum *est*, b. c. et a, pro varia lectione; in c, incertum est. Lacios, *o* man. sec. in membr. erasa, b. 429. N*e*, a. Dacas, a. d. Da*h*as, b. Da*ch*os, c.

414. *Moeniaque in praeceps laturos plena tremores Hi possent explere viri:]* Dic sodes, quae sunt *plena moenia?* praesertim cum mox sequatur, *explere*. Corrige,

Moeniaque in praeceps laturos PLANA *tremores.*

Laturos plana in praeceps: ut I, 385,

Tu quoscumque velis in planum effundere muros.

419. *Ostendat, quam magna cadas. quo latius orbem Possedit, citius per prospera fata*

430 Sarmaticumque premat succinctus Consul aratrum:
Quod semper saevas debet tibi Parthia poenas,
Quod fugiens civile nefas, redituraque nunquam
Libertas, ultra Tigrim Rhenumque recessit,
Ac, toties nobis jugulo quaesita, negatur,
435 Germanum Scythicumque bonum: nec respicit ultra
Ausoniam: vellem, populis incognita nostris:
Vulturis ut primum laevo fundata volatu
Romulus infami complevit moenia luco,
Usque ad Thessalicas servisses, Roma, ruinas.
440 De Brutis, Fortuna, queror. quid tempora legum
Egimus, aut annos a Consule nomen habentes?
Felices Arabes, Medique, Eoaque tellus,
Quam sub perpetuis tenuerunt fata tyrannis.
Ex populis, qui regna ferunt, sors ultima nostra est,
445 Quos servire pudet. Sunt nobis nulla profecto
Numina: cum caeco rapiantur secula casu,
Mentimur regnare Jovem. spectabit ab alto
Aethere Thessalicas, teneat cum fulmina, caedes?
Scilicet ipse petet Pholoen? petet ignibus Oeten,
450 Immeritaeque nemus Rhodopes, pinusque minantes?

431. *sevas* semper, c. *summas*, a. 433. Tigri*n*, d. 434. *va*gatur, a. b. c. 440. *r*egum et *vel legum*, a. 445. Quo*d*, d. 449. pet*it*, d. Pholoen pet*it* c. Oet*em*, c. 450. Immeri*t*ique, d. pinosque, d. Mi*m*ant*is*, a. minant*is*, *i* man. sec. b.

cucurrit.] Possedit, Fortuna scilicet populi Romani. ut 1, 109,

— *populique potentis,*
Quae mare, quae terras, quae totum possidet *orbem,*
Non cepit, Fortuna duos.

Atqui hoc durissime infertur, nisi legeris,

Ostendat quam magna CADAT.

Sic passim apud poetas Fortuna stare, manere, recedere, ruere, occidere dicitur. Res ex Floro patet, 1, 1, Prope 250 annos cum finitimis luctatus est, per 250 annos Italiam subegit, de-

Cassius hoc potiùs feriet caput? astra Thyestae
Abstulit, et subitis damnavit noctibus Argos:
Tot similes fratrum gladios patrumque gerenti
Thessaliae dabit ille diem? mortalia nulli
455 Sunt curata Deo. cladis tamen hujus habemus
Vindictam, quantam terris dare numina fas est.
Bella pares Superis facient civilia divos:
Fulminibus manes radiisque ornabit et astris,
Inque Deum templis jurabit Roma per umbras.
460 Ut rapido cursu fati suprema morantem
Consumsere locum: parva tellure diremti,
Inde manum spectant, vultusque agnoscere quaerunt,
Quo sua pila cadant, aut qua sibi fata minentur,
Facturi quae monstra forent. videre parentes
465 Frontibus adversis, fraternaque comminus arma,
Nec libuit mutare locum: tamen omnia torpor
Pectora constrinxit: gelidusque in viscera sanguis
Perculsa pietate coit: totaeque cohortes
Pila parata diu tensis tenuere lacertis.

451. Cas*us*, d. a. b, sed *us* man. sec. in membr. erasa, sic et c. feri*at*, a. b. c. d. 452. *Imp*ulit, a. d. *Int*ulit, c. *In*tulit, sed *tul* man. sec. b. pro varia lectione a. 453. $\overline{pr}$mque, ante *m* aliquid deletum est, c. 461. direpti, c. d. 462. *U*nde et *vel Inde*, a. manus, a. b. c. d. 463. qua*m* a. b. c. d. Post hunc alius versus additus est, hic: *Inde manum spectant tempus, quo noscere possent.* a. b. c. d. 465. fraternaque, *que* man. alia, c. co*m*inus, b. 466. licuit, correcta *c* ex *b*, supra scriptum *vel libuit*, man. alia, d. 467. con*tr*axit, c. 468. Percussa, a. b. c. d.

hinc ad Caesarem Augustum 200 anni, quibus totum orbem pacavit.

Digitized by Google

470 Dii tibi non mortem, quae cunctis poena paratur,
Sed sensum post fata tuae dent, Crastine, morti,
Cujus torta manu commisit lancea bellum,
Primaque Thessaliam Romano sanguine tinxit.
O praeceps rabies, cum Caesar tela teneret,
475 Inventa est prior ulla manus! tunc stridulus aer
Elisus lituis; conceptaque classica cornu:
Tunc ausae dare signa tubae: tunc aethera tendit
Extremique fragor convexa irrumpit Olympi:
Unde procul nubes, quo nulla tonitrua durant.
480 Excepit resonis clamorem vallibus Aemus,
Peliacisque dedit rursus geminare cavernis:
Pindus agit gemitus, Pangaeaque saxa resultant,
Oetaeaeque gemunt rupes. vocesque furoris
Expavere sui tota tellure relatas.
485 Spargitur innumerum diversis missile votis.
Vulnera pars optat, pars terrae figere tela,

470. Di, d. 471. sensum et *vel sensus*, a. 472. commisit, *m* man. alia, d. 475. *est*, inter lineas sine nota, b. *ulla*, in membr. erasa, man. sec. b. 477. *clare*, a. 478. *inupit*, c. *inrupit*, d. 481. *que* deest in b. Peliacisque, et in margine man. ali *Peliciis*, c. cavern*us*, c. 482. *fr*emitus, a. b. c. d. Pangaeaque et *vel Panacaea*, a. 483. Oet*he*aeque, *O* man. sec. in membr. erasa, b. Oet*hee*que, c. Oeteeque, *e* man. alia addidit, d. rupes gemunt, b.

471. *Sed sensum post fata tuae dent, Crastine, morti,*] Plutarchus in Pompejo vocat *Κρασσιανὸν*, at in Caesare *Κρασσίνιον*: utrobique reponendum *Κράσσινον*.

482. *Pindus agit gemitus,*] Recte Codices plerique FREMITUS; sequitur enim versu proximo,

Oetaeaeque gemunt rupes.

Digitized by Google

Ac puras servare manus, rapit omnia casus;
Atque incerta facit, quos vult Fortuna nocentes.
Sed quota pars cladis jaculis ferroque volanti
Exacta est? odiis solus civilibus ensis
Sufficit, et dextras Romana in viscera ducit.
Pompeji densis acies stipata catervis,
Junxerat in seriem nexis umbonibus arma.
Vixque habitura locum dextras ac tela movendi
Constiterat, gladiosque suos compressa tenebat.
Praecipiti cursu vesanum Caesaris agmen
In densos agitur cuneos: perque arma, per hostem
Quaerit iter, qua torta graves lorica catenas
Opponit, tutoque latet sub tegmine pectus.

489. Verba: *Sed quota* etc. usque ad vv. *in hostem* vers. 509. inter vers. 520. et 521. sine nota transpositionis leguntur, d. *Et* q. p. *hominum* jac. d. 491. duxit, b. 493. *Du*xerat, sed in margine manu alia *junxerat*, c. 495. *tim*ebat, c. et pro var. lect. man. sec. b.

487. — *rapit omnia casus;]* Pars militum, ait, vulnera optat, pars *tela* sua incruenta esse: sic ut, cum cadant, in neminem incidant, sed *rapit* omnia casus. Quo *rapit?* aut quomodo *casus* rapere tela potest extra cursum destinatum? Corrige,

REGIT *omnia casus.*

Dirigit, ait, casus omnia tela; et Fortuna incerta, quos vult, nocentes facit. Tacitus Annal. 1, 49. *Causa in occulto; cetera* Fors regit. Noster supra 350,

Ipsi tela regent *per viscera Caesaris.*

Infra 515,

Arcu turba minax, nusquem rexere sagittas.

Ovid. Met. VII, 683, de Cephali jaculo:

— *fortunaque missum*
Non regit, *et revolat nullo referente cruentum.*

491. — *et dextras Romana in viscera ducit.]* *Dextras* iterum habebimus, tertio abhinc versu. Et mirum sane, si *ensis ducit dextras in viscera;* cum dextra potius ensem ducat, et ipsa non pertingat ad viscera. Corrigo,

— *et* RECTA *Romana in viscera ducit.*

495. — *Gladiosque suos compressa tenebat.]* Dolet hoc vitium magnum admisisse; cum

500 Hac quoque perventum est ad viscera: totque per arma
Extremum est, quod quisque ferit. civilia bella
Una acies patitur, gerit altera: frigidus inde
Stat gladius, calet omne nocens a Caesare ferrum.
Nec Fortuna diu rerum tot pondera vergens,
505 Abstulit ingentes fato torrente ruinas.
Ut primum toto diduxit cornua campo
Pompejanus eques, bellique per ultima fudit:
Sparsa per extremos levis armatura maniplos
Insequitur, saevasque manus immittit in hostem.
510 Illic quaeque suo miscet gens proelia telo:
Romanus cunctis petitur cruor: inde sagittae,
Inde faces et saxa volant, spatioque solutae
Aeria, et calido liquefactae pondere glandes.

500. Hac, *H* ab alia manu addita, c. 503. a *sanguine*, c. et pro var. lect. *a*. 504. *vertens*, a. b. d. 505. ingentis, d. 506. *vel toti*, e. deduxit, b. 511. sagittae, *ae* correctae in membr. erasa, c. 512. *sagittae*, et man. al. *vel solute*, c. 513. liquescere, supra scripto *facte*, c. pondere et *vel tempore*, a.

plerique Codices et aliquot Editi recte habent TIMEBAT. Timebat acies artata suos ipsorum gladios, ne vel se vel suos vulnerarent.

504. *Nec Fortuna diu rerum tot pondera vergens,*] Veterrimi tres Codices VERTENS. Sed quid illud quaeso est *diu abstulit?* et quid *Abstulit ruinas?* utrumque sensu nullo. Lego,

Nec Fortuna diu rerum tot pondera vertens,
DISTULIT *ingentes fato* TORQUENTE *ruinas.*

Non diu distulit, non diu protraxit.

509. — *saevasque manus immittit in hostem.*] Numquam hoc dixisset de Pompejanis, *saevas* manus. Emendatio ex historia facilis est: corrige,

LAEVAS*que manus immittit in hostem.*

Laeva manus sunt cornu sinistrum. Caesar Civil. III, 95. *Eodem tempore equites* a sinistro Pompeji cornu, *ut erat imperatum*, universi procucurrerunt, *omnisque multitudo sagit-*

Tunc et Iturei, Medique Arabesque, soluto
515 Arcu turba minax, nusquam rexere sagittas:
Sed petitur solus, qui campis imminet aer:
Inde cadunt mortes: sceleris sed crimine nullo
Externum maculant chalybem; stetit omne coactum
Circa pila nefas: ferro subtexitur aether,
520 Noxque super campos telis conserta pependit.
Tum Caesar metuens, ne frons sibi prima labaret
Incursu, tenet obliquas post signa cohortes:
Inque latus belli, qua se vagus hostis agebat,
Immittit subitum, non motis cornibus, agmen.

514. Itirei, c. Ytirei, b. soluti, a. b. *et*, man. al. in membr. eras. c. 515. Arcu, c ex *t* correcta, c. 516. *aether*, c. d. aer, sed man. sec. in membr. eras. b. 521. Cum, a. b. c. d. in marg. man. al. *Tum*, c. labaret, *a* man. sec. in membr. eras. b. 524. Emittit, b. c. d. mot*um*, c.

tariorum se profudit, quorum impetum noster equitatus non tulit. Plutarchus in Caesare idem habet: *Οἱ δὲ ἱππεῖς ἅπαντες ἐπὶ τὸ ἀριστερὸν ἔβρισαν, ὡς τὸ δεξιὸν κυκλωσάμενοι τῶν πολεμίων.* Et in Pompejo, *τὸ δὲ εὐώνυμον εἶχε Λεύκιος Δομίτιος, ἐρρώσθη δὲ τῷ πλήθει τῶν ἱππέων, ἐνταῦθα γὰρ ὀλίγοι δεῖν ἅπαντες ἐρρύησαν.* Ceterum cum supra *vs.* 220. Noster dicat, Domitium cornui *dextro* praefuisse: Plutarchus bis, et in Caesare et in Pompejo, et Appianus *sinistro* cornui eum praeponunt: Caesar silet.

514. — *Arabesque, soluto Arcu turba minax,*] Atqui altero abhinc versu habuimus *solutae. Soluto arcu*, credideram tenso arcu pugnari, non laxo. Horatius Carm. III, 8, [23.]

Jam Scythae laxo meditantur arcu
Cedere campis.

Bersmanni codex et nostri omnes SOLUTI, non *soluto*. Corrige,

— *Arabesque* SONANTI,
Arcu turba minax.

Virgil. Aen. V, 521,

Ostentans artemque pater arcumque sonantem.

Statius Thebaid. I, 658.

Proinde move pharetras arcusque sonoros.

521. *Tum Caesar metuens,*] Codex Coll. Trinitatis CUM. Recte.

Digitized by Google

525 Immemores pugnae, nulloque pudore timendi
Praecipites fecere palam, civilia bella
Non bene barbaricis unquam commissa catervis.
Ut primum sonipes transfixus pectora ferro,
In caput effusi calcavit membra regentis:
530 Omnis eques cessit campis, glomerataque pubes
In sua conversis praeceps ruit agmina fraenis.
Perdidit inde modum caedes, ac nulla secuta est
Pugna: sed hinc jugulis, hinc ferro bella geruntur.
Nec valet haec acies tantum prosternere, quantum
535 Inde perire potest. utinam, Pharsalia, campis
Sufficiat cruor iste tuis, quem barbara fundunt
Pectora, non alio mutentur sanguine fontes.
Hic numerus totos tibi vestiat ossibus agros:
Aut si Romano compleri sanguine mavis,
540 Istis parce precor: vivant Galataeque, Syrique,
Cappadoces, Gallique, extremique orbis Iberi,
Armenii, Cilices: nam post civilia bella
Hic populus Romanus erit. Semel ortus in omnes

530. glomataque, c. *n*ubes, a. d. 532. Per*d*idit, *er* man. sec. in membr. eras. b. 536. tu*us*, c. 538. numer*us*, *u* man. sec. b. 539. compleri, *eri* man. sec. in membr. eras. b. 540. Galat*h*aeque, b. c. d. 543. Hic R. erit pop. c.

541. — *extremique orbis Iberi*] Laudat hunc locum inter alios similes de *extremo* et *ultimo orbe* Bentl. ad Horat. Carm. 1, 35, 29. dicens, *extremi* hic genitivum esse. Web.

543. *Hic populus Romanus erit.*] Si hanc lectionem recipis, ordo erit, *Hic populus erit Romanus;* atqui de tot gentibus, de Galatis, Syris, Cappadocis, Gallis, Iberis, Armeniis, Cilicibus, non dixisset *hic populus*, sed *hi populi.* Repone,

Hi *populus Romanus* erunt.

Supra 400,

— *toto populi qui nascimur orbe,*
Urbs nos una capit.

Infra 862,

Romani *bustum* populi.

Digitized by Google

It timor, et fatis datus est pro Caesare cursus.
545 Ventum erat ad robur Magni mediasque catervas;
Quod totos errore vago perfuderat agros:
Constitit hic bellum, fortunaque Caesaris haesit.
Non illic regum auxiliis collecta juventus
Bella gerit, ferrumque manus movere togatae:
550 Ille locus fratres habuit, locus ille parentes.
Hic furor, hic rabies, hic sunt tua crimina, Caesar.
Hanc fuge, mens, partem belli, tenebrisque relinque,
Nullaque tantorum discat, me vate, malorum,
Quam multum bellis liceat civilibus, aetas.
555 Ah potius pereant lacrymae, pereantque querelae.
Quicquid in hac acie gessisti, Roma, tacebo.
Hic Caesar, rabies populi, stimulusque furoris,
Ne qua parte sui pereat scelus, agmina circum
It vagus, atque ignes animis flagrantibus addit.
560 Inspicit et gladios, qui toti sanguine manent,
Qui niteant primo tantum mucrone cruenti,

546. tòtos, o in membr. eras. c. perfuderat, inter *u* et *d* aliquid erasum est, c. 549. *gerit*, man. al. inter lineas scriptum pro alio verbo eraso, c. *o*gatae, ante *o* aliquid deletum, c. *r*ogatae, a. d. et man. sec. b. *t*ogatae, pro var. lect. man. alia b. d. 554. liceat bel. b. c. 555. *Hac* et *vel ac*, a, *Hah*, b. ac, d. 556. gessist*is*, c. 557. populi et *vel populis*, a. furor*um*, c. 560. *C*onspicit, d. ma*d*ent, d. b. ma*nent* pro var. lect. manu sec. b. man*a*nt, a.

553. *Nullaque tantorum discat, me vate, malorum,]* Tolle istas distinctiones, *me vate;* alioqui constructio erit, *nulla aetas tantorum malorum*, nullo sensu. *Me vate tantorum malorum*, ut Homerus, [*Il. α*, 106.]

Μάντι κακῶν, ὃ πώποτέ μοι τὸ κρήγυον εἶπας.

Digitized by Google

Quae presso tremat ense manus, quis languida tela,
Quis contenta ferat, quis praestet bella jubenti,
Quem pugnare juvet, quis vultum cive peremto
565 Mutet: obit latis projecta cadavera campis.
Vulnera multorum totum fusura cruorem
Opposita premit ipse manu. quacunque vagatur,
Sanguineum veluti quatiens Bellona flagellum,
Bistonas aut Mavors agitans, si verbere saevo
570 Palladia stimulet turbatos aegide currus.
Nox ingens scelerum, et caedes oriuntur, et instar
Immensae vocis gemitus, et pondere lapsi
Pectoris arma sonant, confractique ensibus enses.
Ipse manu subicit gladios, ac tela ministrat,
575 Adversosque jubet ferro confundere vultus.
Promovet ipse acies: impellit terga suorum:
Verbere conversae cessantes excitat hastae.
In plebem vetat ire manus, monstratque Senatum,
Scit cruor imperii qui sit, quae viscera legum,
580 Unde petat Romam, libertas ultima mundi
Quo steterit ferienda loco. permista secundo

562. pre*n*so, b. 570. stimul*at*, c. currus, et in marg. man. alia *cursus*, c. 571. cedes*que*, c. 574. subigit, c. d. ministra*t*, *t* man. alia addit. b. 575. con*t*undere. a. b. d. *confundere* pro varia lect. a. 579. quis sit, c. d. *r*egum, d. b. *r*erum, a. et pro varia lect. b.

571. *Nox ingens scelerum, et caedes oriuntur,*] Codex Bersmanni, et Coll. Trinitatis, rectius,

Nox ingens scelerum est, *caedes oriuntur.*

580. *Unde petat Romam,*] Sic accipe: Unde *feriat*, vulneret. Virgil. Georg. II, 505,

— hic *petit* excidiis *urbem.*

Ordine nobilitas, venerandaque corpora ferro
Urgentur: caedunt Lepidos, caeduntque Metellos,
Corvinosque simul, Torquataque nomina legum,
585 Saepe duces, summosque hominum te, Magne, remoto.

584. regum, a. b. c. d. 585. Magne, e man. al. c.

584. — *Torquataque nomina legum, Saepe duces, summosque hominum]* Sensum fecerámus commodum. Sed quid opus? cum sola interpunctione mutata nihilo pejorem faciat Rutgersius:

— *Torquataque nomina, regum*
Saepe duces.

Nempe ut olim Agamemnon, ὑπατος κρειόντων. Grotius. Si vera loqui jus est, nollo modo *commodum fecerat sensum* vir summus; *Torquata nomina legum* nullum, ne incommodum quidem sensum reddunt. Recte distinxit Rutgersius, quem vide Var. Lect. III, 7, sed et aliud restat, quod tolerari quidem poterit, non tamen plene satisfacit. *Torquata nomina*, recte fortassis in loco idoneo: ut Ausonius Parent. XXII, 1.

Desinite, o veteres, Calpurnia nomina, *Frugi.*

et Epist. XIX, 7.

Et Caranum, Pellaea *dedit qui* nomina regum.

Quod ultimum vel receptae hic olim distinctioni patrocinari videtur, *Torquataque nomina regum*. Sed vix potest a me impetrari, ut post *Lepidos*, *Metellos*, *Corvinos*, posuisse credam Nostrum *Torquata nomina* pro Torquatos: etsi Torquatus inter Pompeji duces erat, ut VI, 285, *Torquato ruit inde minax.* jejuni hoc cujusdam aridique ingenii esset, non Lucani. Quid ergo? aliud tibi ex conjectura suppedito, tam receptae lectioni proximum, quam sententiae accommodatissimum:

— *caedunt Lepidos, caeduntque Metellos,*
Corvinosque simul, TOT TANTAQUE *nomina, regum*
Saepe duces.

Si *Torquata* retines, id incommodi est, quod non plures quam istos quattuor Senatores periisse hic indicas: atqui vel fide historica decem occisi sunt; Lucanus vero rem exaggerans, universum fere Senatum cecidisse hic praedicat. Jam vero si *tot tantaque* adsciscis, praeter priores illos tres, quotvis alios adsumere potes. *Nomina* autem perinde est ac *viros*. Noster I, 313,

— et nomina vana, Catones.

et VI, 795,

Vidi ego jactantes popularia nomina *Drusos.*

Silius II, 177,

— *et* nobile nomen *Eurydamas.*

et IV, 186,

— celeberrima nomina *bello*
Tiburtes Magios.

V, 77,

— *egregius linguae* nomenque superbum
Corvinus.

Digitized by Google

Hic plebeja contectus casside vultus,
Ignotusque hosti, quod ferrum, Brute, tenebas!
O decus imperii, spes o suprema Senatus,
Extremum tanti generis per secula nomen,
590 Ne rue per medios nimium temerarius hostes,
Nec tibi fatales admoveris ante Philippos,
Thessalia periture tua: nil proficis istic
Caesaris intentus jugulo: nondum attigit arcem
Juris, et humanum culmen, quo cuncta reguntur,
595 Egressus, meruit fatis tam nobile letum:
Vivat et, ut Bruti procumbat victima, regnet.

593. *attentus*, c. 594. *columen* d. et pro var. lect. a. et c. *colu* man. sec. correctae b. humani, d. *premuntur*, a. c. d. et pro var. lect. b. *reguntur*, in marg. man. alia, c. 595. Egressus, *vel. In* man. alia, c. 596. procumbet, sed man. alia *e* in *a* correxit, c.

vi, 62,

Serranus clarum nomen.

et xi, 514,

Hic Varro, et magnum *Latia inter nomina* nomen,

Paullus.

xvii, 304,

— nobile nomen

Fulvius.

Tacitus Annal. i, 53, *Constantia mortis haud indignus.* Sempronio nomine; *vita degenerarat.* Quintil. Decl. cccxxxviii, *Succurrant vobis Catones et Scipiones et* tot *clarissima civitatis nostrae* nomina. *Tot tantaque.* Ovid. Met. ii, 96,

Et tot ac tantis *caeli, terraeque, marisque.*

Caesar Civil. i, 85, *Neque alia de causa* tot tantasque *clades paratas.* Livius xlv, 39, *Perseus rex captus, Philippus et Alexander, filii regis*, tanta nomina, *subtrahuntur civitatis oculis.*

594. — *et humanum culmen, quo cuncta reguntur]* Lege ex MS. A.

— *nondum attigit arcem Juris, et* humani *culmen, quo cuncta* premuntur,

Egressus.

Horat. [C. iii, 3, 10.]

— *arces attigit igneas.*

Asconius Pedian. *Arx sedes tyranni dicitur*, ut saepe alibi. *Egressus*, ut Statius,

Virtus egressa *modum.*

Digitized by Google

Hic patriae perit omne decus: jacet aggere magno
Patricium campis commista plebe cadaver.
Mors tamen eminuit clarorum in strage virorum
Pugnacis Domiti; quem clades fata per omnes
Ducebant. nusquam Magni fortuna sine illo
Succubuit: victus toties a Caesare, salva
Libertate perit: tunc mille in vulnera laetus
Labitur, ac venia gaudet caruisse secunda.
Viderat in crasso versantem sanguine membra
Caesar, et increpitans: Jam Magni deseris arma,
Successor Domiti: sine te jam bella geruntur.
Dixerat: ast illi suffecit pectora pulsans
Spiritus in vocem, morientiaque ora resolvit:
Non te funesta scelerum mercede potitum,
Sed dubium fati, Caesar, generoque minorem
Aspiciens, Stygias Magno duce liber ad umbras
Et securus eo: te saevo Marte subactum,
Pompejoque graves poenas nobisque daturum,
Cum moriar, sperare licet. non plura locutum
Vita fugit, densaeque oculos pressere tenebrae.

598. *non* mixta, d. b. a. 599. emicuit, pro var. lect. a. emi^{n}uit, b. membr. erasa. 601. Magni nusq. d. 602. *salvā a* manu sec. b. 603. tūc, c man. sec. addita et in margine *tunc*, c. 604. *et* venia, b. 605. versante et *vel volventem*, a. 607. *Accensor*, d. *Accorsor* et *vel successor*, a. gerentur, b. 608. *at*, c. 613. saevo te, c. 614. nobis poenasque, b. 615. morior; a. et b, sed *o* man. sec. sperare, correctum ex spectare, c. quod in b. quoque fuisse videtur. 616. *vertere*, a. b. d. *texere*, sed in membr. eras. c. *pressere*, pro var. lect. a.

607. *Successor Domiti.*] Quia successurum se Caesari in bellum Gallicum speraverat. Grotius. Immo, quia successor ei

Impendisse pudet lacrymas in funere mundi
Mortibus innumeris, ac singula fata sequentem
Quaerere, letiferum per cujus viscera vulnus
620 Exierit; quis fusa solo vitalia calcet;
Ore quis adverso, demisso faucibus ense,
Expulerit moriens animam; quis corruat ictu,
Quis steterit, dum membra cadunt: qui pectora telis
Transmittant, aut quos campis affixerit hasta:
625 Quis cruor emissus perruperit aera venis,
Inque hostis cadat arma sui: quis pectora fratris
Caedat, et, ut notum possit spoliare cadaver,

619. *vulnera* et *vel viscera*, a. *vulnera fumus* et in marg. man. alia *vel viscera vulnus*, et manu al. *ferrum*, c. 620. Exier*at*, et *vel exierit*, a. 621. demisso *in*, c. dimiss*um* - ens*em*, d. demiss*um* - ens*em*, a. b. sed *um* man. sec. in b. 622. anim*ae*, a. d, sed in membr. erasa, et b. correctis *ae* ex *a*, quae pro var. lect. in cod. a legitur. Sub v. *animae* puncta et supra scriptum *vel imo* man. sec. in b. Ex*spu*erit, a. 623. *Qui*, a. et man. sec. b. *Quis* pro var. lect. a. quis pect, a. b. d. pect*ore* tel*a*, a. c. et b, *re* man. sec. *tela* et seqq. usque ad vv. *at*, *et ut not.* in membr. erasa d. steter*int* et *vel steterit*, a. 624. Transmittat, a. b. d. *vel* q. a. b. *de*fixerit, c. hasta, *sta* man. sec. b. 625. emissis *vel emissus*, a. emissis, c. 626. In quae *vel inque*, a.

designatus erat. Caesar Civil. 1, 6, *Provinciae privatis decernuntur: L. Domitio Gallia.* Appianus [b. c. 11, c. 74.].

621. *Ore quis adverso, demisso faucibus ense, Expulerit moriens animam;] Demissum ensem* plures codices: *anima* codex Regius. Lege,

Ore quis adverso demissum
faucibus ensem
Expulerit moriens anima.

Hoc est, sanguine. Ovid. Met. VI, 259,

Abscisum longe mittat caput: ora parentis
Quis laceret, nimiaque probet spectantibus ira,
630 Quem jugulat, non esse patrem: mors nulla querela
Digna sua est, nullosque hominum lugere vacamus.
Non istas habuit pugnae Pharsalia partes,
Quas aliae clades: illic per fata virorum,
Per populus hic Roma perit: quod militis illic,
635 Mors hic gentis erat: sanguis ibi fluxit Achaeus,
Ponticus, Assyrius: cunctos haerere cruores
Romanus, campisque vetat consistere torrens:
Majus ab hac acie, quam quod sua secula ferrent,
Vulnus habent populi: plus est quam vita salusque,
640 Quod perit: in totum mundi prosternimur aevum.
Vincitur his gladiis omnis, quae serviet, aetas.
Proxima quid soboles, aut quid meruere nepotes
In regnum nasci? pavide num gessimus arma?
Teximus aut jugulos? alieni poena timoris
645 In nostra cervice sedet. post proelia natis
Si dominum, Fortuna, dabas, et bella dedisses.

628. Abscissum, c. mitat, antea nutat, c. 635. ibi sang. c. ubi, sed u man. sec. b. pro var. lect. a. 638. sua manu alia additum, c. 641. Vincimur, c. qui, a. serviet, sed e ex a manus sec. correxit, b. 643. regno, a. pavidi, a. b. c.

Altera per jugulum *pennis tenus acta sagitta est;*
Expulit hanc sanguis.

Seneca Oedipo, 1010,

Jacet peremta: vulneri immoritur manus;
Ferrumque secum nimius ejecit cruor.

Ovid. Metam. XIII, 394,

Nec voluere manus infixum educere telum:
Expulit ipse cruor.

Digitized by Google

Jam Magnus transisse Deos Romanaque fata
Senserat infelix: tota vix clade coactus
Fortunam damnare suam, stetit aggere campi
650 Eminus, unde omnes, sparsas per Thessala rura,
Aspiceret clades, quae bello obstante latebant.
Tot telis sua fata peti, tot corpora fusa,
Ac se tam multo pereuntem sanguine vidit.
Nec, sicut mos est miseris, trahere omnia secum
655 Mersa juvat, gentesque suae miscere ruinae:
Ut Latiae post se vivat pars maxima turbae,
Sustinuit dignos etiam nunc credere votis
Coelicolas, voluitque sui solatia casus:
Parcite, ait, Superi, cunctas prosternere gentes:
660 Stante potest mundo, Romaque superstite, Magnus
Esse miser. si plura juvant mea vulnera, conjux
Est mihi, sunt nati; dedimus tot pignora fatis.
Civiline parum est bello, si meque meosque
Obruat? exiguae clades sumus, orbe remoto?
665 Omnia quid laceras? quid perdere cuncta laboras?
Jam nihil est, Fortuna, meum. sic fatur: et arma
Signaque, et afflictas omni jam parte catervas
Circuit, et revocat matura in fata ruentes,

647. transire, a. 648. vix tota, b. 650. omnis, d. 658. volvitq. a. noluitque, n manus sec. ex v correxit, b. 659. Parc. *jam* Sup. c. o Sup. a. prosternitē (ita) b. 663. bello est, indicato per puncta vulgari ordine, b. 664. Obruet, b. d. c. et pro var. lect. â, qui obruit in textu habet. 666. versus in inferiori margine scriptus, a. *est* manu sec. additum, b.

Digitized by Google

Seque negat tanti. nec deerat robur in ensis
670 Ire duci, juguloque pati vel pectore letum:
Sed timuit, strato miles ne corpore Magni
Non fugeret; supraque ducem procumberet orbis:
Caesaris aut oculis voluit subducere mortem.
Nequicquam infelix, socero spectare volenti
675 Praestandum est ubicunque caput. sed tu quoque, conjux,
Causa fugae, vultusque tui: fatisque probatum
Te praesente mori. Tunc Magnum concitus aufert
A bello sonipes, non tergo tela paventem,
Ingentesque animos extrema in fata ferentem.
680 Non gemitus, non fletus erat, salvaque verendus
Majestate dolor, qualem te, Magne, decebat
Romanis praestare malis. non impare vultu
Aspicis Emathiam: nec te videre superbum
Prospera bellorum, nec fractum adversa videbunt.
685 Quamque fuit laeto per tres infida triumphos,
Tam misero Fortuna minor. jam pondere fati
Deposito securus abis: nunc tempora laeta
Respexisse vacat: spes nunquam implenda recessit:
Quid fueris nunc scire licet. fuge proelia dira,

671. *Aut vel* sed, a. miles strato, c. 672. ducem supr. c. 674. Nec quicquam, c. Ne quiquam, d. volenti *vel volente*, a. 676. *neg*atum, a. b. c. d. 679. Ingent*is*que, d. 682. *tuis vel malis*, a. 684. vv. *adversa videbunt*, in membr. erasa, d. 687. Inde ab hoc versu alia manus scripsit, quae majorem Codicis b partem exhibuit. 688. *viv*at *vel vacat*, a. *juv*at *vel vacat*, b.

Digitized by Google

690 Ac testare Deos, nullum qui perstet in armis,
Jam tibi, Magne, mori: ceu flebilis Africa damnis,
Et ceu Munda nocens, Pharioque a gurgite clades,
Sic et Thessalicae post te pars maxima pugnae.
Non jam Pompeji nomen populare per orbem,
695 Nec studium belli: sed par, quod semper habemus,
Libertas et Caesar erunt: teque inde fugato
Ostendet moriens, sibi se pugnasse, Senatus.
Nonne juvat pulsum bellis cessisse, nec istud
Prospectare nefas, spumantes caede catervas?
700 Respice turbatos incursu sanguinis amnes,
Et soceri miserere tui. quo pectore Romam
Intrabit factus campis felicior istis?
Quicquid in ignotis solus regionibus exul,
Quicquid sub Phario positus patiere tyranno,
705 Crede Deis, longo fatorum crede favori.
Vincere pejus erat. prohibe lamenta sonare,
Flere veta populos: lacrymas luctusque remitte.
Tam mala Pompeji, quam prospera mundus adoret.
Aspice securus vultu non supplice reges:
710 Aspice possessas urbes donataque regna,
Aegyptum Libyamque, et terras elige morti.
Vidit prima tuae testis Larissa ruinae
Nobile, nec victum fatis caput: omnibus illa

690. perst*a*t, a. c. 692. Pharioque *vel Parthoque*, a. 693. pugnae *vel turbae*, a. 697. Ostendit, b. c. et supra scriptum *et*, a. 699. Prospectasse, c. d. per*spex*isse, b. et a, qui *vel perspectasse* addidit. 700. incursu, *in* manu alia additum, c. 704. pa*ciare*, c. 705. fatorum, inter *a* et *t* aliquid erasum, c. crede, *re* correctae, c.

Digitized by Google

Civibus effudit totas per moenia vires.
715 Obvia ceu laeto: praemittunt munera flentes:
Pandunt templa, domos: socios se cladibus optant.
Scilicet immenso superest ex nomine multum,
Teque minor solo: cunctas impellere gentes
Rursus in arma potes, rursusque in fata redire.
720 Sed quid opus victo populis aut urbibus, inquit?
Victori praestate fidem. Tu, Caesar, in alto
Caedis adhuc cumulo patriae per viscera vadis:
At tibi jam populos donat gener. avehit inde
Pompejum sonipes: gemitus lacrymaeque sequuntur:
725 Plurimaque in saevos populi convicia divos.
Nunc tibi vera fides quaesiti, Magne, favoris
Contigit, ac fructus. felix se nescit amari.
Caesar ut Hesperio vidit satis arva natare
Sanguine, parcendum ferro manibusque suorum

715. Omnia, a. promittunt, a. b. c. d. Versus 715. in inferiori margine a legitur. 718. inpellere, antea *inponere*, c. 719. fata *vel bella*, b. 720. est quis, a. opus victo, *est* man. alia, post v. *opus* aliquid deletum, c. 723. adveit, c. 724. gemitusque lacrimae sequitur, c. 728. arma, a. b. arma, c.

715. *Praemittunt munera flentes:*] Quomodo *praemittunt*, qui ipsi *obviam* veniunt? Codices fere omnes *Promittunt*. Repone,

PROMITTUNT NOMINA *flentes*.

Hoc est, promittunt se militaturos. Noster I, 338,

Elatasque ulte, quaecumque ad bella vocaret,
Promisere manus.

Dare nomina in militiam, locutio notissima. Tacitus Hist. III, 59, *Vitellius vocari tribus jubet*, dantes nomina *sacramento adigit*. Val. Flaccus V, 119,

— *nova dux accedere gaudet*
Nomina, *desertos et jam sibi currere remos*.

Val. Maximus V, 2, 2, *Quid illa juventute Romana gratius, quae ultro nomina sua militari sacramento obtulit?*

Digitized by Google

730 Jam ratus, ut viles animas, perituraque frustra
Agmina permisit vitae. sed castra fugatos
Ne revocent, pellatque quies nocturna pavorem,
Protinus hostili statuit succedere vallo,
Dum fortuna calet, dum conficit omnia terror,
735 Non veritus, grave ne fessis ac marte subactis
Hoc foret imperium. non magno hortamine miles
In praedam ducendus erat: victoria nobis
Plena viri, dixit: superest pro sanguine merces,
Quam monstrare meum est: nec enim donare vocabo,
740 Quod sibi quisque dabit. cunctis en plena metallis
Castra patent: raptum Hesperiis e gentibus aurum
Hic jacet: Eoasque premunt tentoria gazas.
Tot regum fortuna simul, Magnique coacta
Expectat dominos: propera procedere miles
745 Quos sequeris: quascunque tuas Pharsalia fecit,
A victis rapiantur opes. nec plura locutus

730. ut ut, b. 734. Cum, in membr. erasa, c. *favet*, deleto *calet*, c. conficit *vel contigit*, a. 735. Nec, d. *aut*, d. c. b. a. 736. *non* man. alia addidit in c. 739. *est* non legitur in a. nec, a. vacabo, a. b. c. *vocabo*, man. alia in c supra scriptum. 744. praecedere, a. d. 746. rapiuntur, c. rapientur, d. *Sic milite jusso*, a. b.

735. — *marte subactis]* Defatigatis. Grotius. Atqui *marte subactos* ubique *victos* notat, non *defatigatus*: corrige igitur,

Non veritus, grave ne fessis
IN *marte* SUBACTOS
Hoc foret imperium.

Non grave erat victoribus licet fessis, in victos fugatosque ire. Silius 1, 302,

— *ne veniae spem* marte subactis.

746. *A victis rapiantur opes. nec plura locutus]* Lege *Sic milite jusso* (altero versu deleto) *Ire super clades*, etc. Livius XLIV, 2, *Praetore dimisso, mensruum* jussó milite *secum ferre, castra movit.*

Digitized by Google

Impulit amentes, aurique cupidine caecos
Ire super gladios, supraque cadavera patrum,
Et caesos calcare duces. quae fossa, quis agger
750 Sustineat pretium belli scelerumque petentes?
Scire volunt, quanta fuerint mercede nocentes.
Invenere quidem spoliato plurima mundo,
Bellorum in sumtus congestae pondera massae:
Sed non implerunt cupientes omnia mentes.
755 Quicquid fodit Iber, quicquid Tagus expulit auri,
Quodque legit dives summis Arimaspus arenis,
Ut rapiant, parvo scelus hoc vaenisse putabunt,
Cum sibi Tarpejas victor desponderit arces:
Cum spe Romanae promiserit omnia praedae:
760 Decipitur, quod castra rapit. capit impia plebes
Cespite patricio somnos: vaeuumque cubile
Regibus infandus miles premit: inque parentum,
Inque toris fratrum posuerunt membra nocentes:
Quos agitat vesana quies somnique furentes:
765 Thessalicam miseri versant in pectore pugnam.
Invigilat cunctis saevum scelus, armaque tota
Mente agitant, capuloque manus absente moventur.

749. cesos, et in marg. man. alia *cecos*, c. 753. congest*a*, a. 754. imple*vit*, a. b. c. d. 755. exp*uit*, d. exp*lilit*, c. 756. *que* deest in a. b. in c alia manus addidit. summis*que*, c. 757. putab*ant*, d. Inde ab hoc versu alia manus Codicem b. scripsit. 759. promiserit, et *vel com*miserit man. alia, d. 761. somn*um*, c. *caes*umque *vel cassumque*, a. 766. cunct*os*, supra scripto *tis*, man. alia, c. 767. Vv. absente — terraque nocentem, man. alia in margine Cod. c. scripta. In textu post v. *manus* sequitur terramque nocentes.

Digitized by Google

Ingemuisse putes campos, terramque nocentem
Inspirasse animas, infectumque aera totum
770 Manibus, et superam Stygia formidine noctem.
Exigit a meritis tristes victoria poenas,
Sibilaque et flammas infert sopor: umbra peremti
Civis adest: sua quemque premit terroris imago.
Ille senum vultus, juvenum videt ille figuras:
775 Hunc agitant totis fraterna cadavera somnis:
Pectore in hoc pater est, omnes in Caesare manes.
Haud alios nondum Scythica purgatus in ara
Eumenidum vidit vultus Pelopeus Orestes:
Nec magis attonitos animi sensere tumultus,
780 Cum fureret Pentheus, aut cum desisset Agave.
Hunc omnes gladii, quos aut Pharsalia vidit,
Aut ultrix visura dies, stringente Senatu,
Illa nocte premunt: hunc infera monstra flagellant.
Et quantum poenae misero mens conscia donat,
785 Quod Styga, quod manes infestaque Tartara somnis

768. putem, d. a. et b, manu sec. antea *putes* fuisse videtur. 769. Inspirasse, *ss* manu sec. correctae, c. animos, supra scripta *a*, a. infectumque *vel confectumque*, a. 775. agitant, *n* manu sec. addita, b. 777. Haut, *H* manu sec. addita, c. Scithica nondum, b. 780. desisset, *i* manu sec. in membr. erasa, b. 781. Pharsalica, c. 784. mis. poen. c. *Et*, manu sec. in membr. erasa, b. 785. ingestaque, a. b. c. d. *corpora*, a. et pro var. lectione, b.

768. *Ingemuisse putes campos, terramque nocentem Inspirasse animas,]* Omnes fere codices *putem*. mox corrige *nocentes Inspirasse animas*. Virg. Aen. VII, 351,

— *vipeream inspirans animam.*

784. *Et quantum poenae misero mens conscia donat,]* Manuscripti fere omnes concinnius,

Et quantum misero poenae *mens conscia donat.*

Digitized by Google

Pompejo vivente videt! Tamen omnia passo,
Postquam clara dies Pharsalica damna retexit,
Nulla loci facies revocat feralibus arvis
Haerentes oculos. cernit propulsa cruore
790 Flumina, et excelsos cumulis aequantia colles
Corpora, sidentes in tabem spectat acervos,
Et Magni numerat populos: epulisque paratur
Ille locus, vultus ex quo faciesque jacentum
Agnoscat. juvat Emathiam non cernere terram,
795 Et lustrare oculis campos sub clade latentes.
Fortunam Superosque suos in sanguine cernit.
Ac ne laeta furens scelerum spectacula perdat,
Invidet igne rogi miseris, coeloque nocenti
Ingerit Emathiam. non illum Poenus humator
800 Consulis, et Libyca succensae lampade Cannae
Compellunt, hominum ritus ut servet in hostes:
Sed meminit nondum satiata caedibus ira,
Cives esse suos. petimus non singula busta,
Discretosque rogos: unum da gentibus ignem:
805 Non interpositis urantur corpora flammis.
Aut generi si poena juvat, nemus extrue Pindi:
Erige congestas Oetaeo robore silvas,
Thessalicam videat Pompejus ab aequore flammam.

787. Pharsalica, *ca* manu sec. in membr. erasa, b. 790. *tumulis*, *t* ex *c* manu sec. correcta in c. et pro var. lect. a. 791. *ex*spectat, c. 792. popul. num. c. 793. *que* manu sec. additum, b. 795. *Sed* et in marg. man. alia *Et*, c. 796. versus in margine man. sec. additus, a. 798. miseros, supra scripta *i*, d. 807. Oet*heo*, b. *Etheo*, d.

Digitized by Google

Nil agis hac ira: tabesne cadavera solvat
An rogus, haud refert: placido Natura receptat
Cuncta sinu, finemque sui sibi corpora debent.
Hos, Caesar, populos si nunc non usserit ignis,
Uret cum terris, uret cum gurgite ponti.
Communis mundo superest rogus, ossibus astra
Misturus. quocunque tuam Fortuna vocabit,
Hae quoque eunt animae. non altius ibis in auras,
Non meliore loco Stygia sub nocte jacebis.
Libera Fortunae mors est: capit omnia tellus
Quae genuit: coelo tegitur, qui non habet urnam.
Tu, cui dant poenas inhumato funere gentes,
Quid fugis hanc cladem? quid olentes deseris agros?
Has trahe, Caesar, aquas: hoc, si potes, utere coelo.
Sed tibi tabentes populi Pharsalica rura
Eripiunt, camposque tenent victore fugato.

810. placido, *do* man. sec. correctae, b. 812. non nunc, a. 815. vocab*at*, a. et pro var. lect. c. vocabit, sed *i* man. sec. b. *locabit*, d. 816. *sunt*, a. b. d. 817. *latebis*, d et c, qui in marg. *vel jacebis* habet. 818. Fortun*a*, a. b. c. d. 822. Has trahe, *e* et *h* man. alia additae, c.

813. *Uret cum terris, uret cum gurgite ponti.*] Stoicum dogma. Arnobius II, [c. 9.], *Qui ignem minatur mundo et, venerit cum tempus, arsurum, non Panaetio credit, Chrysippo, Zenoni?*

818. — *capit omnia tellus Quae genuit;*] An *Quae tellus,*

825 Non solum Haemonii funesta ad pabula belli
Bistonii venere lupi, tabemque cruentae
Caedis odorati Pholoen liquere leones.
Tunc ursi latebras, obscoeni tecta domosque
Deseruere canes, et quicquid nare sagaci
830 Aera non sanum, motumque cadavere sentit.
Jamque diu volucres, civilia castra secutae,
Conveniunt. vos, quae Nilo mutare soletis
Threicias hyemes, ad mollem serius Austrum
Istis aves. nunquam se tanto vulture coelum
835 Induit, aut plures presserunt aera pennae.
Omne nemus misit volucres, omnisque cruenta
Alite sanguineis stillavit roribus arbor.
Saepe super vultus victoris, et impia signa
Aut cruor, aut alto defluxit ab aethere tabes,
840 Membraque dejecit jam lassis unguibus ales.
Sic quoque non omnis populus pervenit ad ossa,
Inque feras discerptus abit: non intima curant
Viscera, nec totas avide sorbere medullas:
Degustant artus. Latiae pars maxima turbae
845 Fastidita jacet, quam sol, nimbique, diesque

826. tabemque, *t* correcta, c. 827. Inde ab hoc versu prior manus, quae plurima scripsit in b. 828. ursi *vel ursae*, a. 832. *et*. vos quae, deleto v. *vos* ab al. manu, d. *Nilo* abest, b. 834. tanto se, a. d. 839. aethere *vel aere*, a. 840. dejecit *vel projecit*, a. lapsis, a. inguibus, c. 841. populis, a. 844. Degustant*que*, c. d. 845. nimb*us*que, b.

vel *Quae omnia?* Seneca Nat. Quaest. VI, ult. cap. *Rerum natura te, quae genuit, expectat, et locus melior ac tutior.* Sed melius *omnia quae.* Nam Natura omnia omnino genuit, tellus non omnia, sed terrena tantum.

Digitized by Google

Longior Emathiis resolutam miscuit arvis.
Thessalica infelix, quo tanto crimine, tellus,
Laesisti Superos, ut te tot mortibus unam,
Tot scelerum fatis premerent? quod sufficit aevum,
850 Immemor ut donet belli tibi damna vetustas?
Quae seges infecta surget non decolor herba?
Quo non Romanos violabis vomere manes?
Ante novae venient acies, scelerique secundo
Praestabis nondum siccos hoc sanguine campos.
855 Omnia majorum vertamus busta licebit,
Et stantes tumulos, et qui radice vetusta
Effudere suas, victis compagibus, urnas:
Plus cinerum Haemoniae sulcis telluris aratur,
Pluraque ruricolis feriuntur dentibus ossa.
860 Nullus ab Emathio religasset littore funem
Navita, nec terram quisquam movisset arator,
Romani bustum populi: fugerentque coloni
Umbrarum campos, gregibus dumeta carerent:
Nullusque auderet pecori permittere pastor,
865 Vellere surgentem de nostris ossibus herbam;
Ac, velut impatiens hominum, vel solis iniqui
Limite, vel glacie nuda atque ignota jaceres,

847. Thessal*ia*, a. b. tant*um* et *vèl tanto*, a. 852. Quo*s*, a. 861. arator et *vel aratro*, a. in marg. c. man. alia *tis*. 863. caverent, supra scripta *r* man. alia, c. 864. *com*mittere, b. c. 866 et 867. versus, lineola notati, inter vers. 868. et 869. positi leguntur, d.

Digitized by Google

Si non prima nefas belli, sed sola tulisses.
O Superi, liceat terras odisse nocentes.
870 Quid totum premitis, quid totum absolvitis orbem?
Hesperiae clades, et flebilis unda Pachyni,
Et Mutina, et Leucas puros fecere Philippos.

868. *sed* et pro var. lect. *vel*, a. 869. *nefandas*, d.

Explicit septimus. Incipit octavus, c. *Explicit Lib. septimus. Incipit Lib. octavus*, d.

Digitized by Google

M. ANNAEI LUCANI

PHARSALIAE

LIBER OCTAVUS.

Jam super Herculeas fauces nemorosaque Tempe,
Haemoniae deserta petens dispendia silvae,
Cornipedem exhaustum cursu, stimulisque negantem
Magnus agens, incerta fugae vestigia turbat,
5 Implicitasque errore vias. pavet ille fragorem
Motorum ventis nemorum, comitumque suorum.
Qui post terga venit, trepidum laterique timentem
Exanimat. quamvis summo de culmine lapsus,
Nondum vile sui pretium scit sanguinis esse,
10 Seque, nemor fati, tantae mercedis habere
Credit adhuc jugulum, quantum pro Caesaris ipse
Avulsa cervice daret. deserta sequentem

1. *tesqua*, d. 7. *redit*, b. c. *tremontem*, c. 10. mercede, supra scriptis *is* man. alia, c. 11. quantam, d.

Digitized by Google

Non patitur tutis fatum celare latebris
Clara viri facies. multi Pharsalica castra
15 Cum peterent, nondum fama prodente ruinas,
Occursu stupuere ducis, vertigine rerum
Attoniti: cladisque suae vix ipse fidelis
Auctor erat. gravis est Magno, quicunque malorum
Testis adest. cunctis ignotus gentibus esse
20 Mallet, et obscuro tutus transire per orbem
Nomine: sed longi poenas Fortuna favoris
Exigit a misero, quae tanto pondere famae
Res premit adversas, fatisque prioribus urget.
Nunc festinatos nimium sibi sentit honores,
25 Actaque lauriferae damnat Syllana juventae.
Nunc et Corycias classes, et Pontica signa
Dejectum meminisse piget. sic longius aevum
Destruit ingentes animos, et vita superstes
Imperio. nisi summa dies cum fine bonorum

14. **Clara** et *vel Nota*, a. **Pharsalia**, d. 16. Occursum, c. 18. Actor, c. 20. urbes, a. b. c. d. 21. poen. longi, a. b. d. 23. Inde ab hoc versu altera manus, quae pauca in Cod. b. scripsit. 25. Syllana, *a* ex *e* man. al. correcta, c. 27. pudet, c. d. a, pro var. lect. et in b; a prima manu nunc *piget* legitur. 28. Destruit, correctum, antea *Deserit* fuisse videtur, in marg. man. alia *Destruit*, c.

14. — *Pharsalica castra]* Vix credo auctorem *κακέμφατον* illud dedisse. Quare aut lege cum codice Regio *Pharsalia castra*, aut cum Bersmanni codice *Pharsalica rura*.

21. — *sed longi poenas Fortura favoris Exigit]* Plures codices alio ordine: — *sed* poenas longi *Fortuna favoris.*

Atque eo pacto *poenas ἐν ἄρσει* erit, non in *θέσει*, et signatius ponitur.

29. — *nisi summa dies cum fine bonorum Affuit, et celeri praevertit tristia leto, Dedecori*

Digitized by Google

30 Affuit, et celeri praevertit tristia leto,
Dedecori est fortuna prior. quisquamne secundis
Tradere se fatis audet, nisi morte parata?
Littora contigerat, per quae Peneius amnis,
Emathia jam clade rubens, exibat in aequor.
35 Inde ratis trepidum, ventis et fluctibus impar,
Flumineis vix tuta vadis, evexit in altum:
Cujus adhuc remis quatitur Corcyra, sinusque
Leucadii, Cilicum dominus terraeque Liburnae,
Exiguam vector pavidus correpsit in alnum.
40 Conscia curarum secreta in littora Lesbi
Flectere vela jubes, qua tum tellure latebas,
Moestior, in mediis quam si, Cornelia, campis
Emathiae stares. Tristes praesagia curas
Exagitant: trepida quatitur formidine somnus:

32. parat*a*, *a* manu sec. in membr. erasa, b. 33. contigāt, et *i* in membr. erasa, manu alia, c. 35. trepidum et *vel Magnum*, a. *ac* fluct. a. b. c. d. 38. dom. Cilicum, c. 39. rector, b. d. a, pro var. lectione. alvum, c. 40. jube*t*, b. c. d. tu*nc*, d. *nunc*, a. b. 43. tristes, *e* man. alia ex *i*, c.

est fortuna prior.] Ita postremum comma cum praecedentibus cohaerere fecimus. Sententia est, felicitatem, ni adsit matura mors, ludibrio fere homines exponere. Grotius. Non *felicitatem, ni adsit matura mors;* sed *felicitatem* lapsam, eversam, *nisi* una *adsit matura mors.*

31. — *quisquamne secundis Tradere se fatis audet,] Tradere fatis* idem est ac *tradere morti.* Legendum, *Credere se fatis.* Noster IV, 737.

— *leti fortuna propinqui Tradiderat fatis juvenem.*

I, 227.

Credidimus fatis.

35. *Ventis, et fluctibus impar,]* Plerique omnes Manuscripti ac.

40. *Conscia curarum secreta in littora Lesbi Flectere vela jubes, qua tum tellure latebas]* Omnes codices *jubet.* Recte. Correctores dederunt *jubes,* sententia licet invita; quia sequitur *Latebas.* Repone,

Conscia curarum SECRETAE *in litora Lesbi*

Digitized by Google

45 Thessaliam nox omnis habet: tenebrisque remotis
Rupis in abruptae scopulos extremaque currens
Littora, prospiciens fluctus, nutantia longe
Semper prima vides venientis vela carinae,
Quaerere nec quicquam de fato conjugis audes.
50 En ratis, ad vestros quae tendit carbasa portus,
Quid ferat ignoras: sed nunc tibi summa pavoris
Nuntius armorum tristis, rumorque sinister,
Victus adest conjux. Quid perdis tempora luctus?
Cum possis jam flere, times. Tunc puppe propinqua

46. *currit*, d. a, addito *vel currens*. curr*is*, b. c. 48. vides, *s* man. alia in membr. erasa, b. c. vide*t*, d. a, pro var. lectione, in textu *vide*. 49. nec quicquam, *c* manu alia addita, b. aude*t*, d. aude et *vel audes*, a. 51. *et*, supra scripto *sed*, a. 53. *fle*tus, c. b. a, pro var. lectione.

Flectere vela JUBET: *qua* TU
tellure latebas
Moestior, in mediis quam si, Cornelia, campis etc.

Secretas legendum, etsi libri omnes *Secreta*. Sic supra v, 725. *Lesboque remota*. neque enim secreta litorum in Lesbo petiit, sed ipsam insulae metropolin, ubi Cornelia *latebat*, Caesarianis scilicet, sed non suis Lesbiis.

46. — *Extremaque currens*] Libri plerique omnes,

Rupis ad abruptae scopulos
extremaque CURRIS
Littora, prospiciens fluctus.

Non judicii est, sed necessitatis, ut sic reponas.

49. — *De fato conjugis audes.*] Concinnius sic refingas:

Quaerere nec quicquam fato
de *conjugis audes.*

51. — *Sed nunc tibi summa pavoris*] Repone ipsius sententiae jussu ac fide,

— *sed* NON, *tibi summa*
pavoris,
Nuntius armorum tristis rumorque sinister,
Victus adest conjux.

Quid ratis ferat, ignoras: tu id tantum metuis, ne tristis nuntius de victo marito veniat: *Non* ita est, sed quod numquam metueras, ipse adest primus fortunae suae nuntius.

54. *Cum possis jam flere, times.*] Melius codex Coll. Trinitatis,

Cum POSSES *jam flere, times.*

Digitized by Google

55 Prosiluit, crimenque Deum crudele notavit,
Deformem pallore ducem, vultusque prementem
Canitie, atque atro squalentes pulvere vestes.
Obvia nox miserae coelum lucemque tenebris
Abstulit, atque animam clausit dolor: omnia nervis
60 Membra relicta labant: riguerunt corda, diuque
Spe mortis decepta jacet. Iam fune ligato
Littoribus, lustrat vacuas Pompejus arenas.
Quem postquam propius famulae videre fideles,
Non ultra gemitus tacitos incessere fata
65 Permisere sibi, frustraque attollere terra
Semianimem conantur heram: quam pectore Magnus
Ambit, et astrictos refovet complexibus artus.
Coeperat in summum revocato sanguine corpus
Pompeji sentire manus, moestamque mariti
70 Posse pati faciem: prohibet succumbere fatis
Magnus, et immodicos castigat voce dolores.
Nobile cur robur Fortunae vulnere primo,
Femina, tantorum titulis insignis avorum,

57. Caniciem, c. 61. jacet et *vel tacet*, a. 63. famul. prop. c. 64. fatum, c. 66. corpore Magnus, c. 67. adstrictos, d. 68. *Cepit ut*, pi man. alia in membr. erasa, et *ut* lineola notatum inter lineas, b. 73. et 74. versus *Femina—famae* ante versum 72. *Nobile* etc. positi sunt, signo quodam notati, quod alium tamen ordinem non indicat, c.

56. — *vultusque prementem Canitie,*] Repone ex melioribus libris *Canitiem*. canitiem prementem, abtegentem vultus, ut mox *vestes squalentes*.

64. *Non ultra gemitus*] Ple-

Frangis? habes aditum mansura in secula famae.
75 Laudis in hoc sexu, non legum jura, nec arma,
Unica materia est conjux miser. Erige mentem,
Et tua cum fatis pietas decertet, et ipsum,
Quod sum victus, ama: nunc sum tibi gloria major,
A me quod fasces, et quod pia turba Senatus,
80 Tantaque discessit regum manus: incipe Magnum
Sola sequi. deformis adhuc vivente marito,
Summus, et augeri vetitus dolor: ultima debet
Esse fides, lugere virum. tu nulla tulisti
Bello damna meo. vivit post proelia Magnus,
85 Sed Fortuna perit: quod defles, illud amasti.
Vocibus his correpta viri, vix aegra levavit
Membra solo, tales gemitu rumpente querelas:
O utinam in thalamos invisi Caesaris issem
Infelix conjux, et nulli lacta marito!
90 Bis nocui mundo: me pronuba duxit Erinnys,
Crassorumque umbrae, devotaque manibus illis
Assyrios in castra tuli civilia casus;
Praecipitesque dedi populos, cunctosque fugavi
A causa meliore Deos. o maxime conjux,
95 O thalamis indigne meis, hoc juris habebat
In tantum Fortuna caput! cur impia nupsi,

74. mansur*ae*, a. b. c. d, 75. ne*que* arma, a. c. 76. *est* non legitur in b, 77. d*is*certet, c. 78. *tibi* victus, suprascripto *sum*, b. 84. Bello, *o* man. alia in membr. erasa, c. 89. nulli, *i* man. alia in membr. erasa, b. 90. ducit, a. b. 91. Crassorumque, et in marg. man. alia *Cassorum*, c. 93. versus et seqq. manu prima scripti sunt, b. 94. conju*nx*, ita semper, b. 95. habebit, b. c. d.

rique codices *fatum*: quod recipimus.

74. — *Habes aditum mansu-*

Digitized by Google

Si miserum factura fui? nunc accipe poenas,
Sed quas sponte luam. quo sit tibi mollius aequor,
Certa fides regum, totusque paratior orbis,
100 Sparge mari comitem. mallem felicibus armis
Dependisse caput: nunc clades denique lustra,
Magne tuas. ubicunque jaces, civilibus armis
Nostros ulta toros, ades huc, atque exige poenas,
Julia crudelis; placataque pellice caesa,
105 Magno parce tuo. Sic fata, iterumque refusa
Conjugis in gremium, cunctorum lumina solvit
In lacrymas. duri flectuntur pectora Magni,
Siccaque Thessaliae confundit lumina Lesbos.
Tunc Mitylenaeum pleno jam littore vulgus
110 Affatur Magnum: Si maxima gloria nobis
Semper erit tanti pignus servasse mariti,
Tu queque devotos sacro tibi foedere muros,
Oramus, sociosque lares dignare vel una
Nocte tua: fac, Magne, locum, quem cuncta revisant
115 Secula; quem veniens hospes Romanus adoret.

97. factura, *f* man. alia in membr. erasa, c. 98. quo*d*, d. 103. *nunc* exige, b. 104. crudel*is*, *elis* man. alia in membr. erasa, b. 107. *p*lectuntur, superne scripto *flectuntur* man. alia, c. 109. jam pleno, d. 110. Si et *vel Sic*, b. 113. dign*e*re, a. 114. tuum, c. tu*os* et *vel tua*, b. revis*e*nt, c.

ra in saecula famae,] Immo ut alii codices, *mansurae.*

100. *—mallem felicibus armis Dependisse caput:]* Atqui altero mox versu habebimus, *civilibus armis.* Poteras *felicibus annis*, sensu non incommodo: *armis* et *annis* tam apud Nostrum quam alios passim a librariis permutantur. Sed corrigendum:

— mallem felicibus ACTIS
Dependisse caput.

Infra 320.

Quas magis in terras nostrum felicibus actis
Nomen abit?

Digitized by Google

Nulla tibi subeunda magis sunt moenia victo.
Omnia victoris possunt sperare favorem:
Haec jam crimen habent. quid, quod jacet insula ponto,
Caesar eget ratibus? procerum pars magna coibit
120 Certa loci. noto reparandum est littore fatum.
Accipe templorum cultus, aurumque Deorum
Accipe: si terris, si puppibus ista juventus
Aptior est, tota, quantum valet, utere Lesbo.
[Accipe: ne Caesar rapiat, tu victus habeto.]
125 Hoc solum crimen meritae bene detrahe terrae,
Ne nostram videare fidem felixque secutus,
Et damnasse miser. Tali pietate virorum
Laetus, in adversis et mundi nomine gaudens
Esse fidem, Nullum toto mihi, dixit, in orbe
130 Gratius esse solum, non parvo pignore vobis
Ostendi. tenuit nostror hac obside Lesbos
Adfectus: hic sacra domus, carique penates,
Hic mihi Roma fuit. non ulla in littora puppim
Ante dedi fugiens, saevi cum Caesaris iram
135 Jam scirem meritam, servata conjuge, Lesbon,
Non veritus tantam veniae committere vobis
Materiam. sed jam satis est fecisse nocentes:
Fata mihi totum mea sunt agitanda per orbem.

118. hab*et*, a. b. 120. *bell*um, c. 121. versus in margine scriptus legitur, d. t*el*orum et in marg. man. alia *templorum*, c. decorum, c man. alia addita, c. 123. toto, d. *potes* et *vel vales*, a. *potes* et *vel valet* man. sec. b. 124. versus non legitur in a. b. c. d. 132. A*ff*ectus, b. c. carique et *vel sacrique*, a. 133. ullo, c. littor*e*, c. littora, *a* ex *e* correcta, d. pupp*e*m, c. d. 134. ir*a* d. iram et *vel arma*, a.

Digitized by Google

Heu nimium felix aeterno nomine Lesbos!
140 Sive doces populos regesque admittere Magnum,
Seu praestas mihi sola fidem. nam quaerere certum est
Fas quibus in terris, ubi sit scelus. accipe numen,
Si quod adhuc mecum es, votorum extrema meorum:
Da similes Lesbo populos, qui Marte subactum
145 Non intrare suos, infesto Caesare, portus,
Non exire vetent. Dixit, moestamque carinae
Imposuit comitem. Cunctos mutare putares
Tellurem patriaeque solum: sic littore toto
Plangitur, infestae tenduntur in aethera dextrae;
150 Pompejumque minus, cujus fortuna dolorem
Moverat, ast illam, quam toto tempore belli
Ut civem videre suam, discedere cernens,
Ingemuit populus: quam vix, si castra mariti
Victoris peteret, siccis dimittere matres
155 Jam poterant oculis; tanto devinxit amore
Hos pudor, hos probitas, castique modestia vultus,
Quod submissa nimis, nulli gravis hospita turbae,
Stantis adhuc fati vixit quasi conjuge victo.
Jam pelago medios Titan demissus ad ignes,
160 Nec quibus abscondit, nec si quibus exerit orbem,

140. *Sive* et seq. *Seu* correcta sunt, c. 141. praestes, a. b. c. *nunc*, d. 143. mecum *est*, d. *es* et in marg. man. alia *est*, c. 144. Lesbi, et *vel o*, b. 149. *palm*ae, b. 152. descendere, d. 153. Ingem. *vulg*us, c. quam vis, a. d. c, addito *vel quam vix* man. alia. 155. *Non* pot. a. b. d. devinxit, *n* man. alia addita, c. 156. pud*et*, supra scriptis *or*, a. 159. dimissus, c. *in*, supra scripto man. alia *ad*, c.

Digitized by Google

Totus erat: vigiles Pompeji in pectore curae
Nunc socias adeunt Romani foederis urbes,
Et varias regum mentes, nunc invia mundi
Arva super nimios soles Austrumque jacentis.
165 Saepe labor moestus curarum, odiumque futuri
Projecit fessos incerti pectoris aestus;
Rectoremque ratis de cunctis consulit astris,
Unde notet terras, quae sit mensura secandi
Aequoris in coelo, Syriam quo sidere servet,
170 Aut quotus in plaustro Libyam bene dirigat ignis.
Doctus ad haec fatur taciti servator Olympi:
Signifero quaecunque fluunt labentia coelo,
Nunquam stante polo, miseros fallentia nautas
Sidera non sequimur: sed qui non mergitur undis
175 Axis inocciduus, gemina clarissimus Arcto,
Ille regit puppes. hic cum mihi semper in altum

161. versus *Totus—curae* legitur in margine c. *in* abest, c. 162. *regum*, in margine scriptum legitur, c. 163. versus et seqq. a secunda manu scripti sunt, quae pauca eaque litteris majusculis scripsit in b. 164. Astrumque, c. jacentem, supra scriptis *is* man. alia, c. 173. nautos, c. 174. sequitur, man. alia in *sequimur* correctum, c. 175. in occiduis, c. Arcto, *to* man. sec. in membr. erasa, b. 176. reget, supra scriptis *it*, a. Hic *est*, supra scripto *cum* man. alia, et in marg. man. alia, c. *cum* abest, d.

171. — *taciti servator Olympi:]* Jam altero abhinc versu habebamus, *Quo sidere servet.* Quare recipimus quod codex Academiae pro varia lectione dat,

Taciti SCRUTATOR *Olympi.*

Quod est ante pedes, nemo spectat: caeli scrutantur *plagas.* Seneca de morte Claudii: *Quid in cubiculo suo faciat nescio: etiam caeli* scrutatur *plagas; deus fieri vult.* Et sane, quamquam *servare* saepe occurrit pro *observare*, *servator* tamen eo sensu, ob ambiguum, ut par est credere, nemo usurpavit.

Digitized by Google

Surget, et instabit summis minor Ursa ceruchis;
Bosporon, et Scythiae curvantem littora pontum
Spectamus. quicquid descendet ab arbore summa
180 Arctophylax, propiorque mari Cynosura feretur,
In Syriae portus tendet ratis. inde Canopos
Excipit Australi coelo contenta vagari,
Stella timens Boreae: illa quoque perge sinistra,
Trans Pharon: in medio tanget ratis aequore Syr-
tim.
185 Sed quo vela dari, quo nunc pede carbasa tendi
Nostra jubes? Dubio contra cui pectore Magnus,
Hoc solum toto, respondit, in aequore serva,
Ut sit ab Emathiis semper tua longius oris
Puppis, et Hesperiam pelago coeloque relinquas:
190 Cetera da ventis. comitem, pignusque recepi
Depositum: tunc certus eram, quae littora vellem;
Nunc portum Fortuna dabit. Sic fatur: at ille
Iusto vela modo pendentia cornibus aequis
Torsit, et in laevum puppim dedit, utque secaret,
195 Quas Asiae cautes, et quas Chios asperat, undas,

177. Surgit, a. b. d. cherucis, et in marg. man. alia *cheruchis*, c. 178. Bosforon, b. c. d. 179. quicquid, b. descendit, a. b. d. 180. Arctofilax, d. Artophilax, c. Archofilax, b. 181. tendit, a. b. 183. *quoque*, man. alia correctum, c. 184. Faron, b. c. tangit, a. Syrtes, d. b, man. sec. ex *Syrtim*. Syrtis, a. 187. in et *vel ab*, a. 195. Asinae, a. b. d. c, in margine man. alia et *vel Safinae*.

195. *Quas Asiae cautes,*] Manuscripti plerique *Asinae*. Priscianus p. 588. *Primitivum Chius breve. Lucanus in octavo: Quas Asinae cautes et quas Chios asperat undas. Cautes Asinae*, illud casu recto, hoc patrio. Virgil. Aeneid. III, 286.

Et glacialis hyems aquilonibus asperat undas.

Hos dedit in proram, tenet hos in puppe rudente
Aequora senserunt motus, aliterque secante
Jam pelagus rostro, nec idem spectante carina,
Mutavere sonum. Non sic moderator equorum,
200 Dexteriore rota laevum cum circuit orbem,
Cogit inoffensae currus accedere metae:
Ostendit terras Titan, et sidera texit.
Sparsus ab Emathia fugit quicunque procella,
Assequitur Magnum: primusque a littore Lesbi
205 Occurrit natus, procerum mox turba fidelis.
Nam neque dejecto fatis, acieque fugato,
Abstulerat Magno reges Fortuna ministros:
Terrarum dominos, et sceptra Eoa tenentes.
Exul habet comites. Jubet ire in devia mundi
210 Dejotarum, qui sparsa ducis vestigia legit.
Quando, ait, Emathiis amissus cladibus orbis
Qua Romanus erat, superest, fidissime regum,
Eoam tentare fidem, populosque bibentes
Euphraten, et adhuc securum a Caesare Tigrim:
215 Nec pigeat Magno quaerentem fata, remotas
Medorum penetrare domos Scythicosque recessus,
Et totum mutare diem, vocesque superbo
Arsacidae perferre meas: si foedera nobis

199. Nec sic, c. 200. axem, a. b. c. d. 202. Offendit, c. tytan terras, b. 203. Emathia, ia man. sec. in membr. erasa, b. 204. ab litt. a. 210. qui et vel qua, a. 212. Qui Rom. d. et in marg. man. alia, c. 214. Eufratem, c. 215. Ne, a. b. c. d.

216. — *penetrare domos]* Ita et simili modo dici docuit Bentl. ad Horat. Carm. I, 37, 24, ex nostro et aliis locis, Virgil. A. I, 243. IX, 10. Silii III, 651. IV, 362. Sueton. Jul. c. 52. Ammian. 29, 5.

Wer.

Digitized by Google

Prisca manent, mihi per Latium jurata Tonantem,
220 Per vestros astricta magos, implete pharetras,
Armeniosque arcus Geticis intendite nervis:
Si vos, o Parthi, peterem cum Caspia claustra,
Et sequerer duros aeterni martis Alanos,
Passus Achaemeniis late decurrere campis,
225 In tutam trepidos nunquam Babylona coegi:
Arva super Cyri, Chaldaeique ultima regni,
Qua rapidus Ganges, et qua Nysaeus Hydaspes
Accedunt pelago, Phoebi surgentis ab igne,
Jam propior quam Persis eram: tamen omnia vincens
230 Sustinui nostris vos tantum deesse triumphis,
Solusque e numero regum telluris Eoae
Ex aequo me Parthus adit, nec munere Magni
Stant semel Arsacidae: quis enim post vulnera cladis
Assyriae, justas Latii compescuit iras?
235 Tot meritis obstricta meis, nunc Parthia ruptis
Excedat claustris vetitam per secula ripam,
Zeugmaque Pellaeum. Pompejo vincite, Parthi!
Vinci Roma volet. Regem parere jubenti
Ardua non piguit, positisque insignibus aulae
240 Egreditur famuli raptos indutus amictus.
In dubiis tutum est inopem simulare tyranno.

222. claustra et *vel regna*, a. 223. Alonos, a. 224. Achimeniis, b. discurrere, a. b. 227. Nideus, c. 232. adiit, c. 233. Inde ab hoc versu tertia manus Cod. b. scripsit. 234. Latii, *i* ex *a* correcta, d. 235. astricta, c. 237. Zeumaque, c. d. 238. volenti, et in marg. man. alia *jubenti*, c. 239. pinguit, c.

Digitized by Google

Quanto igitur mundi dominis securius aevum
Verus pauper agit! dimisso in littore rege,
Ipse per Icariae scopulos, Ephesumque relinquens
245 Et placidi Colophona maris, spumantia parvae
Radit saxa Sami: spirat de littore Coo
Aura fluens: Gnidon inde fugit, claramque relinquit
Sole Rhodon, magnosque sinus Telmessidos undae
Compensat medio pelagi. Pamphylia puppi
250 Occurrit tellus: nec se committere muris
Ausus adhuc ullis, te primum, parva Phaselis,
Magnus adit nam te metui vetat incola rarus,
Exhaustaeque domus populis, majorque carinae
Quam tua turba fuit. tendens hinc carbasa rursus
255 Jam Taurum, Tauroque videt Dipsanta cadentem.
Crederet hoc Magnus, pacem cum praestitit undis,
Et sibi consultum? Cilicum per littora tutus
Parva puppe fugit: sequitur pars magna Senatus
Ad profugum collecta ducem: parvisque Synedris,
260 Quo portu mittitque rates recipitque Selinus,

242. Quant*um*, supra scripto *vel o*, c. Quanto, sed *o* in membr. eras. d. dominis et *vel dominos*, a. *dominis* iu membr. eras. b. 243. demisso, c. d. 244. Ephes*on*que, a. 246. Sam*a*, a. C*h*oo, a. b. c. et d, addito *vel Eoo*, man. alia. 247. reli*i*quit, a. 248. Temessidos, a. d. Tem*e*sidos, b. T*h*emesidos, c. 252. phasel*e*, c. 252. rarus, *r* ex *t* correcta, c. 254. *tua*, man. alia in marg. additum, c. h*i*c, d. h*u*c et in marg. man. alia *hinc*, c. h*n*ic, a. 259. Senedris, et in marg. man. alia *Synedris*, c. 260. Sel*y*n*i*s, a. Selin*i*s, b. d. Sa*l*in*i*s, et in marg. man. alia Sel*irus*, c.

Digitized by Google

In procerum coetu tandem moesta ora resolvit
Vocibus his Magnus: Comites bellique fugaeque,
Atque instar patriae, quamvis in littore nudo,
In Cilicum terra, nullis circumdatus armis
265 Constitem, rebusque novis exordia quaeram,
Ingentes praestate animos: non omnis in arvis
Emathiis cecidi, nec sic mea fata premuntur,
Ut nequeam relevare caput, cladesque redeptas
Excutere. an Libycae Marium potuere ruinae
270 Erigere in fasces, plenis et reddere fastis:
Me pulsum leviore manu Fortuna tenebit?
Mille meae Grajo volvuntur in aequore puppes,
Mille duces: sparsit potius Pharsalia nostras,
Quam subvertit opes. sed me vel sola tueri
275 Fama potest rerum, toto quas gessimus orbe,
Et nomen, quod mundus amat: vos pendite regna
Viribus atque fide, Libyen, Parthosque, Pharonque,
Quaenam Romanis deceat succurrere rebus.
Ast ego curarum, proceres, arcana mearum
280 Expromam, mentisque meae quo pondera vergant.

261. coet*um* et *vel coetu*, a. 265. Consul*ite*, c. *meis*, c. b. d. et a, addito *vel novis*. 266. Ingent*is*, d. ar*mis*, d. et a, pro var. lect. 269. Lib*ice*, *ce* in membr. eras. d. *ca*rinae et in marg. man. al. *ruinae*, c. ruinae, sed *ru* in membr. erasa, b. 270. et plenis, a. b. c. d. fastis, supra scripto *fatis* man. alia. c. 274. *juvare*, a. b. c. d. *vel tueri*, a. 275. toto rer. a. 277. Liby*am*, a. b. c. d. Parth*um*que, Phar*um*que, b. d. 278. Qu*em non*, et in marg. man. alia *Quaenam*, c. 279. *vobis* arc. a. b. d. *vel proceres*, a. 280. Exp*on*am, a. b. c, supra scripto *vel Expromam*, man. alia.

280. — *mentisque — pondera vergant.*] Laudat hunc locum

Aetas Niliaci nobis suspecta tyranni est:
Ardua quippe fides robustos exigit annos.
Hinc anceps dubii terret solertia Mauri:
Natque, memor generis, Carthaginis impia proles
285 Imminet Hesperiae, multusque in pectore vano est
Annibal, obliquo maculat qui sanguine regnum,
Et Numidas contingit avos: jam supplice Varo
Intumuit, viditque loco Romana secundo.
Quare agite, Eoum, comites, properemus in orbem.
290 Dividit Euphrates ingenti gurgite mundum,
Caspiaque immensos seducunt claustra recessus,
Et polus Assyrias alter noctesque diesque
Vertit, et abruptum est nostro mare discolor unda,
Oceanusque suus: regnandi sola voluptas.
295 Celsior in campis sonipes, et fortior arcus;

281. *vobis*, c. 283. *sollertia*, b. d. 285. *multus in, que* abest, et *m* ex *v* man. alia correcta, c. 286. *Hannibal*, b. c. d. 287. *contigit*, d. 288. *viditque*, *i* ex *a* correct. c. 290. *ingentem*, a. b. c. d. 291. *Capsiaque*, ut jam supra, c. *castra*, a. 292. *Assirios*, c. 293. *est*, abest a. 294. *voluntas*, c. *voluptas*, a.

cum alio Manil. II, 955. Bentl. in l. c. I, 769, ut phrasin *mentis pondera* comprobet.

WEB.

287. *Et Numidas contingit avos:*] *Contingit* hic valet contagione polluit. GROTIUS. Cave: hoc viro magno credas. nihil vulgatius hoc verbo in cognatione et affinitate, *contingere*, sine ulla contagionis nota.

290. *Dividit Euphrates ingenti gurgite mundum.*] Omnes fere codices cum Romana et Veneta *ingentem*. Recte. *Ingens orbis*. Ovid. Trist. V, 8, [25.]

Vel quia nil ingens, *ad finem solis ab ortu,*
Illo cui paret mitius orbis *habet*.

295. *Celsior in campis sonipes, et fortior arcus:*] Codex Coll. Trinitatis, *campo*. Lege, *Celsior* IT campo *sonipes et fortior* ARTUS.

Digitized by Google

Nec puer aut senior letales tendere nervos
Segnis, et a nulla mors est incerta sagitta.
Primi Pellaeas arcu fregere sarissas,
Bactraque Medorum sedem, murisque superbam
300 Assyrias Babylona domos. nec pila timentur
Nostra nimis Parthis, audentque in bella venire,
Experti Scythicas, Crasso pereunte, pharetras.
Spicula nec solo spargunt fidentia ferro;
Stridula sed multo saturantur tela veneno.
305 Vulnera parva nocent, fatumque in sanguine summo est.
O utinam non tanta mihi fiducia saevis
Esset in Arsacidis! fatis nimis aemula nostris
Fata movent Medos, multumque in gente Deorum est.
Effundam populos alia tellure revulsos,

297. *a*, abest d. 298. sarisas, b. c. d. 304. saturantur, *r* man. alia addita, c. 306. saevis et in marg. man. alia *ferri*, c.

Celsior et fortior artus. Val. Flaccus II, 546,

— qualis per pascua victor
Ingreditur, cum colla tumens, tum celsior artus
Taurus.

305. *Vulnera parva nocent.*] *Nocent.* Ovid. Heroid. XVI, 352,

Et mihi sunt vires, et mea tela nocent.

Sed quid mirum, si *nocent?* Corrige *necant*; et tum apte subjungitur,

Fatumque in sanguine summo est.

Ovid. Fast. II, 802,

At in dextra qui necet ensis adest.

Parva, non *prima*. Livius XXXVIII, 21, *Cum aculeus sagittae aut glandis abditae introrsus tenui vulnere in speciem* urit.

306. *— fiducia saevis Esset in Arsacidis!*] Non placet hic loci *saevis*. Bersmanni codex *laevis*, alter *ferri*. Quid si,

O utinam non tanta mihi fiducia RERUM
Esset in Arsacidis!

Infra 504,

Postquam nulla manet rerum fiducia, *quaerit,*
Cum qua gente cadat.

Digitized by Google

Exoitosque suis immittam sedibus ortus.
Quod si nos Eoa fides et Barbara fallunt
Foedera; vulgati supra commercia mundi
Naufragium Fortuna ferat. non regna precabor,
Quae feci; sed magna feram solatia mortis
Orbe jacens alio, nil haec in membra cruente,
Nil socerum fecisse pie. sed cuncta revolvens
Vitae fata meae, semper venerabilis illa
Orbis parte fui: quantus Maeotida supra!
Quantus apud Tanaim toto conspectus in ortu!
Quas magis in terras nostrum felicibus actis
Nomen abit, aut unde redit majore triumpho?
Roma, fave coeptis: quid enim tibi laetius unquam
Praestiterint Superi, quam, si civilia Partho
Milite bella geras, tantam consumere gentem,
Et nostris miscere malis? cum Caesaris arma
Concurrent Medis, aut me Fortuna necesse est
Vindicet, aut Crassum. sic fatus, murmure sentit
Consilium damnasse viros: quos Lentulus omnes
Virtutis stimulis, et nobilitate dolendi
Praecessit, dignasque tulit modo Consule voces:
Siccine Thessalicae mentem fregere ruinae?
Una dies mundi damnavit fata? secundum
Emathiam lis tanta datur? jacet omne cruenti
Vulneris auxilium? solos tibi, Magne, reliquit
Parthorum Fortuna pedes? quid transfuga mundi

314. magna, *g* man. sec. in membr. eras. b. 315. ni*hil*, a. d. 318. quantus, *nt* man. alia in membr. erasa, b. Me*o*cida, c. 319. Tanai*n*, a. d. or*be*, a. 324. tanta*s*-gente*s*, c. gera*m*, d. 326. *est*, abest d. 327. Crass*os*, a. b. sensit, b. c. d. 328. *t*uos, a. 331. Thessalic*e*, *c* correcta, d.

Digitized by Google

Terrarum totos tractus, coelumque perosus,
Adversosque polos, alienaque sidera quaeris,
Chaldaeos culture focos et barbara sacra,
Parthorum famulus? quid causa obtenditur armis.
340 Libertatis amor? miserum quid decipis orbem,
Si servire potes? te, quem Romana regentem
Horruit auditum, quem captos ducere reges
Vidit ab Hyrcanis, Indoque a littore, silvis,
Dejectum fatis, humilem fractumque videbit,
345 Extolletque animos Latium vesanus in orbem,
Se simul et Romam Pompejo supplice mensus?
Nil animis fatisque tuis effabere dignum:
Exiget ignorans Latia commercia linguae,
Ut lacrymis se, Magne, roges. patimurne pudoris
350 Hoc vulnus, clades ut Parthia vindicet ante
Hesperias, quam Roma suas? civilibus armis
Elegit te nempe ducem. quid vulnera nostra
In Scythicos spargis populos, cladesque latentes?
Quid Parthos transire doces? solatia tanti
355 Perdit Roma mali, nullos admittere reges,
Sed civi servire suo. juvat ire per orbem
Ducentem saevas Romana in moenia gentes,
Signaque ab Euphrate cum Crassis capta sequentem?
Qui solus regum, fato celante favorem,
360 Defuit Emathiae, nunc tantas ille lacesset
Auditi victoris opes, aut jungere fata

336. tractus*que*, c. 337. Aversosque, a. b. 338. *de*os, d. 339. caus*a*, suprascripto *e* man. alia, c. 342. audit*u*, a. b. c. d. 343. *ab* lit. a. b. *archa*nis, c. 355. perd*et*, c. nullos*que*, c. 356. servi*sse*, a. 360. n*u*, *u* man. al. in membr. erasa, b. lacess*it*, d. 361. Audit*i*, *i* correcta, antea *u*, c.

Digitized by Google

Tecum, Magne, volet? non haec fiducia genti est.
Omnis in Arctois populus quicunque pruinis
Nascitur, indomitus bellis, et martis amator.
565 Quicquid ad Eoos tractus mundique teporem
Ibitur, emollit gentes clementia coeli.
Illic et laxas vestes, et fluxa virorum
Velamenta vides. Parthus per Medica rura,
Sarmaticos inter campos, effusaque plano
570 Tigridis arva solo, nulli superabilis hosti est,
Libertate fugae: sed non, ubi terra tumebit,
Aspera conscendet montis juga; nec per opacas
Bella geret tenebras incerto debilis arcu,
Nec franget nando violenti verticis amnem,
575 Nec tota in pugna, perfusus sanguine membra,
Exiget aestivum calido sub pulvere solem.
Non aries illis, non ulla est machina belli:
Haud fossas implere valent: Parthoque sequente
Murus erit, quodcunque potest obstare sagittae.
580 Pugna levis, bellumque fugax, turmaeque vagantes,
Et melior cessisse loco, quam pellere, miles.

363. pruinis, *p* serius addita, b. 364. mortis, a. b. c. d. 366. Labitur, et in marg. man. alia *Ibitur*, c. 368. Parchus, ut fere semper, c. 371. *u* terr. *u* ex *n* correcta, c. 374. *gurgitis*, a. b. verticis, c. d. violentis, d. 372. juga mont. c. 373. geret, lineola supra *e* erasa, c. artu, c. quod in d. quoque fuisse videtur. 376. Exigit, c. 378. *Aut* foss. d. sequenti, c. 380. *fugax*, in membr. erasa, c. 381. *fecisse*, et in marg. man. alia *cessisse*, c.

375. *Nec tota in pugna, perfusus sanguine membra, Exiget aestivum calido sub pulvere solem.*] Seneca Epist. p. 320, de athletis, *Solem ardentissimum in ferventissimo pulvere sustinens aliquis, et sanguine suo madens, diem ducit.*

Digitized by Google

Illita tela dolis, nec martem comminus unquam
Ausa pati virtus, sed longe tendere nervos,
Et, quo ferre velint, permittere vulnera ventis.
Ensis habet vires, et gens quaecunque virorum est,
Bella gerit gladiis. nam Medos proelia prima
Exarmant, vacuaeque jubent remeare pharetrae.
Nulla manus illis, fiducia tota veneni est.
Credis, Magne, viros, quos in discrimina belli
Cum ferro venisse parum est? tentare pudendum
Auxilium tanti est, toto divisus ut orbe
A terra moriare tua? tibi barbara tellus
Incumbat? te parva tegant ac vilia busta,
Invidiosa tamen, Crasso quaerente sepulcrum.
Sed tua sors levior, quoniam mors ultima poena est,
Nec metuenda viris. at non Cornelia letum
Infando sub rege timet. num barbara nobis
Est ignota Venus, quae ritu caeca ferarum
Polluit innumeris leges et foedera tedae
Conjugibus, thalamique patent secreta nefandi

382. usquam, a. b. d. 384. *Ut* quo, c. *valent*; supra scripto man. alia *veli*, c. 387. vacu*a*que — pharetr*a*, a. b. c. d. In c. alia manus *e* supra *a* scripsit. rem*a*nere, d. 390. *mi*sisse, a. b. c. d. pa*v*endum et *vel pudendum*, a. pudendum, sed *ud* in membr. erasa, d. 393. *et* vilia, c. 395. *mel*ior, a. b. c. d. *vel levior*, a. *est* non legitur in a. 397. *v*obis, b. d. no*n* barb. c.

397. — *num barbara nobis Est ignota Venus.*] Alii codices NON *barbara*. Recte. Hoc flagitat, quod sequitur,

— *thalamique patent secreta nefandi.*

Non ignota est, thalamique (hoc est, solemni Lucani sermone, sed *thalami*) *secreta patent.* Si quid *num* quovis pacto hic retineat, tum legendum erit,

— *thalamique* LATENT *secreta nefandi?*

399. *Polluit innumeris* - - - *Conjugibus.*] Mallem, si faveret codex, *Conjugiis.*

Digitized by Google

Inter mille nurus? epulis vesana meroque
Regia, non ullos exceptos legibus horret
Concubitus: tot femineis complexibus unum
Non lassat nox tota marem. jacuere sorores
405 In regum thalamis, sacrataque pignora matres.
Damnat apud gentes sceleris, non sponte peracti,
Oedipodionias infelix fabula Thebas:
Parthorum dominus quoties sic sanguine misto
Nascitur Arsacides? cui fas implere parentem,
410 Quid rear esse nefas? proles tam clara Metelli
Stabit barbarico conjux millesima lecto.
Quanquam non ulli plus regia, Magne, vacabit
Saevitia stimulata Venus, titulisque virorum.
Nam quo plura juvent Parthum portenta, fuisse
415 Hanc sciet et Crassi: ceu pridem debita fatis
Assyriis, trahitur cladis captiva vetustae.
Haereat Eoae vulnus miserabile sortis;
Non solum auxilium funesto a rege petisse,
Sed gessisse prius bellum civile pudebit.
420 Nam quod apud populos crimen socerique tuumque

402. ull*is*, b. c. d. exceptos, *o* in membr. erasa, d. 405. reg*ū*, *u* ex *n* correcta, et in marg. man. alia *fratrum*, c. secretaque, b. matr*is*, b. d. 407. *E*dipodion*idas*, d, et *d* man. sec. correcta, c, 409. fas *est*, d. 410. Quod, *o* man. al. correcta, d. *jam*, a. 414. *J*am et *vel Nam*, a. quo, supra scripto *ut* man. alia, c. 418. funest*um*, supra scripta *o*, c. a*b*, a. b.

420. *Nam quod apud populos*] *Nam quod* et *quam quod*, non admodum venuste. Repone ex Bersmanni codice, deleta interrogationis nota,

Nam NEQUE *apud populos crimen socerique tuumque*
Majus erit, *quam quod*, etc.

Digitized by Google

Majus erit, quam quod, vobis miscentibus arma,
Crassorum vindicta perit? incurrere cuncti
Debuerant in Bactra duces, et ne qua vacarent
Arma, vel Arctoum Dacis Rhenique catervis
425 Imperii nudare latus, dum perfida Susa,
In tumulos prolapsa ducum, Babylonque jacerent.
Assyriae paci finem, Fortuna, precamur:
Et, si Thessalia bellum civile peractum est,
Ad Parthos, qui vicit, eat. gens unica mundi est,
430 De qua Caesareis possim gaudere triumphis.
Non tibi, quamprimum gelidum transibis Araxem,
Umbra senis moesti, Scythicis confixa sagittis,
Ingeret has voces? Tu, quem post funera nostra,
Ultorem cinerum nudae speravimus umbrae,
435 Ad foedus pacemque venis? Tum plurima cladis
Occurrent monimenta tibi: quae moenia trunci
Lustrarunt cervice duces, ubi nomina tanta
Obruit Euphrates, et nostra cadavera Tigris
Detulit in terras, ac reddidit, ire per ista.
440 Si potes, in media socerum quoque, Magne, sedentem
Thessalia placare potes. quin respicis orbem

422. concurrere, c. et a, correctum ex *in*. 424. Arva, a, et pro var. lect. b. *Arma* pro var. lect. a. 426. jaceret, d. et b, man. alia addidit *n*. 429. vincat, a. d. vincit, b. c. 430. Caesarei possunt — triumphi, c. 431. cum prim. a. b. c. d. 436. qui, a. 439. istas, a. d.

427. *Assyriae paci*] Sidonius Carm. II, [v. 75.],

— *huic quondam reparatio credita pacis*

Assyriae.

428. — *Thessalia*] Omnes nostri codices, *Thessalia.*

Digitized by Google

Romanum? si regna times projecta sub Austro,
Infidumque Jubam, petimus Pharon arvaque Lagi.
Syrtibus hinc Libycis tuta est Aegyptus: at inde
445 Gurgite septeno rapidus mare summovet amnis:
Terra suis contenta bonis, non indiga mercis
Aut Jovis, in solo tanta est fiducia Nilo.
Sceptra puer Ptolemaeus habet tibi debita, Magne,
Tutelae commissa tuae. quis nominis umbram
450 Horreat? innocua est aetas: ne jura fidemque,
Respectumque Deum veteris speraveris aulae.
Nil pudet assuetos sceptris: mitissima sors est
Regnorum sub rege novo. Non plura locutus
Impulit huc animos. quantum spes ultima rerum
455 Libertatis habet! victa est sententia Magni.
Tunc Cilicum liquere solum, Cyproque citatas
Immisere rates, nullas cui praetulit aras

443. ar*m*aque, b. 445. rapidu*m*, b. 446. conte*m*pta, c. 447. A*uc*, *u* man. alia addita, c. *est* inter lineas sine signo scriptum, b. 448. Ptolo*m*eus, b. *Th*olomeus, c. Pt*h*olomaeus, d, ut semper. de*d*ita et *vel debita*, a. b. 449. qu*i*, a. et b, prima manu. 450. nec jura, a. b. c. d. 452. pude*a*t suetos, puncta sub *a* man. sec. d. 454. *sors*, a. c. d. et b, deleto v. *spes*, quod in a. pro var. lect. rerum, deleto v. *terrae*, b. 456. Ci*p*roque, ut semper, c. d. Tu*m*, d. 457. Im*m*ersere, supra scripto a man. alia *immisere*, b. prae*b*uit, supra posito *tulit*, a.

442. — *si regna times projecta sub Austro,*] Alii codices *protenta*. Repone PORRECTA. Horat. Carm. IV, 15, [13.]

— *et imperi*
Porrecta *majestas ad ortum*
Solis ab Hesperio cubili.

Vel

— *et imperi*
Porrecta majestas ab Euro
Solis ad occiduum cubile.

Silius I, 130,

Hesperio tellus porrecta
sub axe.

454. — *quantum spes ultima*

Digitized by Google

Undae diva memor Paphiae, si numina nasci
Credimus, aut quenquam fas est coepisse Deorum.
460 Haec ubi deseruit Pompejus littora, totos
Emensus Cypri scopulos, quibus exit in Austrum,
Inde maris vasti transfuso vertitur aestu:
Nec tenuit Casium nocturno lumine montem,
Infimaque Aegypti pugnaci littora velo

460. Hic ubi, c. 462. transverso, b. c. d. 463. *gratum*, b. c. d. et pro var. lect. a.

rerum Libertatis habet!] Quid est *spes ultima rerum?* Codex Bersmanni SORS, et alter Pulmanni HABES. Repone,

— *quantum*, sors *ultima rerum*,
Libertatis habes!

Ubi *sors ultima* est, ubi nihil pejus timendum restat, libere et contumaciter agunt et loquuntur Ovid. Met. XIV, 488.

— *nam dum pejora timentur*,
Est in vota locus: sors autem ubi pessima rerum,
Sub pedibus timor est, securaque summa malorum.

458. *Undae diva memor Paphiae,]* Lege *patriae*. Tacitus Hist. II, 3, *Fama recentior tradit, a Cinyra sacratum templum, Deamque ipsam* (Paphiam Venerem) *huc appulsam.*

463. *Nec tenuit Casium nocturno lumine montem,]* Nullus hic locus Casio monti, qui post aliquanto memoratur. MSS. habent,

Nec tenuit gratum nocturno lumine montem.

Chimaeram intelligit, montem noctibus flagrantem, ut loquitur Plinius [V, 285.]. GROTIUS. Aliud agebat vir magnus, cum *Chimaeram* montem hic intelligeret. *Chimaera in Lycia est, mons noctibus flagrans* Plin. V, 285, et in ea quidem Lyciae parte, quae Phaselis dicitur. Idem II, 110, *Flagrat in Phaselide mons Chimaera, et quidem immortali diebus ac noctibus flamma.* Quo igitur modo *gratum lumen*; qui magis quam Vesuvii vel Aetnae? et quomodo *nocturnum*, qui et dies et noctes flagrat? Sed his remotis, situs ipse loci omnino repugnat. Pompejus a Cypro recta tendebat ad Alexandriam Aegypti; ut 443, *Petimus Pharon arvaque Lagi.* Quid rei tum erat cum monte Lyciae? Tu repone,

Nec tenuit GRATAM *nocturno lumine* MOLEM.

Turrim Pharon intelligit, quam cursu petebat; sed *non tenuit*, quia vento adverso utebatur. Ea vero *grata nocturno lumine*, quia *e turri nocturnis ignibus cursum navium regit*, ut Plin. V, 34. *Moles* autem et *montes* passim confundunt librarii. *Gratum* tres quoque e nostris habent, non *Casium*. Noster IX, 1004,

Septima nox, *Zephyro nunquam laxante rudentes*,

Digitized by Google

465 Vix tetigit, qua dividui pars maxima Nili
In vada decurrit Pelusia septimus amnis.
Tempus erat, quo Libra pares examinat horas,
Non uno plus aequa die, noctique rependit
Lux minor hybernae verni solatia damni.
470 Comperit ut regem Casio se monte tenere,
Flectit iter: nec Phoebus adhuc, nec carbasa languent.
Jam rapido speculator eques per littora cursu
Hospitis adventu pavidam compleverat aulam.
Consilii vix tempus erat: tamen omnia monstra
475 Pellaeae coiere domus: quos inter Achoreus
Jam placidus senio, fractisque modestior annis,
(Hunc genuit custos Nili crescentis in arva
Memphis vana sacris: illo cultore Deorum
Lustra suae Phoebes non unus vixerat Apis;)
480 Consilii vox prima fuit, meritumque fidemque,
Sacraque defuncti jactavit pignora patris.
Sed melior suadere malis, et nosse tyrannos,
Ausus Pompejum leto damnare Pothinus:
Jus et fas multos faciunt, Ptolemaee, nocentes.
485 Dat poenas laudata fides, cum sustinet, inquit,
Quos Fortuna premit. fatis accede Deisque,

465. tetigit, *ti* serius additis, b. 467. exa*nim*at, c. quo, *o* man. al. in membr. eras. d. 475. *manus*, et in marg. man. alia . . *domus*, c. 483. *Photinus*, ut semper, c. Vv. 483 et 484. in margine inferiori scripti leguntur, a.

Ostendit Phariis *Aegyptia littora flammis:*
Sed prius orta dies nocturnam lampada texit,
Quam tutas intraret aquas.

Rutil. Itin. 1, 403,
Non illic positas extollit in aethera moles,
Lumine nocturno conspicienda Pharos.

Digitized by Google

Et cole felices, miseros fuge. sidera terra
Ut distant, et flamma mari, sic utile recto.
Sceptrorum vis tota perit, si pendere justa
490 Incipit: evertitque arces respectus honesti.
Libertas scelerum est, quae regna invisa tuetur,
Sublatusque modus gladiis. facere omnia saeve
Non impune licet, nisi dum facis. exeat aula,
Qui volet esse pius. virtus et summa potestas
495 Non coeunt: semper metuet, quem saeva pudebunt.
Non impune tuos Magnus contemserit annos;
Qui te nec victos arcere a littore nostro
Posse putat. neu te sceptris privaverit hospes,
Pignora sunt propiora tibi: Nilonque Pharonque,
500 Si regnare piget, damnatae redde sorori.
Aegyptum certe Latiis tueamur ab armis.

487. terr*ae*, b. d. 491. tue*n*tur, ita, a. 492. glad*ii*, a. 493. cum, a. b. c. d. 494. v*ult*, b. c. d. 495. m*in*uet, supra scripto *et*, a. 499. Nil*um*que, b. c. d. Phar*um*que, b. 501. *E*gyptum, ita semper, b.

489. — *si pendere justa Incipit:]* Codex regius *Incipis*, quod placet, ut mox, *nisi cum facis*.

492. — *facere omnia saeve Non impune licet, nisi dum facis.]* Eodem recidit, quod omnes codices habent CUM. Lege,

— *facere omnia* QUAE VIS
Non, impune licet, nisi CUM
facis.

Sed et ulterius progrediendum puto, et reponendum,

— *facere omnia* QUAE VIS
Non, PTOLEMAEE, *licet, nisi*
CUM *facis*.

494. *Qui volet esse plus.]* Omnes nostri *vult*, et Priscianus pag. 1171.

495. — *semper metuet, quem saeva pudebunt.]* Lucani saeculo non sic loquebantur. *Pudet* tum impersonale erat. Neque remota sermonis sententia convenit; puto Lucanum scripsisse,

semper metuet, quem jura
movebunt.

498. — *neu te sceptris privaverit hospes,]* Alii codices *neu nos*. Oratorie: sic versu praecedente, *litore nostro*. Quid

Quicquid non fuerit Magni, dum bella geruntur,
Nec victoris erit. toto jam pulsus ab orbe,
Postquam nulla manet rerum fiducia, quaerit
505 Cum qua gente cadat: rapitur civilibus umbris.
Nec soceri tantum arma fugit: fugit ora Senatus,
Cujus Thessalicas saturat pars magna volucres:
Et metuit gentes, quas uno in sanguine mistas
Deseruit: regesque timet, quorum omnia mersit:
510 Thessaliaeque reus, nulla tellure receptus,
Sollicitat nostrum, quem nondum perdidit, orbem.
Justior in Magnum nobis, Ptolemaee, querelae
Causa data est. quid sepositam, semperque quietam
Crimine bellorum maculas Pharon, arvaque nostra
515 Victori suspecta facis? cur sola cadenti
Haec placuit tellus, in quam Pharsalica fata
Conferres, poenasque tuas? jam crimen habemus
Purgandum gladio, quod nobis sceptra Senatus
Te suadente dedit, votis tua fovimus arma.
520 Hoc ferrum, quod fata jubent proferre, paravi
Non tibi, sed victo. feriam tua viscera, Magne:
Malueram soceri: rapimur, quo cuncta feruntur.
Tene mihi dubitas an sit violare necesse,
Cum liceat? quae te nostri fiducia regni

505. *armis*, a. b. c. 506. fug', et in marg. man. al. ..*fugit*, c. *quantum* ora, d. 509. om*ina*, d. omnia, supra scripto *agmina* man. alia, c. 515. facis, c correcta, d. 516. qu*a*, a. 517. Conferres, *r* in membr. erasa, b. 519. *Te suadente* in membr. erasa, d. 522. cuncta et *vel fata*, b.

quod *nos* hic populos notat. Non nos regibus privet; et reguum vetus in provinciam Romanam vertat.

523. *Tene mihi dubitas an sit violare necesse, Cum liceat?]* Ostendo necesse esse, quia licet, quia possum. Neque enim pos-

Digitized by Google

525 Huc agit, infelix? populum non cernis inermem,
Arvaque vix refugo fodientem mollia Nilo?
Metiri sua regna decet, viresque fateri.
Tu, Ptolemaeo, potes Magni fulcire ruinam,
Sub qua Roma jacet? bustum cineresque movere
530 Thessalicos audes, bellumque in regna vocare?
Ante aciem Emathiam nullis accessimus armis:
Pompeji nunc castra placent, quae deserit orbis?
Nunc victoris opes, et cognita fata lacessis?
Adversis non deesse decet, sed laeta secutos.

529. quo, d. 530. Thessalicas, c. 532. quem, B. 534. Adversis, is correctis, c.

sem te laedere, si Romanarum rerum potireris. nunc, quia non potioris, ob hoc ipsum necesse quoque est id faciam, ne videar tui tutelam suscipere. Simplicior tamen sensus esset vocibus transpositis:

Tene mihi dubitas, cum sit violare necesse,
An liceat?

Seneca pater: *Necessitas, magnum humanae imbecillitatis patrocinium, quicquid cogit, defendit.* Grotius. Esto *sensus simplicior:* at argutior multo est, quam receptus ordo reddit. Necesse est, quia possum. Id crimini dabitur, potuisse et non fecisse. Hoc victor a nobis requirit; quocum certare non possumus. Ceterum pro *violare* codex Cajanus egregie, *jugulare.* Illud alterum nimis hic reverenter; et id, quod facturus est, nefas et scelus esse verbo ipso confitetur. x, 387,

— jugulus *mihi Caesaris haustus*
Hoc praestare potest.

et 394,

— *ite feroces*
Caesaris in jugulum.

527. *Metiri sua regna decet, viresque fateri.]* Supra 524. habuimus, *fiducia regni;* et mox iterum redit 530, *Bellumque in regna vocare.* Sat veniae est, si bis intra versus tam paucos admittatur; at ut ter, concedi non potest. Quid quod oratio manca est, et verbum deficit. Quem enim decet metiri? si *regna* hic voluisset poeta, omnino dixisset,

Metiri TUA *regna decet, viresque fateri.*

Sed sine dubio corrigendum,

Metiri sua QUEMQUE *decet, viresque fateri.*

Horat. Epist. 1, 7, [98.]

Metiri se quemque *suo modulo ac pede, verum est.*

Corippus Africanus III, [372.]

Quisque suas mensuret opes viresque suorum,
Cum queis bella gerat.

Seneca de Benefic. II, 15, *Respi-*

535 Nulla fides unquam miseros elegit amicos.
Assensere omnes sceleri. laetatur honore
Rex puer insueto, quod jam sibi tanta jubere
Permittunt famuli. sceleri delectus Achillas.
Perfida qua tellus Casiis excurrit arenis,
540 Et vada testantur junctas Aegyptia Syrtes,
Exiguam sociis monstri gladiisque carinam
Instruit. o superi, Nilusne, et barbara Memphis,
Et Pelusiaci tam mollis turba Canopi
Hos animos? sic fata premunt civilia mundum?
545 Sic Romana jacent? ullusne in cladibus istis

537. ins*olito* et in marg. man. alia *insueto*, c. jubere et *vel licere*, a. b. jubere, supra scripto *libere* man. al. et in marg. **licere* man. alia, c. 538. Permitt*ant*, a. b. ex*ultat*, a. b. d. *excurrit* et in marg. man. alia *exultat*, c. 540. cunctas, d. Sirtes, *e* ex *o* correcta, c. 541. monstr*a*, *a* ex *o* man. alia correcta, et in marg. ***vel monstri*, c. clad*isque*, c. 545. *n*ullusne, et *in* man. alia additum, c. *u*llus*que*, et ante *u* aliquid deletum, b.

eiendae sunt cuique facultates suae viresque.

539. *Perfida qua tellus Casiis excurrit arenis,]* Recte et *excurrit* et *arenis*. Strabo p. 1182, ἐχὶ δὲ Κάσιον θεινώδης τις λόφος ἀκρωτηριάζων, id est, arenosus collis excurrens.

544. — *sic fata premunt civilia mundum?]* Ubique sane Noster *fata* nobis ingerit, utpote Stoicus; et infra 823,

Noxia civili *tellus Aegyptia* fato.

Iterum versu abhinc tertio inculcat, *civilia bella*. *Pharsalia fata*, vel *Pharsalica* sententiae satis convenirent, sed et nimis recedunt a librariorum lectione, et supra 516 haec occupata sunt,

Haec placuit tellus, in quam Pharsalica fata
Conferres?

Fortasse sic dedit auctor:

sic fata premunt crudelia *mundum?*

Virgil. Georg. IV, 495,

— *iterum* crudelia *retro*
Fata *vocant*.

Aen. I, 225,

— crudelia *secum*
Fata *Lyci*.

sic infra *vs.* 644, *Facinus civile*. codex Pulmanni *crudele*.

Digitized by Google

Est locus Aegypto? Pharimque admittitur ensis?
Hanc certe servate fidem, civilia bella,
Cognatas praestate manus, externaque monstra
Pellite, si meruit tam claro nomine Magnus
550 Caesaris esse nefas. tanti, Ptolemaee, ruinam
Nominis haud metuis? caeloque tonante profanas
Inseruisse manus, impure ac semivir, audes?
Non domitor mundi, nec ter Capitolia curru
Invectus, regumque potens, vindexque Senatus,
555 Victorisque gener, Phario satis esse tyranno
Quod poterat, Romanus erat. quid viscera nostra
Scrutaris gladio? nescis, puer improbe, nescis,
Quo tua sit fortuna loco: jam jure sine ullo
Nili sceptra tenes! cecidit civilibus armis,
560 Qui tibi regna dedit. Jam vento vela negarat
Magnus, et auxilio remorum infanda petebat.

548—552. *Cognatas — audes*, in membr. erasa d. scripti leguntur. 550. tanto, correcta *o* in *i*, c. 551. haut, *h* man. alia addita, c. 552. aut sem. a. 558. tua, *a* man. alia addita, c. *nam*, a.

547. *Hanc certe servate fidem,*] Alii codices, sed pauciores, *saltem.*

550. —*tanti, Ptolemaee, ruinam Nominis haud metuis?*] Quis hic ferat *tanti nominis*, cum altero abhinc versu legerit, *tam claro nomine?* Corrige,

— *tanti, Ptolemaee, ruinam*
NOMINIS *haud metuis?*

et hoc pacto apta et apposita sunt, quae sequuntur,

— caeloque *tonante profanas*
Inseruisse manus, impure et semivir, audes?

Quae, nisi *numine* legas, abrupta et intonnexa veniunt.

554. — *regumque potens, vindexque Senatus.*] Codices omnes *regum.* Vel corrige cum acutissimo Nic. Heinsio ad Claudianum, [II. Stilic. 136.] *legumque potens:* vel mecum, quod fortasse praestat, *rerumque potens.* Lucretius II, 49,

Audacterque inter reges, rerumque potentes
Versatur.

Digitized by Google

Littora: quem contra non longa vecta biremi
Appulerat scelerata manus: Magnoque patere
Fingens regna Phari, celsae de puppe carinae
565 In parvam jubet ire ratem, littusque malignum
Incusat, bimaremque vadis frangentibus aestum;
Qui vetet externas terris advertere classes.
Quod nisi fatorum leges, intentaque jussu
Ordinis aeterni miserae vicinia mortis,
570 Damnatum leto, traherent ad littora Magnum;
Non ulli comitum sceleris praesagia deerant.
Quippe fides si pura foret, si regia Magno,
Sceptrorum auctori, vera pietate pateret;
Venturum tota Pharium cum classe tyrannum.
575 Sed cedit fatis, classemque relinquere jussus
Obsequitur, letumque juvat praeferre timori.
Ibat in hostilem praeceps Cornelia puppim,
Hoc magis impatiens egresso deesse marito,
Quod metuit clades. remane, temeraria conjux,

562. longe, d. 564. celsa, a. b. c. d. Phari, *i* correcta, d. 565. litusque, *l* ex *r* correcta, c. 567. vetat, a. c. *appel*lere, a. b. c. d. supra scripto *accedere* in c. 570. *moenia*, supra scripto *litora*, c. magnum, *g* man. alia in membr. eras. b. 575. *socios*que, a. et pro var. lect. b. *classemque* pro var. lect. b. 577. puppem, b. d.

III, 1041,

Inde alii multi reges, rerumque potentes
Occiderant.

Ovid. Fast. 1, 88,

A populo rerum *digna* potente *coli.*

Certe majus quid est, *rerum potens*, quam *legum potens.*

562. — *quem contra non longa vecta biremi Appulerat scelerata manus:*] *Non longa* proprie dictum, quia quaedam sunt *naves longae*, νῆες μακραὶ, passim apud Graecos Latinosque. Sed quid obsecro est *Appulerat*? *Appellere* non dicitur nisi ad litus: atqui ipse Pompejus remis petebat litus, hi obviam ei *a litore* veniebant. Quid porro est, con-

Digitized by Google

580 Et tu, nate, precor, longeque e litore casus
Expectate meos: et in hac cervice tyranni
Explorate fidem, dixit; sed surda vetanti
Tendebat geminas amens Cornelia palmas:
Quo sine me crudelis abis? iterumne relinquor
585 Thessalicis summota malis? nunquam omine laeto
Distrahimur miseri, poteras non flectere puppim,
Cum fugeres alio, latebrisque relinquere Lesbi,
Omnibus a terris si nos arcere parabas?
An tantum in fluctus placeo comes? Haec ubi frustra
590 Effudit, prima pendet tamen anxia puppe
Attonitoque metu nec quoquam avertere visus,
Nec Magnum spectare potest. stetit anxia classis
Ad ducis eventum, metuens non arma nefasque,
Sed ne submissis precibus Pompejus adoret
595 Sceptra sua donata manu transire parantem

582. Explorare, c. *dura*, b. c. d. *vel surda*, b. et c, man. alia. 586. *non*, supra scripto man. alia *ne*, et in marg. *nun*, supra posito *nonne* man. alia, c. puppem, b. c. d. latebr*a*sque, a. et c, correcta *i* in *a*. 588. *e* terr. b. c. d. in c supra scripta *a*. 590. Effu*n*dit, c. 593. *e*ventum, *e* man. alia in b. in membr. erasa, d. 595. donat*a*, *a* ex *o* man. alia correcta, d.

tra Pompejum appellere? Cur denique *Appulerat* tempore praeterito, cum haec summa festinatione tunc cum maximo agerentur? Corrige,

— *quem contra non longa vecta biremi*
APPROPERAT *scelerata manus.*

Festinat obviam ei occurrere, praesenti tempore, ut mox *jubet*, *incusat*.

589. — *haec ubi frustra Effudit,*] Placet, quod ferunt alii codices, *Effundit*.

591. *Attonitoque metu nec quoquam avertere visus,*] Alii libri *Attonitos visus*. Recte. Ovid. Met. III, 4,

— *et* attonitos *subitus tremor occupat* artus.

Heroid. V, [37.]

Attoniti *micuere* sinus.

Romanus Pharia miles de puppe salutat
Septimius: qui, pro Superum pudor! arma satellis
Regia gestabat posito deformia pilo,
Immanis, violentus, atrox, nullaque ferarum
600 Mitior in caedes. quis non, Fortuna, putasset
Parcere te populis, quod bello haec dextra vacasset,
Thessaliaque procul tam noxia tela fugasses?
Disponis gladios, ne quo non fiat in orbe,
Heu! facinus civile tibi. victoribus ipsis

599. In man'is (ita), c. 601. quod de bel. d. vacaret, a. b. d. 602. quod nox, c.

Tacit. Hist. I, 40, *Neque populi aut plebis ulla vox, sed* attoniti vultus, *et conversae ad omnia aures.*

601. — *quod bello haec dextra vacasset]* Recipimus ex aliis libris *vacaret;* ne tres versus continui in eundem tonum exeant, *putasset, vocasset, fugasses.*

603. *Disponis gladios, ne quo non fiat in orbe, Heu! facinus civile tibi.]* Imitatus est hunc locum Claudianus, II. Rufin. 24,

Laxavitque viam bellis, et ne qua *maneret*
Immunis regio, cladem divisit in urbes,
Disposuitque nefas.

Quid vero est *fiat tibi?* Quidque *Heu,* nisi ad *facinus* jungatur. Ovid. Metam. VIII, 85,

Intrat, et (heu facinus!) *fatali nata parentem*
Crine suum spoliat.

Heroid. XVI, [215.]

Heu facinus! *totis indignus noctibus ille*
Te tenet.

Amor. I, 6, [22.]

Heu facinus! *pro me nunc valet illa parum.*

Arte amandi I, 751,

Heu facinus! *non est hostis metuendus amanti.*

Auctor ad Liviam, 174,

Heu facinus! *per quae victor iturus erat.*

Noster X, 518,

(Heu facinus!) *cervix gladio male caesa pependit.*

Cortige,

— *ne quo non fiat in orbe,*
(Heu facinus!) civile NEFAS.

Noster VII, 432,

Quod fugiens civile nefas, *redituraque nunquam*
Libertas.

Claudianus II. in Rufin. 389,

Digitized by Google

605 Dedecus, et nunquam Superum caritura pudore
Fabula; Romanus Regi sic parcit ensis,
Pellaeusque puer gladio tibi colla recidit,
Magne, tuo. qua posteritas in secula mittet
Septimium fama? scelus hoc quo nomine dicent,
610 Qui Bruti dixere nefas? jam venerat horae
Terminus extremae, Phariamque ablatus in alnum
Perdiderat jam jura sui. tum stringere ferrum
Regia monstra parant. ut vidit comminus enses,
Involvit vultus: atque indignatus apertum
615 Fortunae praebere caput, tunc lumina pressit,
Continuitque animam, ne quas effundere voces
Posset, et aeternam fletu corrumpere famam.
At postquam mucrone latus funestus Achillas
Perfodit, nullo gemitu consensit ad ictum:

608. *Magne tuo* et *vel Romano*, a. 609. dicent, addita *n*, a. correcta *i* ex *u*, c. 610. *ore*, d. Qui, *ui* man., alia in membr. erasa, d. 611. alnum, *n* ex *v* man. alia correcta, c. 612. tu*nc*, d. et a, addito *vel tum*. 613. u*bi* vid. c. ens*em*, a. 615. prae*st*are, b. c. d. 617. Po*ss*it, d. b. c., supra scripta *e* man. alia, et in marg. man. alia *vel vellet*, quod legitur in Cod. a, addito *vel posset. ac* aetern. a. 618. *Sed* postq. b. d. 619. con*sent*it et *vel consensit*, a.

Bis domitum, civile nefas, *bis rupimus Alpes.*

614. — *atque indignatus apertum Fortunae praebere caput,*] Repone,

Involvit vultus, atque INDIGNATUR *apertum*
Fortunae praebere caput.

Sed et libenter legerim,

— haud *indignatus* opertum
Fortunae praebere caput.

619. — *nullo gemitu consensit ad ictum: Despexitque nefas,*] Omnes codices *Respexit. Consensit* et *Respexit*, hoc est, *favit, obsecutus est*: ut infra 645.

— *properas, atque ingeris ictus,*

Digitized by Google

620 Despexitque nefas, servatque immobile corpus,
Seque probat moriens, atque haec in pectore volvit:
Secula Romanos nunquam tacitura labores
Attendunt, aevumque sequens speculatur ab omni
Orbe ratem, Phariamque fidem. nunc consule famae.
625 Fata tibi longae fluxerunt prospera vitae.
Ignorant populi, si non in morte probaris,
An scieris adversa pati. ne cede pudori,
Auctoremque dole fati. quacunque feriris,
Crede manum soceri. spargant, lacerentque licebit,
630 Sum tamen, o Superi, felix, nullique potestas
Hoc auferre Deo. mutantur prospera vita:
Non sum morte miser. videt hanc Cornelia caedem

620. *R*ospexit, a. b. c. d. 623. speculatur, *ur* man. alia in membr. erasa, c. 618—624. versus man. alia scripti sunt in b. 628. Auctoremve, b. facti, d. et b, c man. alia addita. 631. vit*ae*, supra scripto *fata* man. alia, c. 632. Non *fit*, a. d.

Qua votum est victo.

IX, 116,

Composita in mortem jacuit, favitque procellis.

626. *Ignorant populi, si non in morte probaris, An scieris adversa pati.*] Immo repone IGNORENT, quantumvis recusent codices; et *probaris* accipe *probaveris*.

631. — *mutantur prospera vita: Non sum morte miser.*] Alii codices *vitae*, probante ad Claudianum [Gild. 105.] Nic. Heinsio. tamen paulo ante habuimus *vs.* 625, *Fluxerunt* prospera vitae. Repone,

— *mutantur prospera vita;*
Non VIT *morte miser.*

Hoc, egregia sententiae venustate, suppeditat codex Collegii Trinitatis.

Digitized by Google

Pompejusque meus. tanto patientius, oro,
Claude, dolor, gemitus: natus conjuxque peremtum
635 Si mirantur, amant. talis custodia Magno
Mentis erat: jus hoc animi morientis habebat.
At non tam patiens Cornelia cernere saevum
Quam perferre nefas, miserandis aethera complet
Vocibus: O conjux, ego te scelerata peremi:
640 Letiferae tibi causa morae fuit avia Lesbos,
Et prior in Nili pervenit littora Caesar.
Nam cui jus alii sceleris? sed quisquis in istud
A superis immisse caput, vel Caesaris irae,
Vel tibi prospiciens, nescis crudelis, ubi ipsa
645 Viscera sint Magni: properas, atque ingeris ictus,
Qua votum est victo. poenas non morte minores
Pendat, et ante meum videat caput. haud ego culpa
Libera bellorum, quae matrum sola per undas,
Et per castra comes, nullis absterrita fatis,
650 Victum, quod reges etiam timuere, recepi.
Hoc merui, conjux, in tuta puppe relinqui?
Perfide, parcebas? te fata extrema petente,

633. *placentius*, c. 636. *anni*, c, lineola man. alia; quae *nn* quoque in *mn* mutavit. 640. Letiferae, *e* man. alia, c. *avia* et in marg. man. alia *obvia*, c. 642. *tanti* sceler. b. 645. *sunt*, a. c. 646. *morte*, in membr. erasa, b. 649. nullis*que*, c. 650. qu*em*, b. c. *et jam*, alia manus in *etiam* correxit, c. 651. relinqui, addita *n*, b. et in d, ab alia manu.

639. — *scelerata peremi*:] „*Scelestam* se vocat more et consuetudine (Heaut. v, 2, 17. *Scelestus quantas turbas concivi insciens!*) Pompeji uxor in Lucano."

Vita digna fui? moriar, nec munere regis.
Aut mihi praecipitem, nautae, permittite saltum:
655 Aut laqueum collo tortosque aptate rudentes:
Aut aliquis Magno dignus comes exigat ensem.
Pompejo praestare potest, quod Caesaris armis
Imputet. o saevi, properantem in fata tenetis?
Vivis adhuc, conjux, et jam Cornelia non est
660 Juris, Magne, sui. prohibent accersere mortem:
Servor victori. sic fata, interque suorum
Lapsa manus rapitur, trepida fugiente carina.
At Magni cum terga sonent et pectora ferro,
Permansisse decus sacrae venerabile formae,
665 Iratamque Deis faciem, nihil ultima mortis
Ex habitu vultuque viri mutasse, fatentur
Qui lacerum videre caput. nam saevus in ipso
Septimius sceleris majus scelus invenit actu:
Ac retegit sacros, scisso velamine, vultus
670 Semianimis Magni, spirantiaque occupat ora,
Collaque in obliquo ponit languentia transtro.
Tunc nervos venasque secat, nodosaque frangit
Ossa diu: nondum artis erat caput ense rotare.

655. aptare, a. b. d. *vel artate* man. alia in marg. c. totos apt. b. rudentis, d. 656. exigat, supra scripto *extrahat* man. alia pro glossa, ut videtur, c. 659. Vivis, *i* in membr. erasa, supra scripto *Vivis* man. sec. b. 660. arcessere, a. b. d. c, addita glossa *pro vocare.* 665. Diis, b. facie, *f* man. alia addita, c. 671. Colla *quoque* obl. c. posuit, b.

Bentlej. ad Terent. Eun. v, 1, 16.

Web.

665. *Iratamque Deis faciem,*] Lege certantemque *deis*, forma scilicet. Martialis ii, 43, 14,

Grex tuus Iliaco poterat certare *cinaedo.*

Par forma Ganymedi.

Digitized by Google

At postquam trunco cervix abscissa recessit,
675 Vendicat hoc Pharius dextra gestare satelles.
Degener, atque operae miles Romane secundae,
Pompeji diro sacrum caput ense recidis,
Ut non ipse feras? o summi fata pudoris!
Impius ut Magnum nosset puer, illa verenda
680 Regibus hirta coma, et generosa fronte decora
Caesaries compressa manu est; Pharioque veruto,
Dum vivunt vultus, atque os in murmura pulsant
Singultus animae, dum lumina nuda rigescunt,
Suffixum caput est, quo nunquam bella jubente
685 Pax fuit: hoc leges, campumque, et rostra movebat.

674. *cervix*, man. alia ex *cornix* correctum, c. abscisa, b. c. d. 676. opér*is*, c. secund*i* et in marg. man. alia *secunde* sine signo, c. 678. *At* non, et in marg. man. alia *Ut*, c. 679. *illa*, *a* ex *e* man. alia correcta, c. 681. compr*e*nsa, b, sed in membr. eras. compressa, *o* ex *u* man. alia correcta, c. 682. os, *s* man. alia in membr. erasa, c. 684. quo, post *o* aliquid erasum est, c.

678. — *o summi fata pudoris!*] Lege ex aliis codicibus, *pro*.

681. *Caesaries compressa manu est;*] Immo, ut alii codices, *comprensa;* ut veruto suffigatur caput. Suetonius in Galba xx, *Gregarius miles caput ei amputavit; et quoniam* capillo *prae calvitie* arripere *non poterat, in gremium abdidit; mox, inserto per os pollice, ad Othonem detulit.* Ovid. Metam. ix, 317,

Dixit et adversa prensis *a fronte* capillis,
Stravit humi pronam.

et ix, 317,

— prensamque *ipsis dea saeva* capillis
Traxit.

Sed paucis, credo, placebit in eodem colo *hirta coma* et *decora caesaries*. quid enim differunt *coma* et *caesaries?* mallem dixisse,

— *generosa fronte decora*

Canities.

Jam enim canus erat Pompejus. Supra *vs.* 56.

— *vultusque prementem*
Canitie.

Ovid. x, 425, [Met.]

— *albaque toto*
Vertice canities *rigidis stetit* hirta capillis.

Ceterum hinc cepit illud de Pompejo Silius xiii, 861,

Ille, hirta *cui subrigitur* coma fronte, decorum
Et gratum terris Magnus caput.

Digitized by Google

Hac facie, Fortuna, tibi, Romana, placebas.
Nec satis infando fuit hoc vidisse tyranno:
Vult sceleri superesse fidem. tunc arte nefanda
Submota est capiti tabes, raptoque cerebro
690 Adsiccata cutis, putrisque effluxit ab alto
Humor, et infuso facies solidata veneno est.
Ultima Lageae stirpis, perituraque proles,
Degener, incestae sceptris cessure sororis,
Cum tibi sacrato Macedon servetur in antro,
695 Et regum cineres extructo monte quiescant,
Cum Ptolemaeorum manes, seriemque pudendam
Pyramides claudant, indignaque Mausolea:
Littora Pompejum feriunt, truncusque vadosis
Huc illuc jactatur aquis. adeone molesta
700 Totum cura fuit socero servare cadaver?
Hac Fortuna fide Magni tam prospera fata
Pertulit: hac illum summo de culmine rerum

687. satis *hoc*, sed man. alia delevit, c. 688. scelerís, a. b. d. super. fid. scel. c. 689. tabes cap. a. capitis, *s* man. alia, c. 690. *Ex*siccata, a. b. c. d. *vel Ac siccata*, a. *est* cutis, c. 793. sorori, c. 694. Macedo, *n* erasa, c. 701. Hac, *ac* in membr. erasa, c, man. alia. 702. Perculit, b.

702. — *hac illum summo de culmine rerum Morte petit:*] Acutissimus Nic. Heinsius ad Silium XIV, 630, ex suis codicibus reponit, *Sorte petit*. Sed majus, ni fallor, et sceleratius mendum hic latet. Quid enim est *petere aliquem* DE *culmine?* Corrige,

Hac fortuna fide Magni tam prospera fata
Pertulit: hac illum summo de culmine rerum

PRAECIPITAT.

Hac, iterum subauditur *fide*: quod cum non animadverterent librarii, locum foede corruperunt. Seneca Nat. Quaest. Praef. [ad Lib. III.] p. 704. [p. 230. Bip.] *Deus alia exaltat, alia submittit, nec molliter ponit, sed ex* fastigio *suo nullas habitura reliquias* jactat. et Epist. 47, *Dicat nunc aliquis me vocare ad pileum servos, et dominos de* fastigio *suo* dejicere.

Digitized by Google

Morte petit: cladesque omnes exegit in uno
Saeva die, quibus immunes tot praestitit annos:
705 Pompejusque fuit, qui nunquam mista videret
Laeta malis: felix nullo turbante Deorum,
Et nullo parcente miser. semel impulit illum
Dilata Fortuna manu. pulsatur arenis,
Carpitur in scopulis, hausto per vulnera fluctu
710 Ludibrium pelagi: nullaque manente figura,
Una nota est Magno capitis jactura revulsi.
Ante tamen Pharias victor quam tangat arenas,
Pompejo raptim tumulum Fortuna paravit,
Ne jaceat nullo, vel ne meliore sepulcro.
715 E latebris pavidus decurrit ad aequora Cordus.
Quaestor ab Idalio Cinyraeae littore Cypri
Infaustus Magni fuerat comes. ille per umbras
Ausus ferre gradum, victum pietate timorem
Compulit, ut mediis quaesitum corpus in undis

703. un*um*, d. 704. di*es*, d. 708. ma*li*, et in marg. man. alia *manu*, c. 712. paravit et *vel parabit*, a. 715. Co*d*rus, a. b. d. Cord*is*, et in marg. man. alia Co*d*rus, c. 716. Icario, a. c. d. Cir*ene*ae, b. c. d. *ponti*, supra scripto *Cypri*, c. 717. Infaust. Magni et *vel Infaustusque fugae*, a.

703. — *cladesque omnes exegit in uno Saeva die, quibus immunes tot praestitit annos:*] Recta lectio, ut patet ex oppositione. Opponitur enim unus dies infelix tot annis felicibus. Grotius. Ut haec viri magni intelligas, scias Franciscum Modium in Epistola xcv, ubi Lucani quaedam recenset, IMO DIE hic legendum contendere, non UNO.

717. *Infaustus Magni fuerat comes.*] MS. P. *Infaustus fugae.* unde scribere liceat:

Infaustusque fugae fuerat comes.

Grotius. Quod vir summus partim ex codice, partim ex conjectura extundit, id clare et integre extat in codice Regio,

Infaustusque FUGAE *fuerat comes.*

Cujus vero comes? non *Magni* certe, nec ejus *fugae*. Soli enim

Digitized by Google

720 Duceret ad terram, traheretque ad littora Magnum.
Lucis moestà parum per densas Cynthia nubes
Praebebat; cano sed discolor aequore truncus
Conspicitur. tenet ille ducem complexibus arctis
Eripiente mari: non victus pondere tanto
725 Expectat fluctus, pelagoque juvante cadaver
Impellit. postquam sicco jam littore sedit,
Incubuit Magno, lacrymasque effudit in omne
Vulnus, et ad superos obscuraque sidera fatur:
Non pretiosa petit cumulato thure sepulcra
730 Pompejus, Fortuna, tuus: non pinguis ad astra
Ut ferat e membris Eoos fumus odores,
Ut Romana suum gestent pia colla parentem,
Praeferat ut veteres feralis pompa triumphos,
Ut resonent cantu tristi fora, totus ut ignem
735 Projectis moerens exercitus ambiat armis.

720. terras, a. *in* lit. a. b. c. litore, sed *e* in membr. erasa, c. 721. Cythia, a. c. 722. Praebebat, *t* man. alia addita, c. 724. *magno* et *vel tanto*, a. 728. ad superos, in membr. erasa, b. 731. fu*m*us, supra scripta *m*, a. 734. tristi cantu, a. b. c. d. igne*s*, b.

ex Pompeji comitatu una cum eo in Achillae biremem ierant, Scena servus, Philippus libertus, et Centuriones duo, Plutarcho in Pompejo teste. Ex his quattuor nemo erat *Quaestor*. Addit Plutarchus, Libertum istum fragmenta carinae contulisse ad truncum Pompeji corpus deustulandum: *ei vero supervenisse hominem Romanum, jam senem, qui juvenis olim Pompejo militaverat*, et una cum Philippo rogum composuisse; *ὡς μὴ*, inquit, *κατὰ πάντα μέμφωμαι τὴν ἀποξένωσιν, ἀντὶ πολλῶν ἀνιαρῶν τοῦτο γοῦν εὑρόμενος, ut non per omnia querar de exilio, sed pro multis miseriis hoc saltem nanciscar, maximum Romani nominis imperatorem sepeliisse.* In hoc *homine Romano*, in hac *ἀποξενώσει* sive fuga, latet forte ille quisquis est Quaestor, qui Praetori suo (ut verisimile est) in exilio comes fuerat. sed Plutarcho *γέρων*, *senex*, est, Nostro 743, *juvenis*. vide de Gabinio exule Appian. Syr. [c. 51.].

Digitized by Google

Da vilem Magno plebeji funeris arcam,
Quae lacerum corpus siccos effundat in ignes.
Robora non desint misero, nec sordidus ustor.
Sit satis, o superi, quod non Cornelia fuso
740 Crine jacet, subicique facem complexa maritum
Imperat, extremo sed abest a munere busti
Infelix conjux, nec adhuc a littore longe est.
Sic fatus, parvos juvenis procul aspicit ignes,
Corpus vile suis, nullo custode, cremantes.
745 Inde rapit flammas, semustaque robora membris
Subducens, quaecunque es (ait) neglecta, nec ulli
Cara tuo, sed Pompejo felicior umbra,
Quod jam compositum violat manus hospita bustum,
Da veniam: si quid sensus post fata relictum est:
750 Cedis et ipsa rogo, paterisque haec damna sepulcri,
Teque pudet, sparsis Pompeji manibus, uri.
Sic fatur: plenusque sinus ardente favilla

736. Da, *D* ex *H* man. alia correcta, c. plebe*i*, b. et d, prima manu. arc*h*am et in marg. man. alia *vel aram*, c. 738. Robora, et in marg. man. alia *litora*, c. 740. subicique, *que* man. alia additum, c. 741. *f*unere, c. et a, supra scripto *vel su* (ita), 742. ne*que* adhuc, a. 744. nullo, in membr. erasa, b. 746. Subduc*it*, a. c. *vel Subducens*, a. ait es, b. es, sed *s* man. alia, d. in membr. erasa. neglecta, *g* ex *c* man. alia correcta, c. 748. viol*et*, c. 751. Pompe*i*, b. 752. fatus, a. b. c. d. *que* abest, c. sed in marg. man. alia adscriptum.

746. — *quaecunque es (ait) neglecta, nec ulli Cara tuo,*] Codex Collegii Trinitatis *nec leta*: unde corrigendum,

quaecunque es (ait) NEC FLETA *nec ulli Cara tuo.*

Virgil. XI, 372,

Nos animae viles, inhumata infletaque *turba.*

et VI, 401,

Hic multum fleti *ad superos belloque caduci.*

Digitized by Google

Pervolat ad truncum, qui fluctu paene relatus
Littore pendebat. summas dimovit arenas,
755 Et collecta procul lacerae fragmenta carinae
Exigua trepidus posuit scrobe. nobile corpus
Robora nulla premunt, nulla strue membra recumbunt:
Admotus Magnum, non subditus accipit ignis.
Ille sedens juxta flammas, O maxime, dixit,
760 Ductor, et Hesperii majestas nominis una,
Si tibi jactatu pelagi, si funere nullo
Tristior iste rogus; manes animamque potentem
Officiis averte meis: injuria fati

758. ignes, supra scripta *i*, c. 759. sedens, *ns* ex *m* correctis, c. 760. *Victor*, d. c, qui in marg. *Ductor* man. alia habet. una et in marg. man. alia *sola*, c. 761. nudo et *vel nulla*, s. c. man. alia.

753. *Pervolat ad truncum,]* Codices, *Pervolat*, *Praevolat*, *Evolat*. vel *Evolut* malim, vel *Provolat*.

761. *Si tibi jactatu pelagi; si funere nullo Tristior ille rogus;] Funere nullo*, ut supra 714,

Ne jaceat nullo, *vel ne meliore* sepulcro.

Sed codex Bersmanni et Regius, *funere nudo*. Quid si legendum?

Si tibi jactatu pelagi, si pulvere nudo
Tristior ille rogus.

Pulvere hic idem quod *litore*, *arena*. IX, 342, de Syrti,

— *sicci jam* pulveris *agger.*

IX, 394,

— *dum primus arenae*
Ingrediar, primusque gradus in pulvere *ponam.*

Horat. Carm. I, 28, 23,

— *vagae ne parce malignus arenae.*

mox,

Injecto ter pulvere *curras.*

Ovid. Metam. IX, 35,

Ille cavis hausto spargit me pulvere *palmis,*
Inque vicem fulvae jactu flavescit arenae.

Noster X, 380,

— *tumulumque e* pulvere *parvo*
Aspice, Pompeji non omnia membra tegentem.

Digitized by Google

Hoc fas esse jubet; ne ponti bellua quicquam,
765 Ne fera, ne volucres, ne saevi Caesaris ira
Audeat: exiguam, quantum potes, accipe flammam,
Romana succense manu. Fortuna recursus
Si det in Hesperiam, non hac in sede quiescent
Tam sacri cineres: sed te Cornelia, Magne,
770 Accipiet, nostraque manu transfundet in urnam.
Interea parvo signemus littora saxo,
Ut nota sit busti; si quis placare peremtum
Forte volet, plenos et reddere mortis honores;
Inveniat trunci cineres, et norit arenas,
775 Ad quas, Magne, tuum referat caput. haec ubi fatus,
Excitat invalidas admoto fomite flammas.
Carpitur, et lentum Magnus distillat in ignem,
Tabe fovens bustum. sed jam percusserat astra
Aurorae promissa dies: ille, ordine rupto

764. belua, b. c. d. Post vs. 766. *Audeat* etc. denuo legitur vs. 757. *Robora* etc. sed linea subducta notatus. 767. succens*a*; c. d. recessus, a. d. 768. quiescunt, c. 769. sed, *d* man. sec. in membr. erasa, b. 772. *Et*, supra scripto *ut* man. alia, c. busto, a. d. b. et in marg. man. alia c. *vel busti*, a. busta, c. placare, *a* ex *e* correcta, c. 773. Sorte, et in marg. man. alia F, c. mortis reddere, c. a. d, sed *ere* man. alia in membr. erasa. *honores* man. alia in membr. eras. c. 774. ciner. trunci, c. 777. destillat, a. d. Magnus lent. b. ignes, man. alia *s* in *m* correcta, c. 779. praemissa, a. b. d.

765. *Ne fera, ne volucres, ne saevi Caesaris ira*] Lege cum codice Collegii Trinitatis, *volucris; bellua, fera, volucris.*

769. — *sed te Cornelia, Magne, Accipiet, nostraque manu transfundet in urnam.*] Quo-

Digitized by Google

780 Funeris, attonitus latebras in littore quaerit.
Quam metuis, demens, isto pro crimine poenam,
Quo te fama loquax omnes accepit in annos?
Condita laudabit Magni socer impius ossa.
I modo securus veniae, fassusque sepulcrum
785 Posce caput. cogit pietas imponere finem.
Officio. semusta rapit, resolutaque nondum
Ossa satis nervis, et inustis plena medullis
Aequorea restinguit aqua, congestaque in unum
Parva clausit humo. tum ne levis aura retectos
790 Auferret cineres, saxo compressit arenam:
Nautaque ne bustum religato fune moveret,
Inscripsit sacrum semusto stipite nomen:
Hic situs est Magnus. placet hoc, Fortuna, sepulcrum
Dicere Pompeji: quo condi maluit illum,
795 Quam terra caruisse socer? temeraria dextra,
Cur obicis Magno tumulum, manesque vagantes
Includis? situs est, qua terra extrema refuso
Pendet in Oceano. Romanum nomen, et omne

781. me'uis, *s* ex *t* correcta, b. *o* demens, c. crimine et *vel funere*, b. poenam et *vel culpam*, b. 783. accipit, d. 784. *Et* modo, ab alia manu in *I* modo correctum, c. 785. Vv. *cogit—Officio* desunt in Cod. b. 786. semiusta, ut semper, c. d. 788. congestaque, et in marg. man. alia *vel conjecta*, c. 789. clusit, b. d. clausit, sed *a* ex *u* correcta, c. tunc, a. b. d. relictos, b. 790. arenas, c. 791. religato, *a* man. alia, c.

modo *nostra manu*, si *Cornelia accipiet?* Corrige,

PROPRIAQUE *manu transfundet in urnam.*

793. — *placet hoc, Fortuna, sepulcrum Dicere Pompeji:*] Val. Max. 1, 8, 9, *Ipsi fortunae erubescendum regum.*

Digitized by Google

Imperium Magno est tumuli modus. obrue saxa
800 Crimine plena Deum. si tota est Herculis Oete,
Et juga tota vacant Bromio Nyseia; quare
Unus in Aegypto Magno lapis? omnia Lagi
Rura tenere potest, si nullo cespite nomen
Haeserit. erremus populi, cinerumque tuorum,
805 Magne, metu nullas Nili calcemus arenas.
Quod si tam sacro dignaris nomine saxum;
Adde actus tantos, monimentaque maxima rerum:
Adde truces Lepidi motus, Alpinaque bella,
Armaque Sertori revocato Consule victa,
810 Et currus, quos egit eques: commercia tuta
Gentibus, et pavidos Cilicas maris. adde subactam
Barbariem, gentesque vagas, et quicquid in Euro
Regnorum Boreaque jacet. dic semper ab armis
Civilem repetisse togam: ter curribus actis

799. tumuli est, a. b. c. d. 800. *est* non legitur in d. 801. vacant, *a* correcta, d. 802. *est* Magn*i*, d. Magn*i*, b. Magn*i* *est*, a. 803. *Arva* tenere, b. 804. Post hunc versum lacuna quinque versuum lineolis indicatur, quorum primus v. *Her* incipiebat, a. 805. Nili null. d. 807. act*os*, c. 808. truc*is*, a. 809. Sertor*ii*, b. d. c. 812. Barbari*am*, d. *et* in membr. erasa, d.

806. *Quod si tam sacro dignaris nomine saxum;]* Jam antea hoc habuimus v. 792,

Inscripsit sacrum *semusto stipite* nomen.

Quare Bersmanniani codicis lectionem admittimus,

Quod si tam CLARO *dignaris nomine saxum.*

807. *Adde actus tantos, monimentaque maxima rerum:]* *Tantos maximaque*, hoccine placet? *Maxima rerum monumenta*, velles credo potius, *maximarum rerum monumenta*. Codex Bersmanni *Momentaque*. Corrige,

Adde actus TACITOS, MOMENTAQUE *maxima rerum.*

Adde primum actus vitae ejus tacitos, quae in pace, in silentio, in curia, in rostris, in campo, consilio suo et auctoritate egit; quamvis non ita foris cla-

Digitized by Google

815 Contentum patriae multos donasse triumphos.
Quis capit haec tumulus? surgit miserabile bustum
Non ullis plenum titulis, non ordine tanto
Fastorum: solitumque legi super alta Deorum
Culmina, et extructos spoliis hostilibus arcus,
820 Haud procul est ima Pompeji nomen arena,
Depressum tumulo, quod non legat advena rectus,
Quod nisi monstratum Romanus transeat hospes.
Noxia civili tellus Aegyptia fato.
Haud equidem immerito Cumanae carmine vatis
825 Cautum, ne Nili Pelusia tangeret ora
Hesperius miles, ripasque aestate tumentes.
Quid tibi, saeva, precer pro tanto crimine, tellus?
Vertat aquas Nilus, quo nascitur orbe retentus,
Et steriles egeant hybernis imbribus agri,

815. Conte*mp*tum, c. mult. patriae, a. b. 816. tumulus et *vel tumulis*, a, quod in b quoque a prima manu fuisse videtur. 818. F*at*orum, a. 821. *Im*pressum, b. 824. *in*merito, *in* man. alia additum, c. carmin*is*, c. 825. Cautum *est*, b. *C* man. alia in membr. erasa, c. *v*ili, c. 828. retento, c.

ra, maxima tamen rerum momenta: deinde adde (ut in versibus sequentibus) bella ejus et res gestas. Noster III, 338,

— *non pondera rerum,*
Nec momenta *sumus.*

VII, 118,

Si sine momento rerum, *partisque ruina*
Casurum est, feriat.

816. — *surgit miserabile bustum]* Quomodo *surgit*, quod tam humile est, ut viator stans rectus legere nequeat? *Surgit* de altis et sublimibus dicitur, ut infra 866,

Ardua marmoreo surrexit *pondere moles.*

Repone,

SORDET *miserabile bustum.*

Et quid sodes illud est, *Non ullis plenum titulis?* Non tot, non tantis titulis plenum facile caperem; at non *ullis* plenum non intelligo. Repone,

Non ILLIS *plenum titulis.*

Illis titulis, quos novem versibus numeraverat.

820. *Haud procul est ima*

Digitized by Google

830 Totaque in Aethiopum putres solvaris arenas.
Nos in templa tuam Romana accepimus Isin,
Semideosque canes, et sistra jubentia luctus,
Et quem tu plangens hominem testaris Osirim:
Tu nostros, Aegypte, tenes in pulvere Manes.
835 Tu quoque cum saevo dederis jam templa tyranno,
Nondum Pompeji cineres, o Roma, petisti:
Exul adhuc jacet umbra duois. si secula prima
Victoris timuere minas; nunc excipe saltem
Ossa tui Magni, si nondum subruta fluctu
840 Invisa tellure sedent. quis busta timebit?
Quis sacris dignam movisse verebitur urnam?
Imperet hoc nobis utinam scelus, et velit uti
Nostro Roma sinu: satis o nimiumque beatus,
Si mihi contingat manes transferre revulsos.

831. *re*cepimus, b. d. *reci*pimus, c. Isi*m*, a. b. c. d. 833. Osyrim, man. alia additum, c. 838. minas, *s* correcta, c. 839. Sub ruta, *r* correcta, c. 840. *te*nebit, supra scripto *.i.* et in marg. man. alia *timebit*, c. 841. sacri, supra scripto *is*, c. *vide*bitur, superne posito *vere* man. alia, c. urnam et *vel umbram*, a. 843. Nostro, post *o* aliquid erasum, c. 844. con*t*igat, a. revulsos, et in marg., sine nota tamen, *remissos*, man. alia, c.

Pompeji nomen arena, Depressum tumulo,] Quid est *nomen depressum tumulo?* De depressione cautum erat, cum dixit, *Haud procul ima arena.* Lege ex aliis manuscriptis,

IMPRESSUM *tumulo.*

Virgil. Georg. 1, 265,

Aut pecori signum, aut numeros impressit *acervis.*

836. *Nondum Pompeji cineres, o Roma, petisti:*] At quoties noster casu vocativo *Roma?* nusquam alibi, *o Roma.* [Codex Regius,

Nondum Pompeji cineres, ROMANE, *petisti.*

Egregie. Virgilius, [A. VI, 852.]

Tu regere imperio populos, Romane, *memento.*

Auctor ad Liviam 19,

Ignotumque tibi meruit, Romane, *triumphum.*

Horatius Carm. III, 6, [1.]

Digitized by Google

845 Ausoniam, si tale ducis violare sepulcrum.
Forsitan aut sulco sterili cum poscere finem
A superis, aut Roma volet feralibus Austris,
Ignibus aut nimiis, aut terrae tecta moventi:
Consilio jussuque Deum transibis in urbem,
850 Magne, tuam, summusque feret tua busta sacerdos.
Nam quis ad exustam Cancro torrente Syenen
Ibit, et imbrifera siccas sub Plejade Thebas
Spectator Nili: quis rubri stagna profundi,
Aut Arabum portus mercis mutator Eoae,
855 Magne, petet, quem non tumuli venerabile saxum,
Et cinis in summis forsan turbatus arenis
Advertet? manesque tuos placare jubebit,
Et Casio praeferre Jovi? nil ista nocebunt
Famae busta tuae. templis auroque sepultus
860 Vilior umbra fores: nunc est pro numine summo,
Hoc tumulo Fortuna jacens. augustius aris

845. Ausoni*ae*, b. 847. *a*stris, et in marg. man. alia *austris*, c. *a*stris, sed *s* in membr. erasa, b. 851. Syen*em*, d. a. b. c. 852. *u*mbrifera, c. Pl*i*ade, a. b. c. d. 853. *S*ectator, a. 856. Et cinis, et in marg. man. alia .*Aut*, c. 857. *A*vertet, b. c. d. *li*bebit, a. b. d. *vel jubebit*, a. jubebit, *t* ex *s* correcta, et supra scripto *libebit*, c. alia manus in marg. *juvabit*. 858. praeferre, man. sec. antea *pro*ferre, b. 859. Post hunc versum spatium quatuor versuum superest, a. 860. e*s*, c. d. *est* non legitur in b. nomine, et *vel numine*, a. c, man. alia.

Delicta majorum immeritus lues,
Romane.
Sat. 1, 4, 85,

Hic niger est; hunc tu, Romane, *caveto.*
et alibi saepe.

861. *Hoc tumulo Fortuna ja-*

Digitized by Google

Victoris Libyco pulsatur ab aequore saxum.
Tarpejis qui saepe Deis sua thura negarunt,
Inclusum fusco venerantur cespite fulmen.
Proderit hoc olim, quod non mansura sepulcri
Ardua marmoreo surrexit pondere moles.
Pulveris exigui sparget non longa vetustas
Congeriem, bustumque cadet, mortisque peribunt
Argumenta tuae. veniet felicior aetas,
Qua sit nulla fides saxum monstrantibus istud:
Atque erit Aegyptus populis fortasse nepotum
Tam mendax Magni tumulo, quam Creta Tonantis.

862. pulsatur, *r* man. alia ex *s* correcta, c. *in* aeq. a. b. c. *l*axum, c. 863. Tarpe*is*, d. b. c. 864. *Tusco*, a. b. c. d. *no*men, et in marg. man. alia *fulmen*, c. 865. Pro*did'it*, c. mensura et *vel mansura*, c. *futuris*, a. b. c, pro var. lect. 870. *illud*, a. b. d.

Explicit octavus. Incipit nonus. c. *Incipit liber nonus*, d.

cens.] Minore cum Pompeji laude *Fortuna* tumulo adjacet, quam Ajacis Telamonii *Virtus*. [Analect. Tom. 1, p. 178. 6.]

Ἀδ' ἐγὼ ἁ τλάμων Ἀρετὰ παρὰ τῷδε κάθημαι
Αἴαντος τύμβῳ, κειραμένα πλοκάμως.

863. *Tarpejis qui saepe Deis supra thura negarunt,*] Melius alii codices *negarant*.

865. — *quod non mansura sepulcri Ardua marmoreo surrexit pondere moles.*] Manuscripti plerique omnes *mansura futuris*. Recte. neque opus est voce *sepulcri*, ut sepulcrum intelligamus.

870. — *saxum monstrantibus istud:*] *Illud* omnes fere codices.

M. ANNAEI LUCANI
PHARSALIAE

LIBER NONUS.

At non in Pharia manes jacuere favilla,
Nec cinis exiguus tantam compescuit umbram:
Prosiluit busto, semustaque membra relinquens,
Degeneremque rogum, sequitur convexa Tonantis.
5 Qua niger astriferis connectitur axibus aer;
Quodque patet terras inter lunaeque meatus,

2. *magnam* et *vel tantam*, c. compescuit, *es* serius additis, supra *p* aliquid erasum est, c. 5. niger, *r* man. alia in membr. erasa, d. astribus, *st* correctis ex litera *u*, ut videtur, in marg. "*axibus*, e. 6. Quaque, b. et pro var. lect. c. patet et *vel jacet*, a. b.

5. *Qua niger astriferis connectitur axibus aer:]* Si *niger aer*, ut codices habent, idcirco est, quia aether majore fruitur lumine; si *piger*, ut fortasse reponendum, quia velociore motu pollet. Noster IV, 74, *Congestumque aeris atri.* VI, 107, *Aere non pigro.*

6. *Quodque patet terras inter lunaeque meatus]* Alii codices *patens:* quod probat vir egregius Frid. Gronovius Observ.

Digitized by Google

Semidei manes habitant, quos ignea virtus,
Innocuos vitae, patientes aetheris imi
Fecit, et aeternos animam collegit in orbes.
10 Non illuc auro positi, nec thure sepulti
Perveniunt: illic postquam se lumine vero
Implevit, stellasque vagas miratur et astra
Fixa polis; vidit quanta sub nocte jaceret
Nostra dies, risitque sui ludibria trunci.
15 Hinc super Emathiae campos, et signa cruenti
Caesaris, ac sparsas volitavit in aequore classes;
Et scelerum vindex in sancto pectore Bruti
Sedit, et invicti posuit se mente Catonis.
Ille, ubi pendebat casus, dubiumque manebat,

8. vita, a. b. d. c, sed post *a* aliquid erasum est: *eheris*, c. 12. miratus, c. 13. polo et *vel polis*, a. *lateret* et *vel jaceret*, a. 16. classes, in membr. erasa, d. 18. in victi, c. 19. pendeba*nt*, a. b. c.

1, 13, *Quod inter terras*, ait, *et lunae meatus patens habitant manes: inspice contextum, et verissimum hoc esse fatebere.* Non audio. Illud *patet* cum prioribus connectitur, non cum sequentibus. *Sequitur convexa tonantis; Qua aer connectitur, Quodque patet.* Pone distinctionem post *meatus*: et deinde ordine, *Semidei manes habitant.* Ita solent poetae. Virgil. Aeneid. 1, 16,

Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni.

et 535,

Terra antiqua, potens armis atque ubere glebae:
Oenotri coluere viri.

III, 104, et 106,

Creta Jovis magni medio jacet insula ponto:
Centum urbes habitant magnae, uberrima regna.

8. *Innocuos vitae patientes aetheris imi]* Plerique omnes scripti *vita*; et sic Priscianus p. 1123, et ad Statium [Theb. 6, 112.] Lactantius p. 202. Placet tamen *vitae*, quia alter genitivus sequitur, *aetheris imi.* Seneca Epist. 102, p. 508, *Nondum* (dum vivimus) *caelum nisi ex intervallo* pati possumus. Nat. Quaest. p. 668, *Summa aeris pars tenuissima, propter viciniam aeternorum ignium, illa pars vicina terris densa et caliginosa est.*

11. — *lumine vero]* Semel Servius citat, *lumine vivo.*

12. — *stellasque vagas mi-*

Digitized by Google

20 Quem mundi dominum facerent civilia bella,
Oderat et Magnum, quamvis comes isset in arma,
Auspiciis raptus patriae, ductuque Senatus.
At post Thessalicas clades jam pectore toto
Pompejanus erat. patriam tutore carentem
25 Excepit, populi trepidantia membra refovit,
Ignavis manibus projectos reddidit enses:
Nec regnum cupiens gessit civilia bella,
Nec servire timens. nil causa fecit in armis
Ipse sua: totae post Magni funera partes
30 Libertatis erant: quas ne per littora fusas
Colligeret rapido victoria Caesaris actu,
Corcyrae secreta petit, ac mille carinis
Abstulit Emathiae secum fragmenta ruinae.
Quis ratibus tantis fugientia crederet ire
35 Agmina? quis pelagus victas arctasse carinas?
Dorida tunc Malean, et apertam Taenaron umbris,
Inde Cythera petit: Boreaque urgente carinas

20. dom. mundi, a. b. c. d. 21. esset, c. 22. rapt. esset patr. c. 25. Excipit et pop. c. 28. Nil serv. c. causae, b. d. 29. Ille, a. b. suae, b. d. sui, c. tantae et vel totae, a. 31. Colligeret, t man. alia in membr. erasa, c. actu, a in membr. erasa, c. 32. versus in margine scriptus legitur. 34. credidit, et in marg. crederet, c. 36 et 37. versus in margine a leguntur, seriori manu adscripti. Meleam, c. tum et vel tunc, a.

ratur et astra] Alii codices *miratus*. *Miratus vidit*: si enim *miratur*, oportet *et vidit*.

32. — *ac mille carinis Abstulit Emathiae secum fragmenta ruinae.*] Versu abhinc tertio iterum habemus, *victas arctasse carinas*; ac rursus quinto, *Boreaque urgente carinas*. ut evitemus hoc, fortasse legendum,

— *et mille* LIBURNIS.

37. — *Boreaque urgente carinas*] Occidit nos haec crambe

Creta fugit: Dictaea legit, cedentibus undis,
Littora. tunc ausum classi praeclndere portus
40 Impulit, ac saevas meritum Phycunta rapinas
Sparsit: et hinc placidis alto delabitur auris
In littus, Palinure, tuum: (neque enim aequore tantum
Ausonio monimenta tenes; portusque quietos
Testatur Libye Phrygio placuisse magistro.)
45 Cum procul ex alto tendentes vela carinae
Ancipites tenuere animos, sociosne malorum
An veherent hostes: praeceps facit omne timendum
Victor, et in nulla non creditur esse carina.
Ast illae puppes luctus planctusque ferebant,
50 Et mala vel duri lacrymas motura Catonis.
Nam postquam frustra precibus Cornelia nautas
Privignique fugam tenuit, ne forte repulsus
Littoribus Phariis remearet in aequora truncus,
Ostenditque rogum non justi flamma sepulcri:

40. Phiconta, b. c. Phieuncta, d. 41. dilabitur, c. 42. nec enim, c. 46. sociosve, c. 52. ne forte, superne scripto *si* man. alia, c. 54. non usti, d. c, sed ante *u* aliquid erasum est.

carinas: quod altero abhinc versu est, nec ibi sollicitandum. Lege hic,

— *Boreaque urgente* ceruchos.

ut v, 418. de eodem vento,

Hic utinam summi curvet carchesia mali.

In summo malo et ceruchi sunt. VIII, 177,

— *et instabit summis minor Ursa* ceruchis.

44. *Testatur Libye*] Recte. nam *Phrygio magistro* est *Palinuro:* non, ut quidam putant, *Aeneae.*

45. *Cum procul ex alto tendentes vela carinae*] Satis superque *carinarum* habuimus, et ecce quarta vice *carinae:* et quintum mox insuper tertio mox versu, *et in nulla non creditur esse carina.* Non expedio, nisi iterum legas *Liburnae.*

Digitized by Google

55 Ergo indigna fui, dixit, Fortuna, marito
Accendisse rogum, gelidos effusa per artus
Incubuisse viro, laceros exurere crines,
Membraque dispersi pelago componere Magni?
Vulneribus cunctis largos infundere fletus?
60 Ossibus et tepida vestes implere favilla?
Quicquid ab extincto licuisset tollere busto,
In templis sparsura Deum. sine funeris ullo
Ardet honore rogus: manus hoc Aegyptia foran
Obtulit officium grave manibus. o bene nudi
65 Crassorum cineres! Pompejo contigit ignis:
Invidia majore Deum. similisne malorum
Sors mihi semper erit? nunquam dare busta licebit
Conjugibus: nunquam plenas plangemus ad urnas?
Quid porro tumulis opus est, aut ulla requiris
70 Instrumenta, dolor? non toto pectore portas,
Impia, Pompejum? non imis haeret imago
Visceribus? quaerat cineres victura superstes.
Nunc tamen hic, longe qui fulget luce maligna,

56. gelidos*que*, a. c. d. gelido*s*que, b. sed man. sec. in membr. erasa. 61. extructo, b. 63. haec, b. 64. nudi, in membr. erasa, b. 70. non, et in marg. man. alia *nun*, c. *in* pect. a. b. c. d. *gestas*, a. 71. *quia nomini* haer. man. alia correxit in *non imi* c. 72. Viceribus, c. quaer*et*, man. alia *at* superne scripsit, c. victura, *r* in membr. erasa, c. 73. Nu*m*, *u* ex *a* man. alia correcta, c. hi*nc*, c.

57. — *laceros exurere crines,*] Cujus quaeso *crines?* non Pompeji, suos enim hic Cornelia intelligit. Seneca Troad. 409,

Quid moesta, Phrygiae, turba laceratis comas?

et 98,

Solvimus omnes
Lacerum *multo funere* crinem.

70. — *non toto pectore portas,*] Plerique codices *non toto in.*

73. *Nunc tamen hic, longe*] An legendum?

Digitized by Google

Ignis adhuc aliquid, Phario de littore surgens,
75 Ostendit mihi, Magne, tui: jam flamma resedit,
Pompejumque ferens vanescit solis ad ortus
Fumus, et invisi tendunt mihi carbasa venti.
Non mihi nunc tellus Pompejo si qua triumphos
Victa dedit, non alta terens Capitolia currus
80 Gratior: elapsus felix de pectore Magnus:
Hunc volumus, quem Nilus habet, terraeque nocenti
Non haerere queror: crimen commendat arenas.
Linquere, si qua fides, Pelusia littora nolo.
Tu pete bellorum casus, et signa per orbem,
85 Sexte, paterna move: namque haec mandata reliquit
Pompejus vobis, in nostra condita cura,
Me cum fatalis leto damnaverit hora,
Excipite, o nati, bellum civile, nec unquam,
Dum terris aliquis nostra de stirpe manebit,

75. recedit, c. 79. tenens, c. 83. versus *Linquere* etc. ante vs. 81. *Hunc* etc. legitur, d. c. a, in margine a man. seriori scriptus. v. 81. *Hunc* etc. signo quodam notatur, d. 83. Pelusi*naque*, c. 88. u*m*quam, *m* man. alia ex *n* correcta, c. 89. de nost. stirp. c.

NUM *tamen* HINC *longe qui fulget luce maligna*
Ignis adhuc aliquid, Phario de litore surgens,
Ostendit mihi, Magne, tui?
Manuscripti aliquot habent *hinc*.

83. *Linquere, si qua fides, Pelusia littora nolo.]* Versus spurius. nullum certum locum habet in Manuscriptis, et a quibusdam abest. illud *si qua fides* longe hic ineptissimum est.

85. — *namque haec mandata reliquit Pompejus vobis in nostra condita cura,]* Codex Regius NOBIS et CREDITA: quem si sequimur, sic relingendus foret locus,

— — *reliquit*
Pompejus nobis *et* nostrae credita curae.

ut mox *vs.* 100,

Ne mihi commissas *auferrem*
perfida voces.

Digitized by Google

90 Caesaribus regnare vacet. vel sceptra, vel urbes
Libertate sua validas impellite fama
Nominis: has vobis partes, haec arma relinquo.
Inveniet classes quisquis Pompejus in undas
Venerit: et noster nullis non gentibus heres
95 Bella dabit: tantum indomitos, memoresque paterni
Juris habete animos. uni parere decebit,
Si faciet partes pro libertate, Catoni.
Exolvi tibi, Magne, fidem, mandata peregi.
Insidiae valuere tuae, deceptaque vixi,
100 Ne mihi commissas auferrem perfida voces.
Jam nunc te per inane chaos, per tartara, conjux,
Si sunt ulla, sequar: quam longo tradita leto,
Incertum est: poenas animae vivacis ab ipsa
Ante feram. potuit cernens tua vulnera, Magne,
105 Non fugere in mortem: planctu contusa peribit:
Effluet in lacymas: nunquam veniemus ad enses,
Aut laqueos, aut praecipites per inania jactus.
Turpe mori post te solo non posse dolore.

95. *do*mitos*que*, in marg. scripto v. *memores*, c. 97. faci*at*, c. 99. valuere, et *vel patuere*, a. 103. ipsa, post *a* aliquid deletum, c. 104. fer*a*, a. potu*i*, deleto v. *possem*, et in marg. man. alia *potuit*, c. vulnere, superne scripta *a*, a. vulnera, et in marg. man. alia *funera*, c. 106. lacrimas, ita semper, b.

Sed bene habet recepta lectio *condita*. Catullus de nuptiis Pelei, [231.]

Tum vero facito, ut memori tibi condita *corde*
Haec vigeant mandata, *nec ulla obliteret aetas.*

Phaedrus IV, Praef. [F. I, 18.]

Quod interiore condidit *cura angulo.*

Val. Flaccus III, [396.]

— sed nostra requiret
Cura viam, memori jam pridem cognita vate.

Ubi Heinsius, *cognita vittae*,

Sic ubi fata, caput ferali obducit amictu,
110 Decrevitque pati tenebras, puppisque cavernis
Delituit: saevumque arcte complexa dolorem
Perfruitur lacrymis, et amat pro conjuge luctum.
Illam non fluctus, stridensque rudentibus Eurus
Movit, et exurgens ad summa pericula clamor:
115 Votaque sollicitis faciens contraria nautis,
Composita in mortem jacuit, favitque procellis.
Prima ratem Cypros spumantibus accipit undis:
Inde tenens pelagus, sed jam moderatior, Eurus
In Libycas egit sedes et castra Catonis.
120 Tristis, ut in multo mens est praesaga timore,
Aspexit patrios comites a littore Magnus,
Et fratrem: medias praeceps tunc fertur in undas.
Dic, ubi sit, germane, parens: stat summa caputque
Orbis? an occidimus, Romanaque Magnus ad umbras

109. obdu*x*it, a. b. c. d. 110. cavernis, *i* correcta, c. 112. luctu*s*, d. 115. faciens, ante *c* aliquid deletum, c. 116. morte, c. d. 117. Ci*p*rus, *u* in membr. erasa, et in marg. man. alia *Cyprus*, c. 121. *Ut vidit* et *vel Adspexit*, a. 122. fratr. *et* med. c. medias, *a* ex *ó* correcta, d. fertur in et *vel fatur in*, a. *ad* und. c. 124. Orbis et *vel Urbis*, a.

vel *cognita fato.* Immo lege *condita mente.*

109. — *caput ferali obducit amictu.*] Omnes fere libri *obduxit*, ut mox *decrevit*, *delituit.*

121. *Aspexit patrios comites a littore Magnus.*] Qui hic *Magnus* vocatur, est Cnaeus Pompejus, Magni filius. Scio equidem vel in Caligulae et Claudii aetate cognomen *Magni* in familia perseverasse. vix tamen crediderim, Nostrum, cum alterum filium, VI, 420, et IX, 85, Sextum praenomine suo vocat, non et hunc itidem Cnaeum appellasse, ne in ambigui vitium incideret. In libris scriptis fere semper *Gnaeus* scribitur, non Cnaeus, et nonnumquam in inscriptionibus: Graecis semper *Γναῖος*, ut Cajus *Γάϊος*: C enim

Abstulit? Haec fatur: quem contra talia frater.
O felix, quem sors alias dispersit in oras,
Quique nefas audis: oculos, germane, nocentes
Spectato genitore fero. non Caesaris armis
Occubuit, dignoque perit auctore ruinae.
Rege sub impuro, Nilotica rura tenente,
Hospitii fretus Superis, et munere tanto
In proavos, cecidit donati victima regni.
Vidi ego magnanimi lacerantes pectora patris:
Nec credens Pharium tantum potuisse tyrannum,

125. *A*stulit haec $\overset{\text{"}}{9}$ (cum?) fatur *quae* contra, c. 126. dispergit, a. oras et *vel undas*, a. 130. *regna*, b. 131. Hospitiis, a. b. c. d.

litera tam ordine quam potestate Graecorum *Γ* olim respondebat. Facile autem fuit librariis *Gnaeus* in *Magnus* commutare. Repone igitur,

Aspexit patrios comites a littore Gnaeus.

et iterum v. 145,

— *cum talia* Gnaeus
Audisset.

Nec duas consonantes metuas, cum Horatius in medio verbo easdem corripuerit, [C. IV, 3, 20.]

Donatura cygni, *si libeat, sonum.*

125. — *Haec fatur: quem contra talia frater.]* Duo ex nostris codices *contra quem.* Repone,

— *haec fatur:* contra cui *talia frater.*

Cui, non *quem:* quippe *contra* adverbium hic est, non praepositio. Noster VIII, 186,

Nostra jubes? dubio contra cui *pectore Magnus.*

Silius II, 495,

Haec satus Alcmena: contra cui *talia virgo.*

126. *O felix, quem sors alias dispersit in oras,]* Corrige *Fors* vel ob illud *Dispersit.* Noster II, 12,

Sive nihil positum est, sed Fors *incerta vagatur.*

131. *Hospitii fretus Superis,]* Omnes fere codices *Hospitiis.* Perperam. *Hospitii Superis*, ut VII, 168, *Scelerum Superos*, et II, 80, *Terribilesque deos scelerum.* Ovid. Met. V, 45,

— *testatus jusque fidemque*
Hospitiique deos.

Digitized by Google

135 Littore Niliaco socerum jam stare putavi.
Sed me nec sanguis, nec tantum vulnera nostri
Affecere senis, quantum gestata per urbes
Ora ducis, quae transfixo sublimia pilo
Vidimus: haec, fama est, oculis victoris iniqui
140 Servari, scelerisque fidem quaesisse tyrannum.
Nam corpus Phariaene canes avidaeque volucres
Distulerint, an furtivus, quem vidimus, ignis
Solverit, ignoro. quaecunque injuria fati
Abstulit hos artus, Superis haec crimina dono:
145 Servata de parte queror. Cum talia Magnus
Audisset: non in gemitus lacrymasque dolorem
Effudit justaque furens pietate profatur:
Praecipitate rates e sicco littore, nautae;
Classis in adversos erumpat remige ventos.
150 Ite, duces, mecum: nunquam civilibus armis
Tanta fuit merces, inhumatos condere manes,
Sanguine semiviri Magnum satiare tyranni.

136. *nec* sang. abest, d. nostri et *vel patris*, a. 137. *u senis*, *s* in membr. erasa, c. urb*em*, a. d. b. *or*b*em*, c. 138. *deformia*, b. c, d. et pro var. lect. a. *sublimia* in marg. man. alia, c. 141. Phari*u*ne c. d. et pro var. lect. a. 147. ferens, c. 150. nusquam, b. d. 152. s'atiare, *atiare* man. alia in membr. erasa, c.

137. — *gestata per urbes*] *Per urbem* MSS. omnes: Alexandria scilicet. Grotius. Immo sunt codices, qui *urbes* habent, et placet. *Per urbes*, usque ad Alexandriam. neque enim Alexandriae hoc actum est, sed Pelusi: quo appulit Pompejus.

140. — *scelerisque fidem quaesisse tyrannum.*] Corrige *scelerique*. Hoc postulat *quaerere* et *invenire*. Livius xxv, 16. *Eum decus eximium egregiumque solatium* suae morti inventurum.

146. — *non in gemitus, la-*

Non ego Pellaeas arces, adytisque retectum
Corpus Alexandri pigra Mareotide mergam?
155 Non mihi Pyramidum tumulis evulsus Amasis,
Atque alii reges Nilo torrente natabunt?
Omnia dent poenas nudo tibi, Magne, sepulcra:
Evolvam busto jam numen gentibus Isin,
Et tectum lino spargam per vulgus Osirim,
160 Et sacer in Magni cineres mactabitur Apis,
Suppositisque Deis uram caput. has mihi poenas
Terra dabit: linquam vacuos cultoribus agros;
Nec, Nilus cui crescat, erit: solusque tenebis
Aegyptum, genitor, populis Superisque fugatis.
165 Dixerat, et classem saevas rapiebat in undas.
Sed Cato laudatam juvenis compescuit iram.
Interea totis, audito funere Magni,
Littoribus sonuit percussus planctibus aether:
Exemploque carens, et nulli cognitus aevo

154. Meotide, c. 155. evulsus, u in membr. erasa, d. Amasis, supra s scripta r, b. 158. Involvam, c. Isim, a. b. c. d. 161. Diis, b. uram, et in marg. man. alia utro, c. 163. tenebis, s ex t man. alia correcta, c. 164. Aegypton, a. 169. et nullo, b.

erymasque dolorem Effudit;] Melius Bersmanni codex *Effundit*, ut mox *profatur*.

161. — *has mihi poenas Terra dabit:]* Repone cum codice regio,

— *has mihi poenas, Terra*, dabis.

Nam et versu proximo, *solusque tenebis Aegyptum, genitor*, plerique codices habent *tenebit*.

165. *Dixerat, et classem saevas rapiebat in undas.]* Cur *saevas undas*, cum *moderatior Eurus v.* 118. jam tum fraternam classem in portum egerat? Romanis, qui, cum caelum servarent, in meridiem se verterent, Eurus sive Oriens a laeva erat, a dextra Occidens. Repone igitur,

Dixerat et classem LAEVAS *rapiebat in undas.*

hoc est, Alexandriam versus, quod comminatus est.

Digitized by Google

170 Luctus erat, mortem populos deflere potentis.
Sed magis, ut visa est lacrymis exhausta, solutas
In vultus effusa comas, Cornelia puppe
Egrediens, rursus geminato verbere plangunt.
Ut primum in sociae pervenit littora terrae,
175 Collegit vestes, miserique insignia Magni,
Armaque, et impressas auro, quas gesserat olim,
Exuvias, pictasque togas, velamina summo
Ter conspecta Jovi, funestoque intulit igni.
Ille fuit miserae Magni cinis. accipit omnis
180 Exemplum pietas, et toto littore busta
Surgunt Thessalicis reddentia manibus ignem.
Sic, ubi depastis submittere gramina campis,
Et renovare parans hybernas Appulus herbas,
Igne fovet terras, simul et Garganus, et arva
185 Vulturis et calidi lucent buceta Matini.
Non tamen ad Magni pervenit gratius umbram,
Omne quod in Superos audet convicia vulgus,
Pompejumque Deis obicit, quam pauca Catonis
Verba, sed a pleno venientia pectore veri.
190 Civis obit, inquit, multo majoribus impar
Nosse modum juris, sed in hoc tamen utilis aevo,
Cui non ulla fuit justi reverentia: salva
Libertate potens, et solus plebe parata
Privatus servire sibi, rectorque Senatus

171. solut*is*, supra *i* scripta *a*, c. 179. miser*i*, d. 180. *e* toto, d. busta, *a* man. sec. in membr. erasa, b. 183. Apulus, a. b. c. d. 186. umbr*as*, a. b. c. 188. D*i*is, b. 190. Civis, *ivis* man. sec. in membr. erasa, b. obiit, d. mult*um*, c. d. 192. *n*ulla, c. d.

192. *Cui non ulla fuit justi reverentia:] Aevo, cui non re-*

Digitized by Google

195 Sed regnantis erat. nil belli jure poposcit:
Quaeque dari voluit, voluit sibi posse negari.
Immodicas possedit opes: sed plura retentis
Intulit: invasit ferrum, sed ponere norat.
Praetulit arma togae: sed pacem armatus amavit.
200 Juvit sumta ducem, juvit dimissa potestas.
Casta domus, luxuque carens, corruptaque nunquam
Fortuna domini. clarum et venerabile nomen
Gentibus, et multum nostrae quod proderat urbi.
Olim vera fides Sylla Marioque receptis
205 Libertatis obit: Pompejo rebus ademto,
Nunc et ficta perit. non jam regnare pudebit:
Nec color imperii, nec frons erit ulla Senatus.
O felix, cui summa dies fuit obvia victo,
Et cui quaerendos Pharium scelus obtulit enses:
210 Forsitan in soceri potuisses vivere regno.
Scire mori, sors prima viris, sed proxima cogi.
Et mihi, si fatis aliena in jura venimus,
Da talem, Fortuna, Jubam: non deprecor hosti

200. sumta et *vel summa*, a. dimissa, et *vel summissa*, man. alia, d. 201. correptaque, c. 202. *lu*men, superne scriptis *no*, a. 203. multum *nomen* quod, et in marg. man. alia *nostri*, c. 206. Et nunc; c. d. 210. potuisset, d. 211. viris *est* sed, d. *et* pr., b. a, supra scripto *sed*. 213. *Fa*talem, d. a, supra *a* scripta *c* man. alia; ita c. quoque, in marg. scriptis man. alia *Fac talem*. *Fac* talem, *ac* in membr. eras. man. alia, b.

verentia justi fuit? utique si de *aevo* hoc diceret, dicendum erat *quo*.

200. *Juvit sumta ducem.* Laudat h. l. Bentl. ad Horat. Carm.

Digitized by Google

Servari, dum me servet cervice recisa.
215 Vocibus his major, quam si Romana sonarent
Rostra ducis laudes, generosam venit ad umbram
Mortis honos. Fremit interea discordia vulgi;
Castrorum bellique piget post funera Magni:
Cum Tarcho in motu linquendi signa Catonis
220 Sustulit; hunc rapta fugientem classe secutus
Littus in extremum, tali Cato voce notavit:
O nunquam pacate Cilix! iterumne rapinas
Vadis in aequoreas? Magnum Fortuna removit:
Jam pelago pirata redis. Tunc respicit omnes
225 In coetu motuque viros: quorum unus aperta
Mente fugae, tali compellat voce regentem:
Nos, Cato, da veniam, Pompejus duxit in arma,
Non belli civilis amor, partesque favore
Fecimus. ille jacet, quem paci praetulit orbis,
230 Causaque nostra perit: patrios permitte penates,
Desertamque domum, dulcesque revisere natos.
Nam quis erit finis, si nec Pharsalia, pugnae,
Nec Pompejus erit? perierunt tempora vitae,
Mors eat in tutum: justas sibi nostra senectus

219. Tarch*on* mot*us* a. b. d. c. *vel Tarchon domitus*, a. 221. voce Cato, c. 222. p*la*cate, superne scripto ab alia manu *pacate*, c. 224. redis et *vel reddit*, a. tu*m*, a. b. c. d. tu*nc* man. sec. c. omnes, *s* man. sec. in membr. erasa, b. 227. Pompe*i*, b. Pomp*eius*, c. 228. favor*e*, c. 232. si no*n*, c.

111, 2, 19, ubi *virum* pro *ducem* legitur. Wzz.

219. *Cum Tarcho in motu linquendi signa Catonis*] Codices nostri *Tarcon motus*, *Tarcon commotus*. Codex Pulmanni, *Tarçon dimotus*.

Digitized by Google

235 Prospiciat flammas. bellum civile sepulcra
Vix ducibus praestare potest. non barbara victos
Regna manent: non Armenium mihi saeva minatur
Aut Scythicum Fortuna jugum: sub jura togati
Civis eo. quisquis Magno vivente secundus,
240 Hic mihi primus erit: sacris praestabitur umbris
Summus honor: dominum, quem clades cogit, habebo:
Nullum, Magne, ducem. te solum in bella secutus,
Post te fata sequar: neque enim sperare secunda
Fas mihi, nec liceat. Fortuna cuncta tenentur
245 Caesaris: Emathium sparsit victoria ferrum.
Clausa fides miseris, et toto solus in orbe est,
Qui velit ac possit victis praestare salutem.
Pompejo, scelus est bellum civile, peremto,
Quo fuerat vivent fides. si publica jura,
250 Si semper patriam sequeris, Cato, signa petamus,
Romanus quae Consul habet. Sic ille profatus
Insiluit puppi, juvenum comitante tumultu.

243. Post *tua*, c. sequor, a. nec enim, c. d. 246. spargit, c. 246. *salus*, *o* supra *a* scripta ab alia manu, c. et in marg. man. sec. *solus*. 250. seq. patr. b. *sequamur*, b. 252. comitate, a.

241. — *dominum*, *quem clades cogit*, *habebo*:] Codex Bersmanni concinnius, *clades quem cogit*.

242. *Nullum, Magne, ducem. te solum in bella secutus, Post te fata sequar*:] Scribe et distingue cum aliis codicibus:

Nullum, Magne, ducem, te solum in bella secutus,
Post TUA *fata sequar.*

Nullum alium ducem post fata tua sequar. Qui vulgo distinguunt, *habebo dominum, nullum, Magne, ducem*, non vident, apostrophen eam ad Magnum in illa distinctione non belle poni, in nostra venuste.

252. *Insiluit puppi*,] Duo ex nostris, *Insiluit puppim*, ut III, 626,

Insiluit, *solo nociturus pondere*, puppem.

Digitized by Google

Actum Romanis fuerat de rebus, et omnis
Indiga servitii fervebat littore plebes:
255 Erupere ducis sacro de pectore voces:
Ergo pari voto gessisti bella, juventus,
Tu quoque pro dominis, et Pompejana fuisti,
Non Romana manus? quod non in regna laboras,
Quod tibi, non ducibus vivis; moriensque quod orbem
260 Acquiris nulli, quod jam tibi vincere tutum est,
Bella fugis, quaerisque jugum cervice vacante,
Et nescis sine rege pati. nunc causa pericli
Digna viris. vestro potuit Pompejus abuti
Sanguine: nunc patriae jugulos ensesque negatis,

253 et 254. versus *Actum—plebes*, non leguntur in a. b. In d, signo quodam adposito, ad marginem scripti sunt. 259. Quid, c. more*risque*, a. b. c. d. 260. Adquiris, a. b. c. d. 261. vaganti, *i* ex *e* correcta, c. vacanti b. a, *i* supra *e* posita. 263. pot. *nostro*, c. pot. vestro, a. b. d. 264. patriae, man. alia in membr. erasa, c.

Ovid. Met. VIII, 142,

— *vix dixerat*, insilit undas.

254. *Indiga servitii fervebat littore plebes:*] *Pubes* repone; ut mox *juventus* et ante *juvenum*. si modo retineas hunc et priorem versum: nam codicum bona pars non agnoscit.

256. *Ergo pari voto gessisti bella, juventus,*] Eodem voto, quo Caesariani, pro domino, non contra dominatum. Grotius. Non *eodem quo Caesariani*, sed eodem inter vos: omnes pari voto, pari animo, eodem studio, omnes pariter.

259. *Quod tibi, non ducibus, vivis; moriensque quod orbem Acquiris nulli,*] Plerique omnes codices recte habent,

Quod tibi, non ducibus, VIVIS MORERISQUE; *quod orbem Acquiris nulli.*

et *bella fugis* per interrogationem effertur.

263. — *vestro potuit*] Codices complures, *potuit vestro*: quo pacto in arsi, majore cum emphasi, erit *potuit*.

Digitized by Google

265 Cum prope libertas. unum Fortuna reliquit
Jam tribus e dominis. pudeat: plus regia Nili
Contulit in leges, et Parthi militis arcus.
Ite, o degeneres, Ptolemaei munus et arma.
Spernite. quis vestras ulla putet esse nocentes
270 Caede manus? credet faciles sibi terga dedisse,
Credet ab Emathiis primos fugisse Philippis.
Vadite securi: meruistis judice vitam
Caesare, non armis, non obsidione subacti.
O famuli turpes, domini post fata prioris
275 Itis ad heredem. cur non majora mereri,
Quam vitam veniamque libet? rapiatur in undas
Infelix Magni conjux, prolesque Metelli:
Ducite Pompejos: Ptolemaei vincite munus.
Nostra quoque inviso quisquis feret ora tyranno,
280 Non parva mercede dabit. sciat ista juventus
Cervicis pretio bene se mea signa secutam.

266. *ex* dom. c. 269. *S*ternite et *vel spernite*, a. b, man. alia, *n*ulla put*at*, c. 274. fata, *c* ante *t* erasa, c. 276. rapietur, d. 277. conj. Magni, a. b. d. 280. sciet, a. c. d. 281. *me sua*, superne scriptis: *se mea*, c. secutam, *a* ex *u* correcta, c.

268. *Ite, o degeneres, Ptolemaei munus et arma Spernite.*] *Spernite*, ajunt Interpretes, *munus Ptolemaei*, hoc est *libertatem* Pompeji nece vobis donatam. Immo ordo est, *ite, o degeneres, munus Ptolemaei*, per epexegesin. Nimirum Ptolemaeus dederat Aegyptias naves, has ipsas quibus tum praeerat Pompejus filius. Vide Caesarem Civil. III, 4, 5. Appianus Civil. II, p. 773. [c. 71.], *Λέγονται καὶ ἐξ Αἰγύπτου νῆες ἑξήκοντα αὐτῷ παραγενέσθαι παρὰ τῶν Αἰγύπτου βασιλέων Κλεοπάτρας τε καὶ τοῦ ἀδελφοῦ, παιδὸς ἔτι ὄντος. ἀλλ' αἵδε μὲν οὐ συνεμάχησαν, οὐδὲ γὰρ τὸ ἄλλο ναυτικὸν, ἀλλ' ἐπ' ἀρχαίας ἐν Κερκύρᾳ κατέμενε.* Dicit, *sexaginta naves a Cleopatra et Ptolemaeo missas, Corcyrae subsedisse.* Has porro a Corcyra Cato in Libyam duxit. Sed Caesar Civil. III, 5, *Naves longas, quarum erant auxilio quinquaginta missae ad Pompejum, quae praelio in Thessalia facto domum redierant.*

Digitized by Google

Quin agite, et magna meritum cum caede parate:
Ignavum scelus est tantum fuga. Dixit, et omnes
Haud aliter medio revocavit ab aequore puppes,
285 Quam simul effetas linquunt examina ceras,
Atque oblita favi non miscent nexibus alas,
Sed sibi quaeque volat, nec jam degustat amarum
Desidiosa thymum: tum, si sonus increpat aeris,
Attonitae posuere fugam, studiumque laboris
290 Florigeri repetunt, et sparsi mellis amorem:
Gaudet in Hyblaeo securus gramine pastor
Divitias servasse casae; sic voce Catonis
Inculcata viris justi patientia martis.
Jamque actu belli non doctas ferre quietem
295 Constituit mentes, serieque agitare laborum.

282. *et* ante v. *magna* abest, b. *mercede*, b. 286. favi et *vel sui*, a. 287. amar*am*, a. 288. *Phrygii* sonus, a. b. d. increpet *heris*, c. 289. posuer*unt*, d. 290. Flori*feri*, a. b. d. c, sed *i* in membr. erasa. 291. Gaudet *et* in, d. 295. seri*em*que, d. c, *r* ex *n* man. alia correcta, et v. *serie* suprascripto.

288. — *tum si sonus increpat aeris,*] Bersmanni duo codices *increpet*. unde acutissimus Heinsius ex codicibus quibusdam adsciscit,

Phrygiis *onus* increpet *aeris*.

Satis quidem bene: sed tamen ut melius sit et praeferendum, quod jam obtinet. Quippe illud *tum si* in comparationibus et usum et dignitatem habet. Noster I, 209, de leone:

— *vasto grave murmur hiatu*
Infremuit: tum *torta levis si lancea Mauri*
Haereat,

Virgil. Georg. III, 83, de equo

— *color deterrimus albis*
Et gilvo: tum si *qua sonum procul arma dedere*.

Porro vides, et *increpat* et *increpet* recte habere; illud ut *dedere*, hoc ut *haereat*. sed par est, ut sibi potius quam aliis similis sit Noster.

289. — *studiumque laboris Florigeri repetunt,*] Quid, an totos flores portant? Repone *Florilegi*; quod occupavit Heinsius ad Silium [XIV, 373.]. Ovid. Met. XV, 366,

— *de putri viscere passim*
Florilegae *nascuntur* apes.

Digitized by Google

Primum littoreis miles lassatur arenis.
Proximus in muros et moenia Cyrenarum
Est labor: exclusus nulla se vindicat ira:
Poenaque de victis sola est vicisse Catoni.
Inde peti placuit Libyci contermina Mauris
Regna Jubae, sed iter mediis Natura negabat
Syrtibus: has audax sperat sibi cedere virtus.
Syrtes vel primam mundo Natura figuram
Cum daret, in dubio pelagi terraeque reliquit.
Nam neque subsedit penitus, quo stagna profundi
Acciperet, nec se defendit ab aequore tellus:
Ambigua sed lege loci jacet invia sedes:
Aequora fracta vadis, abruptaque terra profundo,
Et post multa sonant projecti littora fluctus.
Sic male deseruit, nullosque exegit in usus
Hanc partem Natura sui. vel plenior alto

297. Cire*n*arum, *e* man. alia, c. 299. Penaque, *l* post *P* crasa, c. Caton*is*, d. Caton*em*, supra scripto *Catoni* man. alia, c. 300. Lib*i*cis, d. a, pro var. lect. c, man. secunda. 301. *vet*abat, a. b. d. 302. has et *vel hanc naturam* man. alia, c. *cae*dere, a. 303. *vel*, man. alia insertum. 304. terr. pelagique, c. d. 306. defend*eret* ab aeq. d. 311. pl*a*nior, c.

302. — *has audax sperat sibi cedere virtus.*] *Has*, id est, Syrtes. Quidni recte? Sed codex Cajanus magis magnifice HANC.

— — *sed iter mediis Natura* vetabat
Syrtibus: HANC *audax sperat sibi cedere virtus.*

Major codicum pars *vetabat*, quod fortius est quam *negabat*; ut et *hanc* fortiores viros indicat quam *has*. Sperat virtus Naturam ipsam vincere, hanc ipsam, quae vetat, non *has*, per quas vetat. Sallustius Bello Jug. 1, 79. *Metellus, qui omnia arma, tela, locos, tempora, denique* Naturam ipsam *ceteris imperitantem, industria vicerat.*

311. — *vel plenior alto Olim Syrtis erat pelago,*] Sententia

Digitized by Google

Olim Syrtis erat pelago, penitusque natabat:
Sed rapidus Titan ponto sua lumina pascens
Aequora subduxit zonae vicina perustae:
315 Et nunc pontus adhuc Phoebo siccante repugnat.
Mox ubi damnosum radios admoverit aevum,
Tellus Syrtis erit: nam jam brevis unda superne
Innatat, et late periturum deficit aequor.
Ut primum remis actum mare propulit omne
320 Classis onus, densis fremuit niger imbribus Auster,
In sua regna furens: tentatum classibus aequor
Turbine defendit, longeque a Syrtibus undas
Egit, et illato confregit littore pontum.
Tum quarum recto deprendit carbasa malo

315. repugnet, *e* ex *a* man. alia correcta, c. 316. radiis, c. 317. Tellus Sirtis erit pelago penitusque natabat, Tell. Sirt. erit *non* jam etc. Versus *pelago — erit* punctis notatus est man. alia. *non* (n̄) correctum est, sed in marg. manu prima legitur *nam*, c. 319. — 321. *Ut — aequor*, versus in margine inferiori, signo quodam notati, leguntur, d. protulit, b. 321. tentandum et *vel tentatum*, a. 322. longe a Syrt. b. 323. inlato, c. b, man. sec. ex *l* correxit. 324. Tunc, d. c. quorum, *o* in membr. erasa, b. *recto*, man. alia, deleto v. *rato*, c.

est: vel ab initio Syrtis hic illic extabat et eminebat; vel (quod nunc dicit) tota primum plana erat et aquis tecta; sed eas sol vicinus calore suo subduxit, et terram hic illic nudam reliquit. Quare lege cum Bersmanni codice:

— *sed* planior *alto*
Olim Syrtis erat pelago.

319. *Ut primum remis actum mare*] *Ictum mare* non male MS. P. Grotius. Recte *ictum*. ipsa navis *acta* dicitur, mare *ictum*. Ovid. Heroid. XII, [7.]

Hei mihi, cur umquam juvenilibus acta *lacertis*
Phryxeam petiit Pelias arbor ovem.

Virgilius Aen. V, 198.

— *vastis tremit* ictibus *aerea puppis.*

Ictibus scilicet remorum.

Digitized by Google

325 Eripuit nautis, frustraque rudentibus ausis
Vela negare Noto, spatium vicere carinae,
Atque ultra proram tumuit sinus. omnia si quis
Providus antennae suffixit lintea summae,
Vincitur et nudis avertitur armamentis.
330 Sors melior classi, quae fluctibus incidit altis,
Et certo jactata mari. quaecunque levatae
Arboribus caesis flatum effudere prementem:
Abstulit has ventis liber contraria volvens
Aestus, et obnixum victor detrusit in Austrum.
335 Has vada destituunt, atque interrupta profundo
Terra ferit puppes: dubioque obnoxia fato
Pars sedet una ratis, pars altera pendet in undis.
Tunc magis impactum brevibus mare, terraque saevit

325, ausis, *u* ex *n* correcta, c. 328. ante*mpn*ae, b. ante*mn*ae, d. 329. nudis, *is* ex *u* correctis, c. nudis, superne scripta *u*, a. aver*i*tur, c. *tur* in membr. erasa man. sec. b. 331. mari *est*, c. d. 332. *f*rementem, a. b. d. 333. lib. ventis, a. b. c. d. 334. Post hunc versum sequuntur vs. 427. seqq. *Robora diviciae*; qui desunt versus omnes, ut in editione leguntur, usque ad v. 427. a man. secunda in folio uno cum dimidia parte, inter versum 478 et 479. inserto, scripti sunt, c. Austrum et *vel altum*, a. 337. sedet, *e* ex *i* man. sec. correcta, b. pend*it*, d. p*a*ndet, a. und*as*, a. b. d. *vel undis*, a. 338. brev*ius*, a. b. c. d. *in*pactum *est*, c. sae*pe*, a. b. d.

333. *Abstulit has ventis liber contraria volvens Aestus,*] MS. P. melius:

Abstulit has liber, ventis contraria volvens.

Grotius. Et sic codices nostri universi. Ovid. Metam. VIII, 471.

— — *utque carina,*
Quam ventus ventoque *rapit* contrarius aestus,
Vim geminam sensit.

338. *Tunc magis impactum*

Obvia consurgens: quamvis elisus ab Austro,
Saepe tamen cumulos fluctus non vincit arenae.
Eminet in tergo pelagi procul omnibus arvis,
Inviolatus aqua, sicci jam pulveris agger;
Stant miseri nautae, terraeque haerente carina
Littora nulla vident. sic partem intercipit aequor:
Pars ratium major regimen clavumque secuta est,
Tuta fuga, nautasque loci sortita peritos,
Torpentem Tritonos adit illaesa paludem.
Hanc, ut fama, Deus, quem toto littore pontus
Audit ventosa perflantem murmura concha,
Hanc et Pallas amat: patrio quae vertice nata
Terrarum primam Libyen (nam proxima coelo est,
Ut probat ipse calor) tetigit: stagnique quietae
Vultus vidit aqua, posuitque in margine plantas,
Et se dilecta Tritonida dixit ab unda.
Quam juxta Lethes tacitus praelabitur amnis
Infernis, ut fama, trahens oblivia venis:
Atque insopiti quondam tutela draconis,
Hesperidum pauper spoliatis frondibus hortus.

340. vicit, a. c. 341. *undis*, a. b. d. 345. *melior* et *vel major*, a. 346. fug*ae* et *vel fuget*, a. 347. Triton*is*, suprascripta *o*, a. 350. *e* vertice, b. c. d. 355. Leth*on*, a. b. 356. venis et *vel ripis*, a. b. c.

brevibus mare, terraque saevit] Manuscriptus *saepe*. Forte legendum,

Tunc magis INCERTUM BREVIUS *mare, terraque* LAEDAT
Obvia consurgens.

Brevius mare, vadosius.

349. *Audit ventosa perflantem murmura concha.]* Nic. Heinsius corrigit *marmora*. Non audio. Quale enim esset, *pontus* audit perflantem *marmora*, id est, *pontum?* Repone,

— *ventosa* PROflantem *murmura concha.*

Murmura tubae, *conchae*, passim.

Digitized by Google

Invidus, annoso famam qui derogat aevo,
360 Qui vates ad vera vocat. fuit aurea silva,
Divitiisque graves et fulvo germine rami,
Virgineusque chorus, nitidi custodia luci,
Et nunquam somno damnatus lumina serpens,
Robora complexus rutilo curvata metallo.
365 Abstulit arboribus pretium, nemorique laborem
Alcides: passusque inopes sine pondere ramos,
Retulit Argolico fulgentia poma tyranno.
His igitur depulsa locis, ejectaque classis
Syrtibus, haud ultra Garamantidas attigit undas:
370 Sed duce Pompejo Libyes melioris in oris
Mansit. at impatiens virtus haerere Catonis,
Audet in ignotas agmen committere gentes,
Armorum fidens, et terra cingere Syrtim.
Haec eadem suadebat hyems, quae clauserat aequor.
375 Et spes imber erat, nimios metuentibus ignes:
Ut neque sole viam, nec duro frigore saevam,
Inde polo Libyes, hinc bruma temperet annus:
Atque ingressurus steriles, sic fatur, arenas.

359. qui famam, a. b. d. derogat, et pro glossa, ut videtur, *vel detrahit*, c. 362. *color* et in marg. *chorus*, c. 369. hau*t*, ut semper, b. 370. Li*bi*ae, a. d. 372. ignotas, *a* ex *o* correcta, c. co*n*-*ting*ere et in marg. man. alia "*committere*, c. 374. hiemps, ita semper, b. c. d. 375. imbr*is*, a. b. c. d. imb*er* suprascriptum, a. *aestus* et *vel ignes*, a. 377. Libye*n*, b. a, *n* superne scripta. Lib*iem* et in marg. man. alia *vel Libies*, c. temper*at*, pro var. lect. a. In b. correcta est *a* in *e*. ann*um*, d. 378. ingressurus, *r* man. alia, d.

359. — *annoso — aevo.*] Laudat locum ob haoc verba Bentl. ad Phaedr. 3, 10, 7. Web.

Digitized by Google

O quibus una salus placuit, mea castra secutis,
Indomita cervice mori, componite mentes
Ad magnum virtutis opus, summosque labores.
Vadimus in campos steriles, exustaque mundi,
Qua nimius Titan, et rarae in fontibus undae,
Siccaque letiferis squalent serpentibus arva,
Durum iter ad leges patriaeque ruentis amorem.
Per mediam Libyen veniant, atque invia tentent,
Si quibus in nullo positum est evadere voto,
Si quibus ire sat est. neque enim mihi fallere quemquam
Est animus, tectoque metu perducere vulgus.
Hi mihi sint comites, quos ipsa pericula ducent,
Qui me teste pati, vel quae tristissima pulcrum
Romanumque putant. at qui sponsore salutis
Miles eget, capiturque animae dulcedine, vadat
Ad dominum meliore via. dum primus arenas
Ingrediar, primusque gradus in pulvere ponam,
Me calor aethereus feriat, mihi plena veneno
Occurrat serpens; fatoque pericula vestra
Praetentate meo: sitiat, quicunque bibentem
Viderit: aut umbras nemorum quicunque petentem,
Aestuet: aut equitem peditum praecedere turmas,
Deficiat; si quo fuerit discrimine notum

379. *signa* secut. b. 386. *Libiam*, c. d. 387. *oppositum*, c. 389. *tectoque*, *t* correcta, c. 390. Post hunc vers. manus alia in marg. vers. 387. *Si — voto* adscripsit, c. 392. qui, post *i* aliquid deletum est, c. 396. aetherius, a. 397. vestrum, a. 398. P*ertemp*tate, d. 400. *Estuat*, c.

386. *Per mediam Libyen veniant,*] Concinnius codex Bersmanni, *Per mediam* veniant Libyen.

Digitized by Google

Dux, an miles eam. serpens, sitis, ardor, arenae,
Dulcia virtuti: gaudet patientia duris.
Laetius est, quoties magno sibi constat, honestum.
405 Sola potest Libye turbam praestare malorum,
Ut deceat fugisse viros. Sic ille calentes
Incendit virtute animos, et amore laborum,
Irreducemque viam deserto limite carpit:
Et sacrum parvo nomen clausura sepulcro,
410 Invasit Libye securi fata Catonis.
Tertia pars rerum Libye, si credere famae
Cuncta velis: at si ventos coelumque sequaris,
Pars erit Europae. nec enim plus littora Nili,
Quam Scythicus Tanais primis a Gadibus absunt:
415 Unde Europa fugit Libyen, et littora flexu
Oceano fecere locum: sed major in unam
Orbis abit Asiam. nam cum communiter istae
Effundant Zephyrum, Boreae latus illa sinistrum
Contingens, dextrumque Noti, discedit in ortus,

403. virtuti, *i* man. alia in membr. erasa, c. 405. pote*s* L. tur*ma*, supra *a* aliquid deletum est, c. Lybi*ae* turb*a*, lineola supra *a* erasa, b. 406. calent*is*, a. *paventes* supra v. *calentes* sine nota tamen scriptum, c. 409. sacr*o*, supra scriptis *um*, a. cl*a*sura, c. 410. L*y*bi*ae*, b. 411. Libye *est*, d. 412. a*ut* si, c. 413. *neque* enim, c. 415. Unde, et *vel Inde*, a. Libye*m*, c. 416. Occeano, supra *o* scriptis *ni*, c. 419. desce*nd*it, a. d. c. *discedit* pro var. lect. a. et in marg. man. alia, c. ortu*m*, b.

405. *Solâ potest Libye turbam praestare malorum, Ut deceat fugisse viros.*] Immo *turba*, ut codices plurimi: et *potes*, ut Bersmanni codex et Academicus,

Sola potes, *Libye*, turba *praestare malorum,*
Ut deceat fugisse viros.

408. *Irreducemque viam*] Hoc et similia dici nostro loco et aliis

420 Eurum sola tenens. Libycae quod fertile terrae est,
Vergit in occasus: sed et haec non fontibus ullis
Solvitur: Arctoos raris Aquilonibus imbres
Accipit, et nostris reficit sua rura serenis.
In nullas vitiatur opes; non aere, nec auro
425 Excoquitur, nullo glebarum crimine, pura
Et penitus terra est. tantum Maurusia genti
Robora divitia, quarum non noverat usum:
Sed citri contenta comis vivebat et umbra.
In nemus ignotum nostrae venere secures:
430 Extremoque epulas mensasque petivimus orbe.
At quaecunque vagam Syrtim complectitur ora,
Sub nimio projecta die, vicina perusti
Aetheris, exurit messes, et pulvere Bacchum
Enecat, et nulla putris radice tenetur.

420. Lybiae, b. Libyes, a. Lybie, c. d. *quod* et *vel illud*, a. 422. *et* ante *haec* abest, d. fontibus, *f* in membr. erasa, d. 423. *jura*, c. 424. *neque*, a. b. d. 425. crim. *dives*, d. b. a, pro var. lect. *vel pura*, b, man. sec. punctis sub v. *dives* positis. 426. *Sic*, superne scripto *Et*, a. 427. Inde ab hoc versu manus scripsit, qua plurima codicis pars scripta est, c. 428. umbr*is*, a. b. c. d. *vel umbra*, a. 429. ignot>, >man. alia in membr. erasa, c. 430. pet*im*us *ab* orbe, b. pe*im*tamus *ab* orbe, c, et in marg. man. alia *petimus pro petivimus*. *ab* orbe, d. 432. *porrecta*, a. d.

probat Bentlej. ad Horat. Carm. II, 13, 17. WEB.

421. — *sed et haec non fontibus ullis Solvitur:*] Repone, *sed et hoc. Quod fertile* terrae est, vergit in occasus; sed et *hoc* sine fontibus est.

427. *Robora divitiae, quarum non noverat usum:*] Corrige *que-*

435 Temperies vitalis abest: et nulla sub illa
Cura Jovis terra est: Natura deside torpet
Orbis, et immotis annum non sentit arenis.
Hoc tam segne solum raras tamen exerit herbas,
Quos Nasamon gens dura legit, qui proxima ponto
440 Nudus rura tenet, quem mundi barbara damnis
Syrtis alit. nam littoreis populator arenis
Imminet, et nulla portus tangente carina,
Novit opes. sic cum toto commercia mundo
Naufragiis Nasamones habent. Hac ire Catonem
445 Dura jubet virtus. illic secura juventus
Ventorum, nullasque timens tellure procellas,
Aequoreus est passa metus. nam littore sicco
Quam pelago Syrtis violentius excipit Austrum,
Et terrae magis ille nocet; non montibus ortum
450 Adversis frangit Libye, scopulisque repulsum
Dissipat, et liquidas e turbine solvit in auras:
Nec ruit in silvas, annosaque robora torquens
Lassatur: patet omne solum, liberque meatu

436. desi*de*, *d* in membr. erasa, c. 437. sensit, *s* ex *t* correcta, b. *h*arenis, *i* man. alia addita, c. 438—441. versus, *Hoc—arenis* in margine inferiori man. alia scripti leguntur, c. raros, c. 441. n*ā*, *a* ex *o* correcta, c. 444. Nasamon*is*, c. hab*et*, b. habent, sed *t* man. alia in membr. erasa correcta, c. *h*'c ire, *c* man. alia in membr. erasa; *vel ire* in marg. manu prima, et *hac ire* manu alia, c. 446. *sentire* proc. b. 447. nam *in* lit. c. 448. *ac*cipit, a. b. c. 449. noce*ns*, d. montib. *illum*, a. b. d. *vel ortum*, a. 450. Liby*ae*, b. revulsum, c. 451. liquido, b. *se* turb. b. d.

rum. *Quorum roborum*, non *quarum divitiarum.*

Digitized by Google

Aeoliam rabiem totis exercet arenis:
455 Et non imbriferam cum torto pulvere nubem
In flexum violentus agit: pars plurima terrae
Tollitur, et nunquam resoluto vertice pendet.
Regna videt pauper Nasamon errantia vento,
Discussasque domos: volitantque a culmine raptae
460 Detecto Garamante casae. non altius ignis
Rapta vehit: quantumque licet consurgere fumo,
Et violare diem, tantum tenet aera pulvis.
Tum quoque Romanum solito violentior agmen
Aggreditur, nullusque potest consistere miles,

454. habenis, a. b, pro var. lect. *vel arenis*, a. 455. *At* non *u*mbriferam, c. *con*torto, a. b. c. d. 456. *max*ima ter. a. c. 460. De*j*ecto, b. c, supra *t* *a* scriptis *iecto*. 462. aer*e*, a. 463. Tu*nc*, a. b. violenti*us*, a. b. d. 464. null*i*sque, b.

455. *Et non imbriferam]* Repone ex plerisque scriptis editisque,

Et non imbriferam contorto *pulvere nubem.*

456. — *pars plurima terrae Tollitur,]* Alii codices *maxima*, quidam *ultima*. Repone *pars* extima *terrae:* ut mox 470,

— imaque tellus *Stat, quia summa fugit.*

Ultra, citra, intra, extra, infra, ultimus, citimus, intimus, extimus, infimus. At in prosa oratione librarii persaepe induxerunt *extremus*, in ligata *ultimus*. Silius VII, 590,

— *nunc* extima *cingens Clausos ipse tenet.*

Ovid. Met. I, 31.

Densior his tellus: elementaque grandia traxit,
Et pressa est gravitate sua: circumfluus humor
Extima *possedit, solidumque coercuit orbem.*

Sic ibi lego, non, ut libri, *Ultima.*

459. — *volitantque a culmine raptae Detecto Garamante casae.]* Redit hoc altero abhinc versu, *non altius ipsis Rapta vehit.* Lege RUPTAE. Seneca Nat. Quaest. p. 664, *Ventus — aedificia tota corripiens in altum* frangit.

463. — *solito violentior]* At jam antea *vs.* 448. de eodem Austro *violentior* habuimus. Repone hic,

Tum quoque Romanum solito TRUCULENTIOR *agmen Aggreditur.*

Digitized by Google

465 Instabilis raptis etiam, quas calcat, arenis.
Concuteret terras, orbemque a sede moveret,
Si solida Libye compage, et pondere duro
Clauderet exesis Austrum scopulosa cavernis:
Sed quia mobilibus facilis turbatur arenis,
470 Nusquam luctando stabilis manet: imaque tellus
Stat, quia summa fugit. galeas et scuta virorum,
Pilaque contorsit violento spiritus actu,
Intentusque tulit magni per inania coeli.
Illud in externa forsan longeque remota
475 Prodigium tellure fuit: delapsaque coelo
Arma timent gentes, hominumque erepta lacertis
A Superis demissa putant. sic illa profecto
Sacrifico cecidere Numae, quae lecta juventus
Patricia cervice movet: spoliaverat Auster
480 Aut Boreas populos, ancilia nostra ferentes.
Sic orbem torquente Noto Romana juventus
Procubuit, metuensque rapi constrinxit amictus,

465. *harenis*, *i* ex *a* correcta, c. 468. scopulosa, *losa* ex *la* man. alia correxit, b. 474. ext*rema*, a. b. c. d. 475. d*i*lapsaque, c. 476. erepta, ab alia manu additum, c. 477. d*i*missa, a. b. c. d. *vel demissa*, a. putent, c. 478. l*a*eta, a. b. Post hunc versum sequitur versus 482. *Procubuit* —; sed alia manus vulgarem versuum ordinem punctis appositis indicavit, c. 479. *timi*ce, supra positis *cervi*, c. Idem versus man. alia in marg. post v. 478. *Sacrifico* scriptus est, ubi legitur *cervice*, c. 482. Procub. *timuit*que *mori* constringit am. c. amict*um*, b.

Claudianus Rapt. Proserp. II, 308,
— *quantas* truculentior Auster
Decutit arboribus frondes.

Digitized by Google

Inseruitque manus terrae: nec pondere solo,
Sed nixu jacuit, vix sic immobilis Austro,
485 Qui super ingentes cumulos involvit arenae,
Atque operit tellure viros. vix tollere miles
Membra valet, multo congestu pulveris haerens.
Alligat et stantes affusae magnus arenae
Agger, et immoti terra surgente tenentur.
490 Saxa tulit penitus discussis proruta muris,
Effuditque procul miranda sorte malorum:
Qui nullas videre domos, videre ruinas.
Jamque iter omne latet: nec sunt discrimina terrae
Ulla, nisi aetheriae medio velut aequore flammae.
495 Sideribus novere vias: nec sidera tota

484. nisu, a. b. c. d. 485. Qui, antea *Quod* fuisse videtur, c. ingent*is*, d. 487. *et* multo, c. 488. affusae et *vel affixus*, a. magnus, *gn* ex *n* man. alia correctis, c. 490. proruta, ante *t* aliquid deletum est, d. 491. miranda et in marg. man. alia *miseranda*, c. 494. Nulla, c. medio aethereae, b. aequore, *uore* man. alia, c. 495. novere, *v* correcta, c. via*m*, a. b. c. d.

487. — *vix tollere miles Membra valet, multo congestu pulveris haerens.*] Corrige,

— multi *congestu pulveris haerens.*

490. *Saxa tulit penitus*] Hic versus et duo sequentes videntur spurii esse: certe nullo modo huc pertinent. *Saxa tulit?* quis tulit? *Auster*, *Notus*, *ventus*, *spiritus?* Atqui tot alia intervenerunt, ut istud nomen exprimendum hic fuerit, non subaudiendum. *Saxa discussis muris proruta.* Qui muri? cum nihil hic esset praeter *casas et mapalia culmo congesto*, quae jam pridem ventus discusserat, *vs.* 459,

Discussasque domos: volitantque a culmine raptae
Detecto Garamante casae.

Postremo de *arena* hic agitur, non de *saxis:* et hoc tristicho sublato, cetera longe aptius conjunguntur,

Alligat et stantes affusae magnus arenae
Agger: et immoti terra surgente tenentur.
Jamque iter omne latet.

Arena scilicet contectum et confusum.

Digitized by Google

Ostendit Libycae finitor circulus orae,
Multaque devexo terrarum margine celat.
Utque calor solvit, quem torserat aera, ventus
Incensusque dies, manant sudoribus artus:
500 Arent ora siti: conspecta est parva maligna
Unda procul vena: quam vix e pulvere miles
Corripiens, patulum galeae confudit in orbem,
Porrexitque duci. squalebant pulvere fauces
Cunctorum: minimumque tenens dux ipse liquoris

498. solvit, superne scripto *solis* man. alia, c. ventus et *ventu*, c. 499. *Exarsit*que dies, d. Versus abest a Cod. c, cujus tamen loco haec leguntur: *Exarsitque dies ♯ jam mundi spissior ignis Jam plaga quam nullam Superi mortalibus ultra A medio fecere die calcatur et humor In nothon omnis abit ♯ manant sudoribus artus.* Ad marg. manus alia scripsit v. *vacat* ad hos ipsos versus fortasse pertinens. 500. conspectaq;, superne scripto *est* man. alia, c. 501. *in* pulv. c. 504. *nimi*umque, d. *ferens*, c.

496. — *Libycae finitor circulus orae.*] Seneca Nat. Quaest. v, 17, *His sextus circulus accedit, qui superiorem partem mundi ab inferiore secernit. hunc lineam, quae inter aperta et occulta est, Graeci ὁρίζοντα vocant, nostri* finitorem *dixere, alii* finientem.

499. *Incensusque dies,*] Versus hic aliquos omisimus inepte ex loco inferiore repetitos: qui et in MS. deerant. Grotius. Versus omissi, qui in prioribus editionibus et nonnullis scriptis comparent, hi sunt,

Incensusque dies. Jam mundi spissior ignis,
Jam plaga, quam nullam superi mortalibus ultra
A medio fecere die, calcatur: et humor
In Noton omnis abit. *manant sudoribus artus.*

Vide infra *vs.* 604. Ceterum plures codices, non *Incensus*, sed *Exarsitque dies.*

501. — *quam vix e pulvere miles Corripiens, patulum galeae confudit in orbem.*] Pro *Corripiens* nonnulli codices *Sustulit et*: alii, teste Heinsio ad Claudianum, *Convexae.* Unus ex nostris pro varia lectione, *Contulit et*; unus, *In pulvere*; et *galeae* nostri universi. Legerim,
— *quam vix* cum *pulvere miles*
Corripiens, patulum galeae *confudit in orbem.*

Digitized by Google

505 Invidiosus erat. mene, inquit, degener unum
Miles in hac turba vacuum virtute putasti?
Usque adeo mollis, primisque caloribus impar
Sum visus? quanto poena tu dignior ista,
Qui populo sitiente bibas! sic concitus ira
510 Excussit galeam, suffecitque omnibus unda.
Ventum erat ad templum, Libycis quod gentibus unum
Inculti Garamantes habent: stat corniger illic
Jupiter, ut memorant, sed non aut fulmina vibrans,
Aut similis nostro, sed tortis cornibus Ammon.
515 Non illic Libycae posuerunt ditia gentes
Templa: nec Eois splendent donaria gemmis.
Quamvis Aethiopum populis, Arabumque beatis
Gentibus, atque Indis unus sit Jupiter Ammon,
Pauper adhuc Deus est, nullis violata per aevum
520 Divitiis delubra tenens; morumque priorum

508. poena *es* tu, d. *es tu* poena, c. 509. ira, *r* ex *t* correcta, c. 510. que in *suffecitque* man. alia auditum, c. 513. Juppiter, ita semper, b. d. vibra*t*, a. b. d. *vel vibrans*, a. 514. *H*ammon, a. b. c. 516. ne*que*, d. *etatis*, superne scripto *eois*, c. *alt*aria, c. a, pro var. lect. *vel donaria*, c. 518. *aut* Ind. c. *sit* supra v. unus scriptum, c. 520. morumque, superne scriptis *rem*, c. priorum *est*, d.

Cum pulvere, ut ostendat, non liquidam, sed pulvere turbatam fuisse.

512. — *stat corniger illic Jupiter,*] Quomodo *corniger*, cum mox addat, *sed tortis cornibus Ammon?* Lege ex Isaaci Vossii codice,

— *stat* CERTIOR *illic Jupiter, ut memorant.*

Certior, ob summam ejus oraculi fidem et existimationem. Noster VI, 813,

— *tibi* certior *omnia vates*
Ipse canet, Siculis genitor Pompejus in oris.

Vide ipsum Vossium ad Melam [p. 587. Gronov.].

Digitized by Google

Numen Romano templum defendit ab auro.
Esse locis Superos testatur silva per omnem
Sola virens Libyen. nam quicquid pulvere sicco
Separat ardentem tepida Berenicida Lepti,
Ignorat frondes: solus nemus extulit Ammon.
Silvarum fons causa loco, qui putria terrae
Alligat, et domitas unda connectit arenas.
Sic quoque nil obstat Phoebo, cum cardine summo
Stat librata dies: truncum vix protegit arbor:
Tam brevis in medium radiis compellitur umbra.
Deprensum est hunc esse locum, qua circulus alti
Solstitii medium signorum percutit orbem.
Non obliqua meant, nec Tauro Scorpius exit
Rectior, aut Aries donat sua tempora Librae,
Aut Astraea jubet lentos descendere Pisces.
Par Geminis Chiron, et idem quod Carcinos ardens
Humidus Aegoceros: nec plus Leo tollitur Urna.
At tibi, quaecunque es Libyco gens igne diremta,

522. *orbem*, c. 524. Leppo, c. 525. *abstulit*, a. b. c. d. 528. *Hic* quoque, a. b. c. d. 530. "*radiis* comp. *unda*, et in marg. "*radiis complectitur umbra*, c. 532. *Volvitur oceani* medium etc. supra v. *volvitur* et in margine scripto *Solsticii*, c. 536. *et* abest, a. *itidem*, d. *carchinus*, d. b. c, ex *os* correctum. 538. *ASti*bi, c. direpta, b. d. dirempta, c.

525. — *solus nemus extulit Ammon.*] Male libri *abstulit*, aut *attulit*. Sola Ammonitis arbores erigit. Grotius. Immo, pace magni viri, longe elegantius scripti *abstulit*, quam correctores *extulit*. *Abstulit*, quia solus habet, reliqua regio minime. Catullus, [86, 6]

Omnibus una omnes surripuit veneres.

526. — *fons — qui putria terrae Alligat,*] Seneca Epist. 55, *Longior tranquillitas solvit, cum arenis, quae humore* alligantur, *succus abscessit.*

538. *At tibi, quaecunque es*]

Digitized by Google

In Noton umbra cadit, quae nobis exit in Arcton.
540 Te segnis Cynosura subit: tu sicca profundo
Mergi plaustra putas, nullumque in vertice semper
Sidus habes immune maris, procul axis uterque est,
Et fuga signorum medio rapit omnia coelo.
Stabant ante fores populi, quos miserat Eos,
545 Cornigerique Jovis monitu nova fata petebant:
Sed Latio cessere duci: comitesque Catonem
Orant, exploret Libycum memorata per orbem
Numina, de fama tam longi judicet aevi.
Maximus hortator scrutandi voce Deorum

539. Not*um*, b. *ad* Arct. superne scripto *in*, a. 540. *s*ignis, videtur correctum man. alia, b. 541. semper, et in marg. man. alia *summo*, c, quod legitur in d. 542. mar*i*, a. b. c. d. *est* non legitur in c. 544. Eo*us*, c.

ita dici ex nostro et aliis locis probat Bentl. ad Horat. Epod. 15, 17. Web.

541. — *nullumque in vertice semper Sidus habet immune maris,*] Repone quod plures codices praeferunt,

— *nullumque in vertice* SUMMO.

Vertice summo, hoc est, polo Arctico. at *semper* prorsus otiosum est. Colurum intelligit per Cancrum et Capricornum transeuntem, et medium signorum orbem, Eclipticam. Ergo ponit Ammonem sub Aequinoctiali, ut Silius III, 654,

Ad finem caeli *medio tenduntur ab orbe*
Squalentes campi.

545. *Cornigerique Jovis monitu nova fata petebant:*] Ferri haec possunt. Ovid. Met. XIII, 216,

Ecce Jovis monitu, *deceptus imagine somni,*
Rex jubet inceptam curam dimittere belli.

Heroid. XVI, [17.]

Namque ego divino monitu, *ne nescia pecces,*
Advehor.

Si igitur *monitu* legas, haec erit sententia: Ammonem eos domi per visum, per somnium monuisse, ut oracula sua consultum irent. Atqui hoc absurdum est. Sed credo a Poeta profectum esse,

Cornigerique Jovis monitus, *nova fata, petebant.*

Monitus, responsa. Virgil. VII, 92,

Hic et tum pater ipse petens responsa *Latinus.*

et 102,

Haec responsa *patris Fauni* monitusque *silenti*
Nocte datos.

Digitized by Google

550 Eventus Labienus erat. sors obtulit, inquit,
Et fortuna viae, tam magni numinis ora,
Consiliumque Dei: tanto duce possumus uti
Per Syrtes, bellique datos cognoscere casus.
Nam cui crediderim Superos arcana daturos,
555 Dicturosque magis, quam sancto vera Catoni?
Certe vita tibi semper directa supernas
Ad leges, sequerisque Deum. datur ecce loquendi
Cum Jove libertas: inquire in fata nefandi
Caesaris, et patriae venturos excute mores:
560 Jure suo populis uti, legumque licebit,
An bellum civile perit. tua pectora sacra
Voce reple: durae saltem virtutis amator

550. Labienus, *us* man. alia correctae, et in marg. man. alia *Labienus*, c. *Fors*, c. 555. Catoni, post *i* aliquid deletum est, c. 557. sequerisque, ex *sequensque* correctum, c. 558. inquire in et *vel inquirere*, a. 559. excute, quod quia in textu non satis apparet, in marg. ab alia manu repetitum est, c. 562. *saltim* et in marg. man. alia *semper vel saltem*, c.

Silius I, 153,

— poscens responsa *sacerdos*.

Certe *monitus* potius, quam unum *monitum*, cum tot populi prae foribus starent. *Nova fata* per epexegesim. Ammonis responsa nova fata sunt; quasi, quod de Delphico deo dicit, v, 92,

Sive canit fatum, *seu quod jubet ipse canendo*
Fit fatum.

Virgilius [Aen.] x, 35. de Jove,

— *cur nunc tua quisquam*
Flectere jussa potest, aut cur nova *condere* fata?

Ovid. Metam. XI, 759, de Aesaco in mergum transformato,

Qui nisi sensisset prima nova fata *juventa*.

553. — *bellique datos cognoscere casus.*] Codex ex nostris unus, *bellisque*, ut supra, 84, *Tu pete bellorum casus*. Si *belli* mavis, tum lege,

— *bellique* ratos *cognoscere casus*.

Digitized by Google

Quaere quid est virtus, et posce exemplar honesti.
Ille deo plenus, tacita quem mente gerebat,
565 Effudit dignas adytis e pectore voces.
Quid quaeri, Labiene, jubes? an liber in armis
Occubuisse velim potius, quam regna videre?
An sit vita nihil, sed longam differat aetas?
An noceat vis ulla bono? Fortunaque perdat
570 Opposita virtute minas? laudandaque velle
Sit satis, et nunquam successu crescat honestum?
Scimus, et hoc nobis non altius inseret Ammon.
Haeremus cuncti Superis, temploque tacente
Nil facimus non sponte Dei: nec vocibus ullis
575 Numen eget: dixitque semel nascentibus auctor,
Quicquid scire licet: steriles nec legit arenas,

564. quem, man. alia; a prima manu *quae* fuisse videtur vel *quas*, c. 565. *de* pect. c. 568. *et*, d. *sed* et *vel nisi*, a. longa, c. longa *an*, a. b. d. deferat et ad marg. manu alia "*an differat*, c. a. 569. bono et *vel bonis*, *vel bonum*, a. perdet, a. 572. haec nobis, a. b. 573. tancente, c. 574. Nil, man. alia in membr. erasa, ad marg. man. prima "*Nil*, c. agimus, b. 575. egit, c. 576. sterilesne, a. d. elegit, a. c.

563. — *et posce exemplar honesti.*] Tacitus Annal. XVI, 32, *Ignatius Stoicus ad exprimendam* imaginem honesti exercitus, *ceterum animo perfidiosus.*

568. *An sit vita nihil, sed longam differat aetas?*] Seneca Nat. Quaest. VI. sub finem, *Quae omnia feres constanter, si cogitaveris nihil interesse inter exiguum tempus ac longum.* Epist. 70, *Praeterea, quemadmodum non utique melior est longior vita, sic pejor utique mors longior.* De vita beata c. 21, *Ille philosophiae studiosus — inter longius tempus et brevius nihil intereste judicat.*

571. — *successu crescat honestum?*] Seneca Epist. p. 313, *Scit tempore honesta non crescere.*

Digitized by Google

Ut caneret paucis, mersitque hoc pulvere verum:
Estne Dei sedes nisi terra, et pontus, et aer,
Et coelum, et virtus? Superos quid quaerimus ultra?
580 Jupiter est quodcunque vides, quocunque moveris.
Sortilegis egeant dubii, semperque futuris
Casibus ancipites: me non oracula certum,
Sed mors certa facit: pavido fortique cadendum est.
Hoc satis est dixisse Jovem. Sic ille profatur:
585 Servataque fide templi discedit ab aris,
Non exploratum populis Ammona relinquens.
Ipse manu sua pila gerens, praecedit anheli
Militis ora pedes: monstrat tolerare labores,
Non jubet: et nulla vehitur cervice supinus,
590 Carpentove sedens. somni parcissimus ipse est,
Ultimus haustor aquae. cum tandem, fonte reperto,
Indiga cogatur latices potare juventus,

577. Ut, post *t* aliquid deletum est, c. *hoc* abest, d. in c. inter lineas scriptum. 578. Est*que*, a. b. c. d. *et* pont. *et* abest, a. 579. que*r*imur, a. 580. quo*d*cunque mov. b. c. d. In c. *quo*cunque man. alia inter lineas scripsit. 581. dubii, post *i* aliquid deletum, c. 584. profatu*s*, a. b. c. 585. discessit, b. 587. ger*it*, c. d. *ten*ens, b. 588. *vap*ores, b. a, pro var. lect. 589. vegitur, d. 590. Carpento*que*, a. b. c. d. 592. Indi*g*a, *g* ex *d* man. alia correcta, c. la*c*ies, superne scripto *hunc*, et in marg. man. alia *latices*, c. portare, a. b, man. prima. *vel potare*, a.

580. *Jupiter est quodcunque vides.*] Seneca Nat. Quaest. p. 629, *Quid est deus? quod vides.*

Digitized by Google

Stat, dum lixa bibat. Si veris magna paratur
Fama bonis, et si successu nuda remoto
595 Inspicitur virtus, quicquid laudamus in ullo
Majorum, fortuna fuit. quis marte secundo,
Quis tantum meruit populorum sanguine nomen?
Hunc ego per Syrtes, Libyaeque extrema triumphum
Ducere maluerim, quam ter Capitolia curru
600 Scandere Pompeji; quam frangere colla Jugurthae.
Ecce parens verus patriae, dignissimus aris,
Roma, tuis; per quem nunquam jurare pudebit,
Et quem, si steteris unquam cervice soluta,
Tunc olim factura Deum. Jam spissior ignis,
605 Et plaga, quam nullam Superi mortalibus ultra
A medio fecere die, calcatur, et unda
Rarior: inventus mediis fons unus arenis,
Largus aquae: sed quem serpentum turba tenebat,
Vix capiente loco. stabant in margine siccae
610 Aspides, in mediis sitiebant Dipsades undis.
Ductor, ut aspexit perituros fonte relicto,
Alloquitur: Vana specie conterrite leti,

595. illo, a. d. *vel ullo*, a. ull*um*, supra scripta *o* man. alia, c. 603. si *sti*>*lis* unq. ante *u* aliquid deletum, et in marg. *steteris*, c. 604. *H*unc, a. b. c. d. Deum *es*, b. in c. man. alia additum. 605. Sup. nullam, c. 610. Dipsades, *ps* man. alia in membr. erasa, b.

605. — *quam nullam Superi mortalibus ultra A medio fecere die,]* Lege ex manuscriptis *qua. Ultra,* id est ulteriorem. sic *vs.* 766,

— *sed* qua *non ulla cruentae*
Tantum mortis habet.

Tantum, id est plus. Plin. xxx, 6, *Picturae*, *quibus equidem nullas* aeque *demiror tum longo aevo durantes.* aeque, id est, magis.

Digitized by Google

Ne dubita, miles, tutos haurire liquores:
Noxia serpentum est admisto sanguine pestis:
615 Morsu virus habent, et fatum dente minantur:
Pocula morte carent. dixit; dubiumque venenum
Hausit: et in tota Libyae fons unus arena
Ille fuit, de quo primus sibi posceret undam.
Cur Libycus tantis exundet pestibus aer,
620 Fertilis in mortes, aut quid secreta nocenti
Miscuerit natura solo, non cura laborque
Noster scire valet: nisi quod vulgata per orbem
Fabula pro vera decepit secula causa.
Finibus extremis Libyes, ubi fervida tellus
625 Accipit Oceanum, demisso sole calentem,
Squalebant late Phorcynidos arva Medusae,
Non nemorum protecta coma, non mollia sulco,
Sed dominae vultu conspectis aspera saxis.
Hoc primum natura nocens in corpore saevas

613. N*on* dub., c. tut. miles, a. 614. *e*misso, et in marg. man. alia *admixto*, c. 615. *in* dente, d. 617. Lib*ies*, a. b. 618. posce*rat*, d. 619. ex*u*det, a. c, qui in marg. man. alia *exundet* addit. 620. noce*ndi*, c, adscripta *t* man. alia. 624. *nisi* pro *ubi*, c. 625. d*i*misso, b. 626. Phorc*i*nidos, b. d. c. 627. succo, a. suco, b, ante c aliquid deletum est. 629. *pote*ns, et *vel nocens*, a.

615. *Morsu virus habent, et fatum dente minantur:*] Elegantiorem tibi praesto lectionem ex diversis codicibus hinc inde erutam,

Morsu virus habent, FATUMQUE IN *dente* MINATUR.

Codex Academicus *fatumque*, omnes vero *minatur*. *In dente minatur* autem codex Cajanus et collegii Trinitatis. Vides ut concinne omnia procedunt eodem casu recto, *pestis*, *fatum*, *pocula*. Noster VIII, 305,

Vulnera parva nocent, fatumque *in sanguine summo est.*

Digitized by Google

630 Eduxit pestes: illis è faucibus angues
Stridula fuderunt vibratis sibila linguis,
Femineae qui more comae, per terga soluti,
Ipsa flagellabant gaudentis colla Medusae,
Surgunt adversa subrectae fronte colubrae,
635 Vipereumque fluit, depexo crine, venenum.
Hoc habet infelix, cunctis impune, Medusa,
Quod spectare licet. nam rictus oraque monstri
Quis timuit? quem, qui recto se lumine vidit,
Passa Medusa mori est? rapuit dubitantia fata,
640 Praevenitque metus: anima periere retenta
Membra, nec emissae riguere sub ossibus umbrae.
Eumenidum crines solos movere furores:
Cerberus Orpheo lenivit sibila cantu:
Amphitryoniades vidit, cum vinceret, Hydram:
645 Hoc monstrum timuit genitor, numenque secundum
Phorcus aquis, Cetosque parens, ipsaeque sorores

631. vibr. fuderunt, d. 632. Femineo, d. b. cui, a. b. d. c, superne scripto *qui* man. alia. solut*ae*, b. c. d. 633. gaudentes et *vel gaudentis*, a. 634. subrectae, *b* ex *r* man. alia correcta, b. c. 635. crine, *i* ex *e* man. al. correcta, b. 636. cunctis*que* imp. *resolvit*, et in marg. *Medusa* sine nota, c. 637. rictus, *r.* man. alia correxit, c. 638. videt se lum. recto, c. *si*, d. b, prima manu. 639. *morien*tia, c. 640. Pervenitque, c. prima manu. 641. Membra, correctum man. alia, c. 643. len*uit*, b. 645. nu*nquam*que, et in marg. *'numen*, c. 646. Cetoque, a. b, sed antea *Cetosque*. parens *"monā*, et ad marg. *ipsaeque*, c.

636. *Hoc habet infelix, cunctis impune, Medusa, Quod spectare licet.*] Hoc unum est Medusae, quod impune spectatur. Crinis scilicet. nam vultum nemo impune aspexerit. GROTIUS. Non capit vir magnus sententiae acumen. In eo infelix est Me-

Gorgones: hoc potuit coelo pelagoque minari
Torporem insolitum, mundoque obducere terram.
E coelo volucres subito cum pondere lapsae:
650 In scopulis haesere ferae: vicina colentes
Aethiopum totae riguerunt marmore gentes.
Nullum animal visus patiens, ipsique retrorsum
Effusi faciem vitabant Gorgonis angues.
Illa sub Hesperiis stantem Titana columnis
655 In cautes Atlanta dedit: coeloque timente
Olim Phlegraeo stantes serpente gigantes,
Erexit montes, bellumque immane Deorum
Pallados e medio confecit pectore Gorgon.
Quo postquam partu Danaes, et divite nimbo
660 Ortum, Parrhasiae vexerunt Persea pennae
Arcados auctoris citharae, liquidaeque palaestrae,
Et subitus praepes Cyllenida sustulit harpen,

647. pelag. coeloque, a. d. 648. *a*bducere, a. b. c. d. *t*ᵛ*r*ᵛ*a* (terram), sed *a* man. alia in membr. erasa, b. 652. visu*m*, d. visus *est* pat. a. 653. Gorgones, *i* supra *e* man. alia scripta, c. Gorgonos, a. 654. I*p*sa, a. c. 655. A*th*alanta, c. b. 656. Phlegreos, a. b. c. *vel Phlegraeo*, a. gigantas, d. 657. *Vertit in hos* mont. a. d. *vel erexit montes*, a. *Verterat in* mont. c. 659. Danes, c. b. Danais, d. a, supra scripta *a*. 660. Par*th*asiae, d. Parasiae et in marg. manu alia *Pharsariae*, c. 661. *a*uteris, c.

dusa, quod cuivis licet spectare eam impune. Qui vero *impune?* nempe eodem ictu, eodem articulo, in saxum vertitur spectator, sine metu, sine dolore, sine ullo mortis sensu. Hoc posunt et probant, quae mox sequuntur. Seneca Nat. Quaest. IV, cap. ultimo, de homine fulgurito: *Sed non erit cogitationi locus. casus iste donat metum. nemo unquam fulsen timuit, nisi qui effugit.*

653. —*Gorgonis angues.*] Recte codex Academicus, *Gorgonos*. Atquo ita infra vs. 668.

Harpen alterius monstri jam caede rubentem,
A Jove dilectae fuso custode juvencae:
665 Auxilium volucri Pallas tulit innuba fratri,
Pacta caput monstri: terraeque in fine Libyssae
Persea Phoebeos converti jussit ad ortus,
Gorgonis averso sulcantem regna volatu:
Et clypeum laevae fulvo dedit aere nitentem,
670 In quo saxificam jussit spectare Medusam,
Quam sopor, aeternam tracturus morte quietem,
Obruit haud totam. vigilat pars magna comarum,
Defenduntque caput protenti crinibus hydri:
Pars jacet in medios vultus, oculique tenebras.
675 Ipsa regit trepidum Pallas, dextraque tremente
Perseos aversi Cyllenida dirigit harpen,
Lata colubriferi rumpens confinia colli.

663. *A*rpen *et* alt. c. *monstri*, man. alia additum, d. 664. dic*tae*, superne scripto *lectae*, c. fuso, supra scripto *caeso*, a. 665. volucri, post *i* aliquid deletum est, c. 668. Gorgon*es*, c. Gorgonos, a. d. adverso, c. 669. dedit *he* nit. c. 672. totam, *e* in membr. erasa, c. 673. Defend*it*que, c. protec*tis*, d. protent*is*, a. 675. Pall. trepidum, a. trementem, d. 676. dir*ŭ*pit, supra posito *rigit*, c. 677. *Jacta* colit, e.

668. *Gorgonis averso sulcantem regna volatu:]* Ovidius Trist. III, 3, [7.]

Ut tenera nostris cedente volatibus *aura.*

675. *dextraque tremente Perseos aversi Cyllenida dirigit harpen,]* Ovid. Met. V, 176,

Brachia tendentem Cyllenide *confodit* harpe.

et VIII, 511,

— *dixit* dextraque aversa trementi
Funereum torrem medios conjecit in ignes.

XII, 606, Apollo Paridis

Certaque letifera direxit *spicula* dextra.

677. *Lata colubriferi rum-*

Quos habuit vultus lunati vulnere ferri
Caesa caput Gorgon! quanto spirasse veneno
680 Ora rear! quantumque oculos effundere mortis!
Nec Pallas spectare potest: vultusque gelassent
Perseos adversi, si non Tritonia densos
Sparsisset crines, texissetque ora colubris.
Aliger in coelum sic rapta Gorgone fugit.
685 Ille quidem pensabat iter, propiusque secabat
Aethera, si medias Europae scinderet urbes;
Pallas frugiferas jussit non laedere terras,
Et parci populis. quis enim non praepete tanto
Aethera respiceret? Zephyro convertitur ales,
690 Itque super Libyen, quae, nullo consita cultu,
Sideribus Phoeboque vacat: premit orbita solis
Exuritque solum: nec terra celsior ulla
Nox cadit in coelum, lunaeque meatibus obstat,
Si flexus obliti vagi per recta cucurrit

678. *ham*ati, c. a, qui addit: *vel limati*, et glossam *i. e. falcati*. 679. spir*are*, b. 680. reor, a. b. 682. *a*versi, a. b. c. d. Triton*ida*, b. denses, supra scripta *o*, c. 684. versus sequitur post versum 685, a. rapt. sic, d. 685. propiusque, *ius* in membr. erasa man. alia, b. secabat, supra scriptis *ret* man. alia, c. d. 686. Aera, b. c. d. a, qui *aere* quoque habet. urbes, *u* ex *o* correcta, c. 687. frugiferas, *g* man. alia addita, d. laedere, *e* man. alia correcta, c. 689. *pro*spiceret, a. d. *con*spiceret, c. zeph*i*ro, post *o* aliquid deletum, b. 690. consita, *s* ex *c* correcta, c. 691. vacat *et* pr. c.

pens confinia colli.] Ovid. Metam. v, 240,

Terva colubriferi *superavit lumina* monstri.

678. — *lunati vulnere ferri]* Ita MSS. Harpes descriptio, quae falcata. Grotius. Arripuit hoc, credo, vir magnus ex solo Bersmanni codice, qui *lunati* habet.

Digitized by Google

695 Signa, nec in Boream, aut in Notoa effugit umbram.
Illa tamen sterilis tellus, fecundaque nulli
Arva bono, virus stillantis tabe Medusae
Concipiunt, dirosque fero de sanguine rores,
Quos calor adjuvit, putrique incoxit arenae.
700 Hic, quae prima caput movit de pulvere tabes,
Aspida somniferam tumida cervice levavit.
Plenior huic sanguis, et crassi gutta veneni
Decidit: in nulla plus est serpente coactum.
Ipsa caloris egens gelidum non transit in orbem
705 Sponte sua, Niloque tenus metitur arenas.
Sed quis erit nobis lucri pudor? inde petuntur
Huc Libycae mortes, et fecimus aspida mercem.
At non stare suum miseris passura cruorem,
Squamiferos ingens Haemorrhois explicat orbes:
710 Natus et ambiguae coleret qui Syrtidos arva
Chersydros, tractique via fumante Chelydri:

695. Boream, c. d. effugit et ad marg. man. alia *efficit*, c. *efficit* umbram, a. d. *vel effugit umbra*, a. umbra, b. 698. Concupiunt, c. fero, man. alia ex *fore* correctum, c. in marg. *fero*, man. alia. 700. quae, *ae* man. sec. in membr. erasa, c. 701. *not*avit, c. 702. grassi, et in marg. man. alia crassi, c. 706. lucr. nobis, a. 707. *eff*ecimus, a. *hi*spida, *a* supra *i* posita, c. 708. *necem* mis., supra scripto *suum*, c. 709. Hemorreis, b. Emorreis, d. emotos, superne scripto, *emorois* manu alia, c. 710. arna, *n* ex *m* correcta, c.

Alii magno numero *hamati*. Ovid. de eadem harpe [Metam. IV, 719.]
— *dextroque frementis in arma*
Inachides ferrum curvo tenus abdidit hamo.
mox ibidem, [726.]
— *falcato vulnerat ense.*

Et semper recto lapsurus limite Cenchris:
Pluribus ille notis variatam pingitur alvum,
Quam parvis tinctus maculis Thebanus Ophites:
Concolor exustis, atque indiscretus arenis
Ammodytes: spinaque vagi torquente Cerastae:
Et Scytale sparsis etiam nunc sola pruinis
Exuvias positura suas: et torrida Dipsas:
Et gravis in geminum surgens caput Amphisbaena:
Et Natrix violator aquae, Jaculique volucres,
Et contentus iter cauda sulcare Pareas:
Oraque distendens avidus spumantia Prester:
Ossaque dissolvens cum corpore tabificus Seps.
Sibilaque effundens cunctas terrentia pestes,
Ante venena nocens, late sibi submovet omne
Vulgus, et in vacua regnat Basiliscus arena.
Vos quoque, qui cunctis innoxia numina terris
Serpitis, aurato nitidi fulgore Dracones,

712. Chenchris, b. c, qui in marg. praeterea *Chendris* man. alia habet. 713. variatim, d. *t*ingitur alvo, supra scriptis *um*, a. 714. *pictus*, d. *Ofeltes*, d. a. *vel Ofytes sc. marmor*, a. 715. ex *istis*, *u* supra *i* scripta, a. 716. Ha*motites*, b. Hasmoti*des*, d, quod in c quoque manu prima fuisse videtur. 717. Sc*italis*, d. Sitales, c. Sytal*ae*, b. sparsis, *i* correcta, c. nu*m*, a. 719. *vergens*, b. c. d. Amphis*ibena*, a. b. d. Amphis*eam*, et in marg. sine nota *Amphisihena*, c. 720. volucres, corr. est manu alia, c. 721. P*haries*, a. b. e. P*hareas*, d. *Paretis* inter lineas, et *Pharoeas* in margine scripta habet c. 722. *f*umantia, b. d. a, *f* supra *sp* posita. 724. terentia, c.

713. — *variatam pingitur alvum]* In figurato et poetico sermone passiva pariter ac activa cum casu quarto construi, ex nostro et similibus locis probat Bentl. ad Horat. Carm. II, 13, 38.

Web.

Pestiferos ardens facit Africa, ducitis altum
730 Aera cum pennis, armentaque tota secuti
Rumpitis ingentes amplexi verbere tauros.
Nec tutus spatio est Elephas: datis omnia letò:
Nec vobis opus est ad noxia fata veneno.
Has inter pestes duro Cato milite siccum
735 Emetitur iter: tot tristia fata suorum
Insolitasque videns, parvo cum vulnere, mortes.
Signiferum juvenem Tyrrheni sanguinis, Aulum,
Torta caput retro Dipsas calcata momordit.
Vix dolor aut sensus dentis fuit: ipsaque leti
740 Frons caret invidia: nec quicquam plaga minatur.
Ecce subit virus tacitum, carpitque medullas
Ignis edax, calidaque incendit viscera tabe.
Ebibit humorem circum vitalia fusum
Pestis, et in sicco linguam torrere palato
745 Coepit. defessos iret qui sudor in artus
Non fuit, atque oculos lacrymarum vena refugit.
Non decus imperii, non moesti jura Catonis
Ardentem tenuere virum, quin spargere signa
Auderet, totisque furens exquireret agris,

732. Non tutus, b. 736. videt, a. b. c. in marg. man. alia. 739. dent. sensus, c. illaque, a. 740. quicũq;, c. 741. carpsitque, b. 743. Et bibit, d. circa, c. 745. defessos, ex defensos correctum, et in marg. *defessos* manu alia, c. 748. *ne* spargeret, a. b. d. 749. arvis, a.

739. — *ipsaque leti Frons caret invidia:* Non construe *frons leti*, sed *invidia leti*. Vegetius 1, 16, de fundis, *Cum membris integris, letale tamen vulnus importent, et* sine invidia sanguinis, *hostis lapidis ictu intereat.* Seneca Hippol. 281, de Amoris vulnere,

Non habet latam data plaga frontem,
Sed vorat *tectas penitus* medullas.

750 Quas poscebat aquas sitiens in corde venenum;
Ille vel in Tanain missus, Rhodanumque, Padumque
Arderet, Nilumque bibens per rura vagantem.
Accessit morti Libye, fatique minorem
Famam Dipsas habet terris adjuta perustis.
755 Scrutatur venas penitus squalentis arenae:
Nunc redit ad Syrtes, et fluctus accipit ore:
Aequoreusque placet, sed non et sufficit, humor.
Nec sentit fatique genus, mortemque veneni:
Sed putat esse sitim: ferroque aperire tumentes
760 Sustinuit venas, atque os implere cruore.
Jussit signa rapi propere Cato: discere nulli
Permissum est hoc posse sitim. sed tristior illa
Mors erat ante oculos: miserique in crure Sabelli
Seps stetit exiguus, quem fixo dente tenacem.

751. Tanaim, b. c, supra v. *Toiaun* scriptum. 758. fatisque, c. minorem et *vel minoris*, a. 757. si, et superne scriptum *sed*, c. *ore* et in marg. *humor*, c. umor, ita semper, d. 758. Post v. *gen* et *veneni* aliquid deletum est, c. 760. *os*, ante *o* aliquid deletum est, c. 761. discere, ex v. *dicere* correctum, et in marg. man. alia *discere*, c. 762. illo, d. 764. Seps, *s* man. alia in membr. erasa, et in marg. man. sec. *Seps*, c. *flexo*, a. b. c. dente fixo, d.

Singula in his verba Noster hic imitatus est, *plagam*, *frontem*, *medullas*.

764. — *quem fixo dente tenacem*] Codices fere universi *flexo*. Recte. Ideo *tenacem*, quia dente *flexo*. Ovid. Met. VII, 150, de dracone,

— — — *et* unois
Dentibus *horrendus*.

XI, 775,

Ecce latens herba coluber *fugientis* adunco
Dente *pedem stringit*.

Statius de serpente Theb. V, 519.

— *ter lingua vibrat*, *terna agmina* adunci
Dentis.

765 Avulsitque manu, piloque affixit arenis.
Parva modo serpens; sed qua non ulla cruentae
Tantum mortis habet. nam plagae proxima circum
Fugit rupta cutis, pallentiaque ossa retexit.
Jamque sinu laxo nudum est sine corpore vulnus.
770 Membra natant sanie: surae fluxere: sine ullo
Tegmine poples erat: femorum quoque musculus omnis
Liquitur, et nigra distillant inguina tabe.
Dissiluit stringens uterum membrana, fluuntque
Viscera: nec, quantum toto de corpore debet,
775 Effluit in terras: saevum sed membra venenum
Decoquit: in minimum mors contrahit omnia virus.

765. manu, supra *u* aliquid deletum, c. *arenae*, a. d. 766. qua, antea *quam* fuisse videtur, c. 768. *u*rapta, c. ora, b. ossa, sed *ssa* in membr. erasa, d. 769. Jam *i'ter* lap*x*so, et in marg. *que sinu laxo*; *laxo* man. alia, c. *est* manu alia additum, c. 771. quoque *cl'us*, ante *c* aliquid deletum, et in marg. manu alia *musculus* scriptum est, c. 772. Lin*q*uitur, d. destillat, a. 773. stringens, ante *st* aliquid deletum est, c.

766. *Parva modo serpens; sed qua non ulla cruentae Tantum mortis habet.]* Qualis haec oratio? *Qua tantum, qua majus, qua plus*, vix diceret, qui prima sermonis elementa didicit. Corrige,

Parva modo serpens; sed ENIM *non ulla cruentae*, etc.

Modo, non adverbium, sed mole, mensura. Virg. Aen. I, 23,

Progeniem sed enim *Trojano a sanguine duci*
Audierat.

et V, 95,

— sed enim *gelidus tardante senecta*
Sanguis hebet.

776. — *in minimum mors contrahit omnia virus.]* Hoc nullo sensu, nulla sententia fertur. Corrige,

— *saevum sed membra venenum*
Decoquit: in minimum mors contrahit omnia PONDUS.

hoc est, totum corpus absume-

Vincula nervorum, et laterum textura, cavumque
Pectus, et abstrusum fibris vitalibus; omne
Quidquid homo est, aperit pestis. natura profana
780 Morte patet: manant humeri fortesque lacerti:
Colla caputque fluunt. calido non ocyus Austro
Nix resoluta cadet, nec solem cera sequetur.
Parva loquor, corpus sanie stillasse perustum:
Hoc et flamma potest. sed quis rogus abstulit ossa?
785 Haec quoque discedunt, putresque secuta medullas
Nulla manere sinunt rapidi vestigia fati.
Cyniphias inter pestes tibi palma nocendi est:
Eripiunt omnes animam, tu sola cadaver.
Ecce subit facies leto diversa fluenti.

777. nervor, r man. alia in membr. erasa, c. *junc*tura, d. b. a, supra v. *textura* scriptum. 781. flu*it*, c. 782. Nix, *N* man. alia in membr. erasa, c. cad*it*, a. b. c. d. 783. sanie corpus, b. 785. desc*en*dunt, d. 787. Cyni*f*eas, *y* ex *i* correcta, et *ea* in membr. erasa, man. alia, c. 788. animas, b. 789. sub*iit*, c. leto facies, b.

batur, et minimum quid ex eo restabat; ut mox, [783.]

Eripiunt omnes animam, tu sola cadaver.

Ovid. Met. XIV, 147, Sibylla:

Tempus erit, cum me de tanto corpore parvam
Longa dies faciat; consumta membra senecta
Ad minimum *redigantur* onus.

Certe *ad minimum onus* est ipsum illud Nostri, *in minimum pondus.*

777. — *laterum textura.*] Pulmanni duo, et ex nostris tres, *laterum* JUNCTURA. Virg. XII, 274,

— *teritur qua sutilis alvo*
Balteus, et laterum juncturas *fibula mordet.*

Sed et *textura.* Ovid. Her. XVI, [110.]

Texitur *et* costis *panda carina suis.*

781. *Colla caputque fluunt.*] Codex Bersmanni *fluit.* Recte et ex Poetae more.

782. *Nix resoluta cadet.*] Melius quam *cadit*, ut cohaereat cum *sequetur.* GROTIUS. Codices universi *cadit.* Nec ideo *cadet*, quia mox *nec solem cera sequetur.* Nix enim natura et sponte cadit, seu tu velis, sive non: at cera *sequetur*, non *sequitur*; quia te vo-

Digitized by Google

790 Nasidium Marsi cultorem torridus agri
Percussit Prester. illi rubor igneus ora
Succendit, tenditque cutem, pereunte figura,
Miscens cuncta tumor toto jam corpore major:
Humanumque egressa modum super omnia membra
795 Efflatur sanies, late tollente veneno,
Ipse latet penitus congesto corpore mersus:
Nec lorica tenet distenti corporis auctum.
Spumeus accenso non sic exundat aheno
Undarum cumulus: nec tantos carbasa Coro

790. *perfidus* agri, c. 793. Misc*et*, a. *timor*, *or* in membr. erasa, et in marg. *tumor*, man. alia, c. 795. sanies, *a* in membr. erasa man. alia, c. pollente, a. b. c, in margine manu alia. *vel tollente*, b. manu alia. 796. morsus, *o* in membr. erasa, supra scripta *e*, c. 797. *a*ctum, c. 799. tant*um*, et superne scriptum man. alia *tantos*, c. Coro, et in marg. man. alia *Choro*, c.

lente fit, cum soli vel igni admoveris.

790. *Nasidium*] Secundam hujus vocis syllabam corripi, docet ex hoc et aliis locis Bentl. ad Horat. Serm. II, 8, 1.

WEB.

795. *Efflatur sanies, late tollente veneno,*] Si *efflatur* sanies, decrescet corpus, non intumescet. Corrige,

Humanumque egressa modum
super omnia membra
INFLATUR *sanies, late* POLLENTE *veneno.*

Pollente codex Bersmanni. si *tollente* mavis, tum lege *alte*.

797. *Nec lorica tenet distenti corporis auctum.*] *Corpore mersus* praecedente versu habuimus; et quarto abhinc *corpore major*. Repone,

Nec lorica tenet distenti PECTORIS *auctum.*

Lorica enim pectus circuit. Haec duo, *corpus*, *pectus*, passim, confunduntur. Quin in versu illo, *corpore major*, Codex Collegii Trinitatis, *pectore major*.

798. *Spumeus accenso non sic exundat aheno Undarum cumulus:*] Turpe mendum, *undarum exundat*. Codex Bersmanni EXULTAT; quod vel sine codice in promtu erat. Virgil. de eadem re VII, 464, *Exultantque aestu latices*.

Digitized by Google

800 Curvavere sinus. tumidos jam non capit artus
Informis globus, et confuso pondere truncus.
Intactum volucrum rostris, epulasque daturum
Haud impune feris, non ausi tradere busto,
Nondum stante modo, crescens fugere cadaver.
805 Sed majora parant Libycae spectacula pestes.
Impressit dentes Haemorrhois aspera Tullo
Magnanimo juveni, miratorique Catonis.
Utque solet pariter totis se effundere signis
Corycii pressura croci: sic omnia membra
810 Emisere simul rutilum pro sanguine virus.
Sanguis erant lacrymae: quaecunque foramina novit
Humor, ab his largus manat cruor: ora redundant

800. nec jam, c. 801. et, supra scripto *sed*, c. *corpore*, a. 802. Haut, H serius addita, c. 806. *Emorois arspera, ois ar* manu alia in membr. erasa, c. 807. *imit*atorique, correctum man. alia in v. *minatorique*, et in marg. eadem manus scripsit imitatori, c. 808. *se* abest, c. d. b, pro glossa, ut videtur, inter lineas. *se* fundere et *vel se effundere*, a. 810. virus, *s* addita, et in marg. man. alia virus, c.

800. — *tumidos jam non capit artus Informis globus, et confuso pondere truncus.*] Quid est, *non capit artus?* Corrigo,

tumidos jam non HABET *artus.*

Globus fit et truncus, nullos artus inter se distinctos habens.

808. *Utque solet pariter totis se effundere signis Corycii pressura croci:*] Ovid. Met. XII, 437,

— *Utve liquor rari sub pondere cribri*
Manat, et exprimitur *per densa foramina spissus.*

Seneca Nat. Quaest. p. 666, *Sparsio illa, quae ex fundamentis mediae arenae crescens in summam altitudinem amphitheatri pervenit.* et Epist. 90. p. 405, *Quemadmodum in immensam altitudinem crocum latentibus fistulis* exprimat.

Digitized by Google

Et patulae nares: sudor rubet: omnia plenis
Membra fluunt venis: totum est pro vulnere corpus.
815 At tibi, Leve miser, fixus praecordia pressit
Niliaca serpente cruor: nulloque dolore
Testatus morsus subita caligine mortem
Accipis, et Stygias somno descendis ad umbras.
Non tam veloci corrumpunt pocula leto,
820 Stipite quae diro, virgas mentita Sabinas,
Toxica fatilegi carpunt matura Sabaei.
Ecce procul saevus sterilis se robore trunci
Torsit, et immisit (Jaculum vocat Africa) serpens:
Perque caput Pauli transactaque tempora fugit.

814. fluent *nervis*, c. 815. *Laeve*, b. 817. Testatus et *vel* *Testatur*, a. c, *ur* in *us* correctis. 818. *socias* somno, d. descendis, *s* man. alia, c. 820. *duro*, d. Sab*aeas*, a. b. c. d. 821. fatilegi, in membr. erasa, d. 822. *saevus*, *s* ex *l* man. alia correcta, b. sterili, a. *e* robore, *o* man. alia addita, d. 823. *invasit* et *vel immisit*, a. 824. trajectaque, c.

813. — *omnia plenis Membra fluunt venis.]* Atqui quarto abhinc versu habuimus, *omnia membra Emisere rutilam virus.* Corrigo,

— *sudor rubet: omnia plenis*
RUBRA *fluunt* RIVIS; *totum est pro vulnere corpus.*

Virgil. v, 200,

— sudor fluit undique rivis.

820. *Stipite quae diro, virgas mentita Sabinas, Toxica fatilegi carpunt matura Sabaei.]* Scaligeri est emendatio. Ante fuit *Sabaeas*, inepte, cum versu altero sequatur vox *Sabaei.* Virgae Sabinae, herbae Sabinae Ovidio saepe. Herbae quanquam dicebantur, arbusculae erant, quibus Graecum nomen βράθυς apud Plinium. GROTIUS. Vereor, ut viri maximi Scaliger ac Grotius recte ac feliciter rem hic gesserint. *Sabaeas*, ait, *inepte, cum versu altero sequatur Sabaei.* Dicas eodem argumento, inepte *Sabaei*, cum versu priore habeamus *Sabaeas.* Quis dixit virgas Sabinas? *Herbae* sunt et dicuntur, non virgae, Plinio terque quaterque, et aliis. Virgil. Culice [403.],

825 Nil ibi virus agit: rapuit cum vulnere fatum.
Deprensum est, quae funda rotat, quam lenta volarent,
Quam segnis Scythicae strideret arundinis aer.
Quid prodest miseri Basiliscus cuspide Murri
Transactus? velox currit per tela venenum,

825. fatum, *u* man. alia, c. 826. *sonarent*, et in marg. man. alia *volarent*, c. 827. Scythiae, a. Scilicae, supra scriptis *ti* man. alia, c. 828. Basiliscus, *s* man. alia addita, c. Myrri, b. *munet*, supra scripto *muri* et in marg. man. alia *murri*, c.

Herbaque *turis opes priscis imitata Sabinis.*

Ovid. Fast. IV, 741,

Ure mares oleas, taedamque, herbasque Sabinas.

At *Sabaea virga, turea virga* recte. Virgil. Georg. II, 117,

— *sola India nigrum*
Fert ebenum, solis est turea virga *Sabaeis.*

Quid ergo? posterius vocabulum in mendo est, et, ni fallor, sic corrigendum:

Non tam veloci corrumpunt pocula leto,
Stipite quae diro, virgas mentita Sabaeas,
Toxica fatilegi carpunt matura SUEVI.

Ex patruo suo, Seneca, hoc hausit Lucanus. Is in Medea 710, de venenis agens,

Congerit in unum frugis infaustae mala,
Et queis sagittas divites Arabes linunt,
Pharetraque pugnax Medus, aut Parthi leves:
Aut quos sub axe frigido succos legunt
Lucis Suevi *nobiles Hercyniis.*

Vides hic *succos legunt*, ut apud Nostrum, *fatilegi* et *carpunt*. Sic Sarmatae, Bessi, et Getae sagittas veneno tingunt, ut saepe Ovidius in Tristibus et Ponticis. Pont. IV, 7, 11,

Aspicis et mitti sub adunco toxica *ferro.*

Toxica ἀπὸ τῶν τόξων, ab arcubus nomen habent, quod iis sagittae inficerentur.

828. *Quid prodest miseri Basiliscus cuspide Murri Transactus?*] Julius Scaliger in Poetica [Hypercr. VI, 6. p. 779.]: *At vero quid dicemus de illa locutione, Quid prodest, etc. Latine aliter dicimus, Quid prodest Basiliscum transactum cuspide fuisse: nam Basiliscus neque vivus neque mortuus prodest: sed factum, id est, totum hoc, ipsum Basiliscum esse transfixum.* Recte censuram agit vir summus: sed librarii in culpa sunt, non Poeta. Corrige,

Quid prodest misero *Basiliscus cuspide* Murro
Transactus?

Digitized by Google

830 Invaditque manum: quam protinus ille retecto
Ense ferit, totoque simul demittit ab armo:
Exemplarque sui spectans miserabile leti
Stat tutus pereunte manu. quis fata putaret
Scorpion, aut vires maturae mortis habere?
835 Ille minax nodis, et recto verbere saevus,
Teste tulit coelo victi decus Orionis.
Quis calcare tuas metuat, Salpuga, latebras?
Et tibi dant Stygiae jus in sua fila sorores.
Sic nec clara dies, nec nox dabat atra quietem,
840 Suspecta est miseris in qua tellure jacebant.
Nam neque congestae struxere cubilia frondes,
Nec culmis crevere tori: sed corpora fatis
Expositi volvuntur humo, calidoque vapore
Alliciunt gelidas nocturno frigore pestes:
845 Innocuosque diu rictus torpente veneno
Inter membra fovent: nec, quae mensura viarum,

830. retracto, b. supra scripto *retecto* man. alia. 831. semel, c. dimittit, a. d. 832. *ex*spectans, a. d. *fa*ti, c. 834. vir*us*, c. 837. metuat et *vel metuit*, a. Salpiga, a. c. *vel Saluga*, a. 839. *Sed* nec, d. a, pro var. lect. 840. Suspecta*m*, d. *est* non legitur in a. b. inter lineas scriptum in c. 841. congestae, *g* ex *i* man. alia correcta, c. struc*s*ere, supra scripta *s* man. alia, c. 843. Expo-sita*a*, *x* man. alia addita, c. 844. Alliciunt, supra scriptis *Adji*, a.

Ovid. Heroid. 1, [47.]

Sed mihi *quid* prodest *vestris disjecta lacertis*
Ilios, *et murus quod fuit ante solum?*

Quid mihi prodest disjecta Ilios; hoc est, Ilion disjectam esse, vel quod Ilios disjecta sit. Quid prodest Murro Basiliscus transactus, sive, quod transactus sit Basiliscus. Idem Amor. 11, [1, 29.]

Quid mihi *profuerit velox* cantatus *Achilles?*

Quisve modus norunt, coelo duce: saepe querentes,
Reddite Dii, clamant, miseris, quae fugimus arma:
Reddite Thessaliam. patimur cur segnia fata
850 In gladios jurata manus? pro Caesare pugnant
Dipsades, et peragunt civilia bella Cerastae.
Ire libet qua Zona rubens, atque axis inustus
Solis equis: juvat aetheriis adscribere causis
Quod peream, coeloque mori. nil, Africa, de te,
855 Nec de te, natura, queror: tot monstra ferentem,
Gentibus ablatum dederas serpentibus orbem:
Impatiensque solum Cereris, cultore negato,
Damnasti, atque homines voluisti deesse venenis.
In loca serpentum nos venimus: accipe poenas,
860 Tu quisquis Superum commercia nostra perosus,
Hinc torrente plaga, dubiis hinc Syrtibus orbem
Abrumpens, medio posuisti limite mortes.
Per secreta tui bellum civile recessus
Vadit; et arcani miles tibi conscius orbis
865 Claustra petit mundi. forsan majora supersunt
Ingressis. coeunt ignes stridentibus undis,
Et premitur natura poli. sed longius ista
Nulla jacet tellus, quam fama cognita nobis
Tristia regna Jubae. quaeremus forsitan istas
870 Serpentum terras: habet hoc solatia coelum,

847. nor*ant*, d. duce coelo, a. d. 848. arv*a*, c. 849. fata et *vel bella*, a. 850. jurata et *vel diuturna*, a. 852. aethereis, b. ascribere, b. c. 855. ded'as, *d'* non satis perspicua, et in marg. *dederas*, manu alia, c. 858. veneno, d. c. a, qui *vel venenenis* quoque habet. 861. or*as*, a. or*am* b. 862. mort*is* et *vel mortes*, a. 866. Ingressis *et*, c. 867. ist*inc*, c. d. b. a, pro var. lectione. 869. quer*im*², d.

Digitized by Google

Vivit adhuc aliquid. patriae non arva requiro,
Europamque alios soles Asiamque videntem.
Qua te parte poli, qua te tellure reliqui,
Africa? Cyrenis etiam nunc bruma rigebat.
875 Exiguane via legem convertimus anni?
Imus in adversos axes: evolvimur orbe:
Terga damus ferienda Noto. nunc forsitan ipsa est
Sub pedibus jam Roma meis. solatia fati
Haec petimus: veniant hostes, Caesarque sequatur
880 Qua fugimus. Sic dura suos patientia questus
Exonerat: cogit tantos tolerare labores
Summa ducis virtus, qui nuda fusus arena
Excubat, atque omni Fortunam provocat hora.
Omnibus unus adest fatis: quocunque vocatur,
885 Advolat, atque ingens meritum, majusque salute
Contulit, in letum vires: puduitque gementem
Illo teste mori. quod jus habuisset in ipsum
Ulla lues? casus alieno in pectore vincit,
Spectatorque docet magnos nil posse dolores.

872. Europa*m* alios*que*, c. 874. Cyrrenis et *i*am, c. regebat, a. 876. *et* volvimur, d. 877. nec, c. *est* non legitur in b. c. d. 881. tolerare et *vel superare*, a. 884. qua*c*unque, b. vocatus, a. b. 885. A*t* volat, a. 886. versus in margine scriptus est, c. 887. *illum*, a. 888. *lues*, man. alia in membr. erasa, b. 889. *lab*ores, a.

884. *Omnibus unus adest fatis: quocunque vocatur]* Codex Puteaneus cum aliquot aliis *miseris.* Seneca Epist. 49, *Non est jocandi locus. ad* miseros *advocatus es. opem relaturum naufragis, captis, aegris, egentibus, intentae securi subjectum praestantibus caput pollicitus es.*

889. — *nil posse dolores.]* MS. P. *labores.* Grotius. At nostri omnes *dolores*, quod rectius est.

Digitized by Google

890 Vix miseris serum tanto lassata periclo
Auxilium Fortuna dedit. gens unica terras
Incolit, a saevo serpentum innoxia morsu,
Marmaridae Psylli: par lingua potentibus herbis:
Ipse cruor tutus, nullumque admittere virus,
895 Vel cantu cessante, potest. natura locorum
Jussit, ut immunes misti serpentibus essent.
Profuit in mediis sedem posuisse venenis.
Pax illis cum morte data est. fiducia tanta est
Sanguinis: in terram parvus cum decidit infans,
900 Ne qua sit externae Veneris mistura timentes,
Letifica dubios explorant aspide partus.
Utque Jovis volucer, calido cum protulit ovo
Implumes natos, solis convertit in ortus:
Qui potuere pati radios, et lumine recto

890. miser*is*, *i* in membr. erasa, c. lassat*a*, *a* ex *o* man. alia correcta, c. 891. auxilium, *x* ex *s* man. alia correcta, c. Fortuna et in marg. man. alia *natura*, c. 893. Marmaridae, *ae* man. alia in membr. erasa, b. Psilli, ita semper, b. c. d. 896. mix*tis*, b. c. d. 897. sedes, a. 899. terras, b. co*n* decidit, *ci* man. alia addidit, et in marg. *decidit* scripsit, c. 900. ext*rem*ae, c. 903. *ad* ortus, a. b. c. d.

903. *Implumes natos, solis convertit in ortus:]* Repone,

Implumes NIDOS *solis convertit* AD *ortus.*

AD complures codices habent. Alterum, immo utrumque, Claudianus praestabit, qui locum hunc prae oculis habuit, cum XIV versibus eleganter hoc de aquila dilatavit. Ex illis quae ad rem praesentem faciunt pono,

Protinus implumes convertit ad *aethera* nidos,
Et recto flammas imperat ore pati.

Vides, quot verba de Nostro accepit. Equidem *natos* non repudio, sed quod oblatum est *nidos*, ut ποιητικώτερον, praefero. Virg. Georg. IV, 17,

Ore ferunt dulcem nidis *immitibus escam.*

Ceterum suaves homines sunt, qui versum proximum sic interpungunt,

Digitized by Google

905 Sustinuere diem, coeli servantur in usus;
Qui Phoebo cessere, jacent: sic pignora gentis
Psyllus habet, si quis tactos non horruit angues,
Si quis donatis lusit serpentibus infans.
Nec solum gens illa sua contenta salute,
910 Excubat hospitibus, contraque nocentia monstra
Psyllus adest populis. Qui tunc Romana secutus
Signa, simul jussit statui tentoria ductor,
Primum quas valli spatium comprendit arenas,
Expurgat cantu, verbisque fugantibus angues.
915 Ultima castrorum medicatus circuit ignis.
Hic ebulum stridet, peregrinaque galbana sudant,
Et tamarix non laeta comis, Eoaque costos,
Et panacea potens, et Thessala centaurea:
Peucedanumque sonat flammis, Erycinaque thapsos,

907 tact*us*, a. 909. su*i*, b. conte*mp*ta, c. 911. qui *cum*, c. 913. qu*a* valli, c. 914. Expurg*an*t, a. 917. lecta, c. costos, *o* ex *u* man. sec. correcta, b. cost*us*, *us* man. alia, et in marg. man. sec. *custos*, c. cost*us*, d, *u* ex *o* man. alia correcta. 918. versus in margine scriptus legitur, c. 919. Peucedan*o*n, b. a. P*h*eucedan. d. a, pro var. lect. addito *vel Pau.* son*ans*, supra scripta *t*, man. alia, c. Er*in*aque, a. *t*apsos, a. b. d. c, qui *vel taxos* habet.

Sustinuere diem caeli, servantur in usus.

Quid enim est *dies caeli?* Codex Academicus in margine habet, *Servantur in usus, hoc est, ut volent per aera.* Distingue,

Sustinuere diem, caeli servantur in usus.

In usus caeli, ut Jovi fulmina reportent: quod vidit et expressit Claudianus,

Exploratores oculis qui pertulit ignes,
Sustinuitque *acie nobiliore* diem:
Nutritur volucrumque potens et fulminis heres,
Gesturus summo tela trisulca Jovi.

Digitized by Google

920 Et larices, fumoque gravem serpentibus urunt
Abrotanum, et longe nascentis cornua cervi.
Sic nox tuta viris. at si quis peste diurna
Fata trahit, tunc sunt magicae miracula gentis,
Psyllorumque ingens et rapti pugna veneni.
925 Nam primum tacta designat membra saliva,
Quae cohibet virus, retinetque in vulnere pestem.
Plurima tum volvit spumanti carmina lingua
Murmura continuo, nec dat suspiria cursus
Vulneris, aut minimum patiuntur fata tacere.
930 Saepe quidem pestis nigris inserta medullis
Excantata fugit: sed si quod tardius audit
Virus, et elicitum jussumque exire repugnat;
Tunc superincumbens pallentia vulnera lambit,
Ore venena trahens, et siccat dentibus artus,
935 Extractamque tenens gelido de corpore mortem
Expuit: et cujus morsus superaverit anguis,
Jam promptum Psyllis vel gustu nosse veneni.

921. *H*abrotonum, d. *H*abrotanum, b. Abrotanum et *vel Abrotanon*, a. *et* abest, b. 925. designa*nt*, c. 927. tu*nc*, b. volvit et *vel volvunt*, a. carmin*a*, *a* correcta, c. 928. Murmure, *e* ex *a* correcta, d. da*nt*, a. b. c. 929. *h*aut, c. *nimi*um, b. c, man. prima. a, pro var. lectione. 931. si qu*i*d, c. b, manu prima. 933. Tu*m*, c. 934. *ex*siccat, c, d. 936. Expuit, man. alia in membr. erasa, b. superaver*at*, d. 937. pro*m*ptum, *m* man. alia addita, b. venen*um*, d.

925. *Nam primum tacta designat membra saliva.*] Lege *praesignat*. Plin. XXVIII, 7, *Incipientes furunculos ter* praesignare *jejuna saliva*.

935. *Extractamque*] Lege *Exsuctam*. Plin. XXMI, 27. Neque altero quam aceto collinunt, venena *exsugentes*.

937. *Jam promptum Psyllis*] Lege *Psyllo*.

Digitized by Google

Hoc igitur levior tandem Romana juventus
Auxilio, late squalentibus errat in arvis.
940 Bis positis Phoebe flammis, bis luce recepta
Vidit arenivagum surgens fugiensque Catonem.
Jamque illis magis atque magis durescere pulvis
Coepit, et in terram Libye spissata redire.
Jamque procul nemorum rarae se tollere frondes:
945 Surgere congesto non culta mapalia culmo.
Quanta dedit miseris melioris gaudia terrae,
Cum primum saevos contra videre leones!
Proxima Leptis erat, cujus statione quieta
Exegere hyemem nimbis flammisque carentem.
950 Caesar ut Emathia satiatus clade recessit,
Cetera curarum projecit pondera, soli
Intentus genero: cujus vestigia frustra
Terris sparsa legens, fama duce tendit in undas,
Threiciasque legit fauces, et amore notatum
955 Aequor, et Heroas lacrymoso littore turres,

938. tandem levior, a. b. c. d. 939. Auxilio, *x* ex *s* man. alia correcta, c. spalentibus, ita semper, a. arvis, *v* ex *m* correcta, c. 940. flammis Phoebe, b. 942. illic, a. b. c. d. *vel illis*, b. 943. Libyae, b. 944. rarae et *vel visae est*, a. rar. nemorum, b. *at*tollere, a. d. 945. non *visa* et in marg. man. alia *non culta*, c. 947. videre, ante *v* aliquid deletum, c. 948. quietam, a. b. c. 950. *sede*, c. *caede*, d. a. c, supra scripto man. alia *vel clade*, a. 951. curarum, ante *a* aliquid erasum, *um* man. alia; inter lineas et in marg. manu alia *curarum*, c.

955. — *et Heroas — littore turres,*] Commemorat hunc et alios locos Bentl. ad Horat. Epist. 1, 3, 1. de Hellesponto Asiam et Europam disterminante et de turre Sestia, quum de Abydena nihil constet.

Web.

Qua pelago nomen Nepheleias abstulit Helles
Non Asiam brevioris aquae disterminat usquam
Fluctus ab Europa, quamvis Byzantion arcto
Pontus et ostriferam dirimat Chalcedona cursu,
960 Euxinumque ferens parvo ruat ore Propontis.
Sigaeasque petit famae mirator arenas,
Et Simoentis aquas, et Grajo nobile busto
Rhoetion, et multum debentes vatibus umbras.
Circuit exustae nomen memorabile Trojae,
965 Magnaque Phoebei quaerit vestigia muri.
Jam silvae steriles, et putres robore trunci
Assaraci pressere domos, et templa deorum
Jam lassa radice tenent: ac tota teguntur
Pergama dumetis: etiam periere ruinae.

956. pelag*i*, d. Nephelegias, d. Nepheleiā, lineola manu alia, et in marg. *Neyphilas* manu prima, c. Helle*s*, a. b. *vel Helle*, a. 957. disterminat, *at* man. alia in membr. erasa, c. 958. Bizan*cion*, *n* man. alia correcta, c. 959. *au*striferam, *o* man. alia supra scripta, c. et in marg. man. alia *astri*. *austri*, *ostriferam*. 960. Ex*u*numque, man. prima, c. Euxiniumque b. d. a, pro var. lect. *f*urens, d. b. *vel ferens*, manu alia, b. 961. S*ygne*asque, *y* man. alia addita, c. 962. Simoentis, *o* man. alia in membr. erasa, c. 963. Re*th*on, d. Retheon, b. c, supra scripto man. alia, in textu Recion. 965. m*a*uri, punctum man. alia, b. 967. Assar*i*ci, c. d. b, ut videtur. *p̄st're*, *s* man. alia addita, c. 968. lassa et in marg. man. alia *laxa*, c. 969. dumetis, *etis* man. alia in membr. erasa, c. et *jam*, b. c, sed superne scritum *etiam* man. alia.

964. *Circuit exustae nomen memorabile Trojae.*] Alii codices *venerabile*. Sed cum dicit *exustae*, aliud requiritur epitheton, quod πάθος exprimat. Id vero suppeditat codex Regius,

Circuit exustae nomen MISERABILE *Trojae.*

Aspicit Hesiones scopulos, silvasque latentes
Anchisae thalamos; quo judex sederit antro:
Unde puer raptus coelo: quo vertice Nais
Luserit Oenone: nullum est sine nomine saxum.
Inscius in sicco serpentem pulvere rivum
Transierat, qui Xanthus erat: securus in alto
Gramine ponebat gressus; Phryx incola manes
Hectoreos calcare vetat. discussa jacebant
Saxa, nec ullius faciem servantia sacri;
Herceas, monstrator ait, non respicis aras?
O sacer et magnus vatum labor, omnia fato
Eripis, et populis donas mortalibus aevum.
Invidia sacrae, Caesar, ne tangere famae:
Nam, si quid Latiis fas est promittere Musis,
Quantum Smyrnaei durabunt vatis honores,
Venturi me teque legent: Pharsalia nostra
Vivet, et a nullo tenebris damnabitur aevo.

970 Hesion*ae*, a. b. d. c, man. secunda. silv. scopulosque, c. *p*atentes, a. d. 971. *vin*dex sed*it in* ant. c. 973. Luserit, *ri* ex *n* man. alia correctis, c. Oen*oe*, c. a. b. *vel Oenone*, a. 974. serpente, b. *in* pulvere, c. 975. Xa*ct*us, c. Xan*ct*us, b. 976. *g*essus, b. *frix*, *f* man. alia in membr. erasa, c. 977. jacebunt, a. 979. He*ctor*eas, c. d. 980. mag', ɔman. alia in membr. erasa, c. vatum, *vat* man. alia in membr. erasa, c. 981. dona*ns*, c. 982. sacrae, *crae* man. alia in membr. erasa, a. n*on* tang. c. d. a, et *vel ne*. 983. *prod*est, a. 984. Sm*ir*n*ei*, *ei* man. alia in membr. erasa; et in marg. man. alia *Smirnei*, c. 985. Pharsalica, c.

Ideo *miserabile*, quia *exustae*. Noster VII, 120,

— *aut populis invisum hac clade peracta,*

Aut hodie Pompejus erit miserabile nomen.

980. *O sacer et magnus va-*

Ut ducis implevit visus veneranda vetustas,
Erexit subitas congestu cespitis aras,
Votaque thuricremos non irrita fudit in ignes.
990 Dii cinerum, Phrygias colitis quicunque ruinas,
Aeneaeque mei, quos nunc Lavinia sedes
Servat et Alba lares, et quorum lucet in aris
Ignis adhuc Phrygius, nullique aspecta virorum
Pallas, in abstruso pignus memorabile templo,
995 Gentis Iuleae vestris clarissimus aris
Dat pia thura nepos, et vos in sede priori
Rite vocat: date felices in cetera cursus:
Restituam populos. grata vice moenia reddent
Ausonidae Phrygibus, Romanaque Pergama surgent.
1000 Sic fatus, repetit classes, et tota secundis
Vela dedit Coris, avidusque urgente procella
Iliacas pensare moras, Asiamque potentem

987. *potestas* et in marg. man. alia *vetustas*, c. 988. congesti, et *vel congestu*, a. conjesti, post *i* aliquid deletum, c. 989. *turiferos*, a. c. *ūgnes*, c. 990. D*i*, d. Phr*i*gias, ita semper, b. d. *Frigias*, ita ubique, c. 991. *Eneeque*, *E* man. alia in membr. erasa, c. 992. licet, man. alia in *lucet* correxit, c. 993. *con*specta, c. 996. prior*e*, d. 997. Post hunc versum insertus est in b et c hic: *Constituam sparsas arces* (acies, c.) *replebo ruinas*. 1000. secundis, *cun* man. alia in membr. erasa, c. 1002. moras, *a* in membr. erasa man. alia, c.

tum labor.] Lege *furor*, instinctus divinus, afflatus.

994. *pignus memorabile templo.]* Sic codices; sed paulo ante *vs.* 964. habuimus *nomen memorabile Trojae.* Nonnulli tamen libri *venerabile Trojae:* quod non placet. Hic tamen libenter adsciscimus *venerabile pignus*, quod loco non suo posuerant librarii.

Digitized by Google

Praevehitur, pelagoque Rhodon spumante relinquit.
Septima nox, Zephyro nunquam laxante rudentes,
1005 Ostendit Phariis Aegyptia littora flammis.
Sed prius orta dies nocturnam lampada texit,
Quam tutas intraret aquas. ibi plena tumultu
Littora, et incerto turbatas murmure voces
Accipit: ac dubiis veritus se credere regnis
1010 Abstinuit tellure rates. sed dira satelles
Regis dona ferens, medium provectus in aequor,
Colla gerit Magni, Phario velamine tecta:
Ac prius infanda commendat crimina voce,
Terrarum domitor, Romanae maxime gentis;
1015 Et, quod adhuc nescis, genero secure peremto;
Rex tibi Pellaeus terrae pelagique labores
Donat, et, Emathiis quod solum defuit armis,
Exhibet: absenti bellum civile peractum est.
Thessalicas Magnus quaerens reparare ruinas,
1020 Ense jacet nostro: tanto te pignore, Caesar,

1003. *Rodon*, man. alia in membr. erasa, c. *reliquit*, a. c. 1004. *lassante*, c. 1008. et *incertas* turbato, *n*, *er*, man. alia in membr. erasa, *o* in membr. erasa, c. 1009. *et* dubiis, b. *in'ci'* et ad marg. man. alia *veritus*, c. *muris*, a. b. c, et in marg. man. alia *regnis*. 1012. *velar'e*, c. 1016. *belli* pelag. a. b. c. d. in marg. man. alia *terrae*, c. b, pro var. lectione. 1017. armis, et in marg. man. alia *arvis*, c. 1019. quaer. Magnus, a. b. c. d.

1016. — *terrae pelagique labores]* Omnes fere codices *belli pelagique*. Noster III, 24,

Haereat illa tuis per bella, per aequora *signis*.

Silius II, 572,

Post belli *casus vastique periculа* ponti.

Claudius tamen in laude Sere-

Emimus: hoc tecum percussum est sanguine foedus.
Accipe regna Phari nullo quaesita cruore:
Accipe Niliaci jus gurgitis: accipe quicquid
Pro Magni cervice dares; diguumque clientem
1025 Castris crede tuis, cui tantum fata licere
In generum voluere tuum. nec vile putaris
Hoc meritum, facili nobis quod caede peractum est.
Hospes avitus erat: depulso sceptra parenti
Reddiderat. quid plura feram? tu nomina tanto
1030 Invenies operi, vel famam consule mundi.
Si scelus est, plus te nobis debere fateris,
Quod scelus hoc non ipse, facis. Sic fatus, opertum
Detexit tenuitque caput. jam languida morte
Effigies habitum noti mutaverat oris.

1021. Emi*m*us, *m* ex *n* man. alia correcta, c. est percussum, a. 1025. Castris, *stris* man. alia in membr. erasa, c. 1026. *ne*, d. a, pro var. lectione. vile *esse* put. c. putares, d. 1027. Hoc nob. fac. mer., b. nob. facili, d. quod nobis, c. peractum est et *vel paratum est*, a. 1028. depulso*que*, c. parente, d. b, *e* ex i man. prima correcta, a, addito *vel parenti*. 1032. *o*pertum, c. 1034. mutaver*it*, c.

nae *vs.* 26, *Terrae pelagique labores.*

1033. — *jam languida morte Effigies habitum noti mutaverat oris.*] Nihil illo *languida* languidius. An languor habitum oris mutaverit? Poteris *lurida.* Ovid. Met. XIV, 747,

Luridaque *arsuro ponebat* membra *feretro.*

Sed scripsit, opinor, Poeta:
— *jam* TABIDA *morte Effigies.*
VI, 737.
— *Hecate, pallenti* tabida *forma.*

Digitized by Google

1035 Non primo Caesar damnavit munera visu,
Avertitque oculos: vultus, dum crederet, haesit:
Utque fidem vidit sceleris, tutumque putavit
Jam bonus esse socer; lacrymas non sponte cadentes
Effudit, gemitusque expressit pectore laeto,
1040 Non aliter manifesta putans abscondere mentis
Gaudia, quam lacrymis. meritumque immane tyranni
Destruit, et generi mavult lugere revulsum,
Quam debere caput. qui duro membra Senatus
Calcarat vultu, qui sicco lumine campos
1045 Viderat Emathios, uni tibi, Magne, negare
Non audet gemitus. o sors durissima fati!
Hunccine tu, Caesar, scelerato marte petisti,
Qui tibi flendus erat? non misti foedera tangunt
Te generis? nec nata jubet moerere neposque?

1035. N*ec* primo, d. 1036. *E*vertitque, c. 1038. cadentis, d. 1039. gemitus, sine *que*, a. 1040. pot*est*, b. a, pro var. lect. *potens*, inter lineas man. alia, c. 1042. re*mis*sum, c. 1043. Qu*a*, c. 1045. uni, superne scripto *soli* man. alia, pro glossa, ut videtur, c. 1049. *g*nata, b. d.

1036. — *vultus, dum crederet, haesit:]* Repone *vultu.* Ovid. Metam. x, 359,

— *patriisque in* vultibus haerens.

Amor. 1, 8, [24.]

Haesit *et in* vultu *constitit usque tuo.*

1038. — *lacrymas non sponte cadentes;]* Laudat h. l. Bentl. ad Horat. Serm. II, 5, 104. de fictis lacrimis inclusa mentis gaudia celantibus.

Web.

1044. — *qui sicco lumine campos Viderat]* Bentl. ad Horat. Carm. I, 3, 18. hunc et alios locos de *siccis oculis*, *genis* etc. collegit.

Web.

Digitized by Google

1050 Credis apud populos, Pompeji nomen amantes,
Hoc castris prodesse tuis? fortasse tyranni
Tangeris invidia, captique in viscera Magni
Hoc alii licuisse doles, quererisque perisse
Vindictam belli, raptumque e jure superbi
1055 Victoris generum. quisquis te flere coegit
Impetus, a vera longe pietate recessit.
Scilicet hoc animo terras atque aequora lustras,
Necubi suppressus pereat gener. o bene rapta
Arbitrio mors isto tuo! quam magna remisit
1060 Crimina Romano tristis Fortuna pudori,
Quod te non passa est misereri, perfide, Magni
Viventis! nec non his fallere vocibus audes,
Acquirisque fidem simulati fronte doloris.
Aufer ab aspectu nostro funesta, satelles,
1065 Regis dona tui: pejus de Caesare vestrum,
Quam de Pompejo meruit scelus. unica belli
Praemia civilis, victis donare salutem,
Perdidimus. quod si Phario germana tyranno
Non invisa foret, potuissem reddere regi,
1070 Quod meruit, fratrique tuum pro munere tali

1050. Credis, *s* ex *t* man. alia correcta, c. 1052. *Angeris*, a. b, *A* man. sec. in membr. erasa. *vel tangeris*, a. *vicera*, ita semper, c. 1053. aliis, a. c, man. sec. *s* addita. 1054. *e* jure. *e* abest, d. 1056. Impietus, *us* in membr. erasa, d. 1057. *Si* licet, c. lustra*ns*, c. 1060. Inde ab hoc versu alia manus Codicem a. scripsit. Versus hic in c. ad margin. scriptus legitur. 1062. aude*t*, b. a, pro var. lect. c, prima manus. 1063. Adquirit*que*, b. a, pro var. lectione. c, man. prima. 1069. foret, *o*, *t* in membr. erasa, d.

Digitized by Google

Misissem, Cleopatra, caput. secreta quid arma
Movit, et inseruit nostro sua tela labori?
Ergo in Thessalicis Pellaeo fecimus arvis
Jus gladio? vestris quaesita licentia regnis?
1075 Non tuleram Magnum mecum Romana regentem:
Te, Ptolemaee, feram? frustra civilibus armis
Miscuimus gentes, si qua est hoc orbe potestas
Altera, quam Caesar: si tellus ulla duorum est.
Vertissem Latias a vestro littore proras:
1080 Famae cura vetat, ne non damnasse cruentam,
Sed videar timuisse Pharon. nec fallere vos me
Credite victorem: nobis quoque tale paratum
Littoris hospitium: ne sic mea colla gerantur,
Thessaliae fortuna facit. majore profecto,
1085 Quam metui poterat, discrimine gessimus arma:
Exilium, generique minas, Romamque timebam:
Poena fugae Ptolemaeus erat. sed parcimus annis,

1073. versus litera b notatus est manu alia, c. arvis, *rvis* man. alia in membr. erasa, c. 1074. versus litera a signatus in margine c. legitur. glad*iis*, c. quaesita *est*, d. 1075. versus man. alia litera c notatus, ad marginem legitur man. alia scriptus, c. 1077. Miscuimus, *us* man. alia, c. 1078. u*na* duorum, c. 1080. *nec* non, suprascripto *ne* man. alia, c. 1081. vosm*et*, a. b. c. d. 1082. *v*obis, c. 1083. hospitium *est*, c. d. ne, *e* man. alia ex *i* c correcta, c. 1084. fecit *m*. majore, punctum ab alia manu additum, c. 1085. Quam, *m* man. alia addita, c.

Digitized by Google

Donamusque nefas. sciat hac pro caede tyrannus
Nil venia plus posse dari. vos condite busto
1090 Tanti colla ducis: sed non, ut crimina tantum
Vestra tegat tellus. justo date thura sepulcro,
Et placate caput, cineresque in littore fusos
Colligite, atque unam sparsis date manibus urnam.
Sentiat adventum soceri, vocesque querentis
1095 Audiat umbra pias. dum nobis omnia praefert,
Dum vitam Phario mavult debere clienti,
Laeta dies rapta est populis: concordia mundo
Nostra perit: caruere Deis mea vota secundis,
Ut te complexus, positis felicibus armis,
1100 Affectus abs te veteres, vitamque rogarem,
Magne, tuam: dignaque satis mercede laborum
Contentus par esse tibi. tunc pace fideli
Fecissem, ut victus posses ignoscere divis,
Fecisses ut Roma mihi. Nec talia fatus
1105 Invenit fletus comitem, nec turba querenti
Credidit: abscondunt gemitus, et pectora laeta

1089. cr*e*dite busto, c. 1090. crim. *sol*um, a. d. 1091. Vestr*am*, a. 1092. littor*a*, b. 1093. unam, ante *u* aliquid erasum, b. 1094. querent*es*, et in marg. man. alia *tis*, c. 1095. praefert, man. sec. antea *profert*, c. 1098. Nostr*am*, a. perit, *e* ex *a* correcta, c. D*ii*s, d. *Deis*, man. alia in membr. erasa, c. 1100. *Ef*fectus, c. *a* te, c. d. a, pro var. lectione. 1102. Cont*emp*tus, c. 1104. versus in margine man. alia legitur, c. 1105. comit*um*, b. c, man. sec. *loqu*enti, c. 1106. abscondunt, man. alia, antea absco*ndit*, c.

Digitized by Google

Fronte tegunt, hilaresque nefas spectare cruentum,
(O bona libertas!) cum Caesar lugeat, audent.

1108. lugeat ·· *absens*, et in marg. man. alia ·· *audent*, c.

1107. *Fronte tegunt,*] Affert hunc locum inter alios Bentl. ad Horat. Serm. II, 5, 104. quibus dictiones *vultu celare*, *tegere* et similes comprobat. Wzz.

Digitized by Google

M. ANNAEI LUCANI
PHARSALIAE
LIBER DECIMUS.

Ut primum terras, Pompeji colla sequutus,
Attigit, et diras calcavit Caesar arenas:
Pugnavit fortuna ducis, fatumque nocentis
Aegypti, regnum Lagi Romana sub arma
5 Iret, an eriperet mundo Memphiticus ensis
Victoris victique caput. tua profuit umbra,
Mague, tui socerum rapuere a sanguine manes,
Ne populus post te Nilum Romanus haberet.
Inde Paraetoniam fertur securus in urbem

1. secutus, ita semper, b. d. 2. Caes. calcavit, b. 4. *an* regnum, c. 5. mem*ficy*cus, c. 8. versus in margine man. alia scriptus legitur, c. Ne*c*, a. b. d. populu*m* Roman*um* Nil*us* habe*bit*, b. habe*bit*, a. d. *ama*ret, c. 9. P*h*aretoniam, b. c. Pare*tho*niam, d. secur. fertur, c.

8. *Ne populus post te Nilum Romanus haberet.]* Male cessit interpretatio viro summo. Totus versus abest a codice Aea-

Digitized by Google

10 Pignore tam saevi sceleris, sua signa sequutus.
Sed fremitu vulgi fasces et jura querentis
Inferri Romana suis, discordia sensit
Pectora, et ancipites animos, Magnumque perisse
Non sibi. tum vultu semper celante timorem,
15 Intrepidus Superum sedes, et templa vetusti
Numinis, antiquas Macetum testantia vires,
Circuit: et nulla captus dulcedine rerum,
Non auro, cultuque deum, non moenibus urbis,
Effossum tumulis cupide descendit in antrum.
20 Illic Pellaei proles vesana Philippi
Felix praedo jacet: terrarum vindice fato
Raptus: sacratis totum spargenda per orbem
Membra viri posuere adytis: Fortuna pepercit
Manibus, et regni duravit ad ultima fatum.
25 Nam sibi libertas unquam si redderet orbem,
Ludibrio servatus erat, non utile mundo
Editus exemplum, terras tot posse sub uno

14. tu*nc*, a. b. c. d. *pav*orem, d. pavor*es*, a. c. 16. Mace*d*um, ita semper, b. d. 17. rerum, *rum* man. al. in membr. erasa, c. 19. Effossum, *o* et *um* man. alia in membr. erasa, c. descendit, *s* man. alia addita, c.

demico. Regius et Bersmanni unus AMARET. Rectissime. Manes Pompeji eripuerunt a caede Caesarem; non ejus cura et causa, sed Aegyptiorum odio et ultione, ne ob Caesaris occisi beneficium populus Romanus amaret Nilum, Pompeji caedem condonaret. Pothinus infra 387,

— jugulus mihi Caesaris haustus
Hoc praestare potest, Pompeji caede nocentes
Ut populus Romanus amet.

14. — *tum vultu semper celante timorem,]* Alii codices *pavorem*, alii *pavores*. Hoc placet. 1, 521,

Danda tamen venia est, tantorum danda pavorum.

Esse viro. Macetum fines, latebrasque suorum
Deseruit, victasque patri despexit Athenas:
50 Perque Asiae populos, fatis urgentibus actus,
Humana cum strage ruit, gladiumque per omnes
Exegit gentes: ignotos miscuit amnes,
Persarum Euphraten, Indorum sanguine Gangen:
Terrarum fatale malum, fulmenque, quod omnes
55 Percuteret pariter populos, et sidus iniquum
Gentibus. Oceano classes inferre parabat
Exteriore mari. non illi flamma, nec undae,
Nec sterilis Libye, nec Syrticus obstitit Ammon.
Isset in occasus, mundi devexa sequutus,
40 Ambissetque polos, Nilumque a fonte bibisset:
Occurrit suprema dies, naturaque solum
Hunc potuit finem vesano ponere regi:
Qui secum invidia, qua totum ceperat orbem,
Abstulit imperium; nulloque herede relicto
45 Totius fati, lacerandas praebuit urbes.
Sed cecidit Babylone sua Parthoque verendus.
Pro pudor! Eoi propius timuere sarissas,

28. Macedum, *d* ex *t* man. alia correcta, c. *vires*, et in marg. man. alia *fines*, c. 29. *Athenas*, man. alia correctum ex *Aethnas*, d. 33. Per saxum, c. *et* Indor. c. 34. *fulvum*que *per* omnes, et in marg. *fulmen*, c. 38. Lib*ies*, d. Lib*iae*, b. ne*n*, a. Sc*i*ticus, *ci* in membr. erasa, d. S'*i*ticus, 'man. alia, et in marg. man. alia *Sirticus*, c. 39. occasu*m*, a. b. c. d. 40. polos, *los* man. alia in membr. erasa, c. fonte, *f* man. alia in membr. erasa, c. 41. Occurrit, *c* man. alia addita, c. 46. Babilon*a*, d. Parth*is*, man. alia in membr. erasa, c. 47. sarisas, b. d.

31. *Humana cum strage ruit.*] Scribe *Immani*, vel *Immensa*. Tacitus VI, 19, *Jacuit* immensa strages, *omnis sexus, omnis aetas.* 44. — *nulloque haerede relicto Totius fati, lacerandas prae-*

Quam nunc pila timent populi. licet usque sub Arcton
Regnemus, Zephyrique domos, terrasque premamus
50 Flagrantis post terga Noti: cedemus in ortus
Arsacidum domino. non felix Parthia Crassis
Exiguae secura fuit provincia Pellae.
Jam Pelusiaco veniens a gurgite Nili
Rex puer, imbellis populi sedaverat iras,
55 Obside quo pacis Pellaea tutus in aula
Caesar erat: cum se parva Cleopatra biremi,
Corrupto custode Phari laxare catenas,
Intulit Emathiis ignaro Caesare tectis;
Dedecus Aegypti, Latio feralis Erinnys,
60 Romano non casta malo. quantum impulit Argos,
Iliacasque domos facie Spartana nocenti,
Hesperios auxit tantum Cleopatra furores.

48. Arct*o*, a. b. c. d. 50. ced*a*mus, b. c. d. a, inter lineas. ort*um*, b. 51. Arsad*i*um, et in marg. manu Cod. sine nota *Arsacidum*, c. 53. Jam*que* Pelusi*na*, c. 55. Obside, *b* man. alia addita, c. Pellea, ita semper, b. 56. *erat*, abest, c. 59. Latii, a. b. c. d. Eri*n*is, c. b. *H*eri*n*is, d.

buit urbes.] Curtius [x, 5, 12.]: *sine certo regis haerede, sine haerede regni*, publicas vires ad se quemque tracturum. Grotius. Adde Livium XLV, 9. *Maximum in terris Macedonum regnum nomenque, inde morte Alexandri distractum in multa regna, dum* ad se quisque opes rapiunt lacerantes viribus: ubi Gronovius *laceratis*.

56. — *cum se parva Cleopatra biremi, Corrupto custode Phari laxare catenas,]* Ex hoc loco Corippus Africanus III, [16.] de gemmis loquens,

Et quas Memphitica Caesar perduxit ab aula,
Quas supplex Cleopatra dedit, cum vincula fratris
Frangeret, et rupto pallens custode veniret.

An scripsit, *cum vincula Phari Frangere corrupto?* Phari, prima longa, ut Memphitica secunda brevi.

Digitized by Google

Terruit illa suo, si fas, Capitolia sistro,
Et Romana petit imbelli signa Canopo,
65 Caesare captivo Pharios ductura triumphos:
Leucadioque fuit dubius sub gurgite casus,
An mundum ne nostra quidem matrona teneret.
Hoc animi nox illa dedit, quae prima cubili
Miscuit incestam ducibus Ptolemaida nostris.
70 Quis tibi vesani veniam non donet amoris,
Antoni? durum cum Caesaris hauserit ignis
Pectus, et in media rabie medioque furore,
Et Pompejanis habitata manibus aula,
Sanguine Thessalicae cladis perfusus, adulter
75 Admisit Venerem curis, et miscuit armis
Illicitosque toros, et non ex conjuge partus?
Pro pudor! oblitus Magni tibi, Julia, fratres
Obscoena de matre dedit: partesque fugatas
Passus in extremis Libyes coalescere regnis,

63. *ipsa* suo, c. si fas *est*, c. 64. imb*ll'i*, *i* man. alia addita, c. 65. *fessos* et *vel Pharios*, a. 67. ne, *n* man. alia correcta, c. nostra *eadem*, d. a. quidem, sed *qui* man. alia in membr. erasa, b. quidem, *em* man. alia additae, c. *vel quidem*, a. 69. P*t*holomeida, b. 70. vesani, *i* in membr. erasa, c. 71. ign*es*, b. ignis et *vel ignes*, a. 73. au*ra*, c. 75. Ad Vener. misit cur*as*, et *vel Admisit Venerem curis*, a. 77. Pro *dolor*, b. a, et *vel pro pudor*. 79. Lib*ie*, d. c. Lib*iae*, a. b. *calescere*, et in marg. man. alia *coalescere*, c.

69. — *Ptolemaida*] Lege *Ptolemaeida*. Sidonius Carm. v, [461.] *Ptolemaeide gasa*.

71. — *durum cum Caesaris hauserit ignis Pectus*.] Recte alii codices *ignes*; etiam qui *ignis* habent, ex veteri more accusativum pluralem indicant. Ovid. Met. x, 233,

— *miratur et* haurit

80 Tempora Niliaco turpis dependit amori,
Dum donare Pharon, dum non sibi vincere mavult.
Quem, formae confisa suae, Cleopatra sine ullis
Tristis adit lacrymis, simulatum comta dolorem,
Quem decuit, veluti laceros dispersa capillos,
85 Et sic orsa loqui: Si qua est, o maxime Caesar,
Nobilitas, Pharii proles clarissima Lagi,
Exul, in aeternum sceptris depulsa paternis,

80. deprendit, c. 81. *Dum*, man. alia in membr. erasa correctum, c. Pharo*s*, d. Pharon, *o* ex *u* man. alia correcta, c. 84. Qu*am*, d. a. c. Qu*a*, b. lacer. veluti, b. 85. *o* inter lineas, c. 87. pa*rentis*, c.

Pectore *Pygmalion simulati corporis* ignes.

84. — *simulatum comta dolorem, Quem decuit,]* Ita rectius: alii habent, *Quam*. Grotius. Quid vero est *comta dolorem?* Codices fere universi *Quam:* unus ex nostris *Quod*. *Quem* ex Grotii conjectura est. Repone,

— *sine ullis*
Tristis adit lacrimis; simulatum comta dolorem
QUA *decuit; veluti laceros* DISPOSTA *capillos.*

Nec sententiarum acumen, nec verborum constructionem deprehendit vir magnus. *Tristis vultu adit*, sed *sine ullis lacrimis*, ne formae nocerent: *comta*, sed eatenus, *qua decuit simulatum dolorem*, ne procax impudensque videretur. *Disposta capillos*, sed *veluti laceros;* ut cura ipsa negligentiam simularet. Ceterum pro *dispersa*, quod codices habent, reposui *disposta*. *Dispersa* enim rem veram, non simulatam notaret. Claudianus Proserp. 1, 55, *Incultas dispersa comas*. Sed *disposta* artem et cultum indicat. Ovid. Amor. 1, 14, [35.]

Quid male dispositos *quereris periisse* capillos?

Tibullus 1, 8, 9.

Quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos,
Saepeque mutatas disposuisse comas?

et 9, 67.

Tune putas illum pro te disponere crines,
Et tenues denso pectere dente comas?

Ovid. Arte III, 153.

Et neglecta decet multas coma; saepe jacere
Hesternam credas, illa repexa modo est.
Ars casum simulat.

Digitized by Google

Si tua restituat veteri me dextera fato,
Complector regina pedes. tu gentibus aequum
90 Sidus ades nostris. non urbes prima tenebo
Femina Niliacas: nullo discrimine sexus
Reginam scit ferre Pharos. lege summa peremti
Verba patris, qui jura mihi communia regni,
Et thalami cum fratre dedit. puer ipse sororem,
95 Sit modo liber, amet: sed habet sub jure Pothini
Affectus ensesque suos. nil ipsa paterni
Juris habere peto: culpa tantoque pudore
Solve domum: remove funesta satellitis arma,
Et regem regnare jube. quantosne tumores

90. tenebo et *vel ferebar*, a. 92. Pharos et *vel Pharon*, a. 94. thalamos, a. b. c. d. 95. amat, a. b. c. d. 96. ni*hil*, b. a, pro var. lectione. 97. Juris *inire*, b. c. a, pro var. lectione. *habere* inter lineas man. alia, c. 98. satell*ius*, et ad marg. manu alia *satellitis*, c. 99. *tan*tos, b. c. in marg. manu alia. *ti*mores, c. b, manu prima.

88. *Si tua restituat veteri me dextera fato.]* Quid audio? In aeternum exul, si restituatur fato veteri? Quam diu toleraverunt quam turpe mendum! facile erat reponere, NI *tua restituat:* et sic codex Bersmanni atque Academicus.

93. — *qui jura mihi communia regni, Et thalami cum fratre dedit.]* Codices nostri omnes, et plerique aliorum *thalamos.* Rectissime, nam *thalami jura*, quaecumque sunt, non belle veniunt ex puellae ore.

96. *Affectus ensesque suos.]* Lego *sensusque.* Plin. VIII, 35, *Unus huic tam pestifero animali* (*aspidi*) sensus *seu potius* affectus *est.*

96. — *nil ipsa paterni Juris habere peto.]* IMIAR habent tres Pulmanni, Bersmanni unus, et codex Collegii Trinitatis. Sed supersunt adhuc alia menda. *Ipsa nihil petit*, quae jam nunc aequam imperii partem cum fratre petit? Repone,

— *puer ipse sororem,*
Sit modo liber, amet: sed habet sub jure Pothini
Affectus sensusque *suos; nihil* IPSE *paterni*
Juris INIRE PETIT.

Postulat hoc quae sequuntur, *solve domum tanto pudore.* Quo pudore? quod ego exulo? immo, quod regni vim exercet, non rex, sed famulus: *Remove satellitis arma*, *et regem regnare jube.* infra *vs.* 552,

Et dederat ferrum nullo sibi jure retento.

99. — *quantosne tumores Men-*

Digitized by Google

100 Mente gerit famulus, Magni cervice revulsa!
Jam tibi (sed procul hoc avertant fata!) minatur.
Sat fuit indignum, Caesar, mundoque tibique,
Pompejum facinus meritumque fuisse Pothini.
Nequicquam duras tentasset Caesaris aures:
105 Vultus adest precibus, faciesque incesta perorat.
Exigit infandam, corrupto judice, noctem.
Pax ubi parta duci, donisque ingentibus emta est;

100. *regni* et *vel Magni*, a. cervise, et ad marg. man. alia *cervice*, c. 101. fata, *t* man. alia in membr. erasa, c. 102. mundoque, *que* man. alia, c. 103. Pompejum et *vel Pompeji*, a. 104. Nequicquam et *vel Necquicquam*, a. Nequiquam, d. 105. *infesta*, d. 106. *Caesare* noctem, b. a, pro var. lectione.

te gerit famulus, Magni cervice revulsa!] Vitiosa distinctio est. Tu sic interpunge,

— quantosne tumores
Mente gerit famulus? Magni cervice revulsa,
Jam tibi - - - - - minatur.

106. *Exigit infandam corrupto judice noctem.]* Quid hoc monstri est? Exigit, consumit noctem, stupro scilicet: at nondum coena adornabatur, quod mox fit magno apparatu; et longis sermonibus producitur, versibus sequentibus usque ad 431. Quale vero illud: *judice noctem?* Moecho potius et adultero opus, quam *judice*. Quid autem, an prior Cleopatra et non rogata noctem Caesaris petebat? Quanti emetur tam corrupti loci satis certa emendatio? At hoc agamus. Venerat Cleopatra, partem regni dimidiam postulans, ex testamento patris: hac dote eam uxorem ducere Ptolemaeus jubebatur a patre; sed famulorum suasu eam expulerat, atque armis insectabatur. Illa totam rem Caesari judicandam detulit. Jam repone,

Exigit infandam corrupto judice DOTEM.

Exigit dotem, hoc est, poscit a Caesare atque obtinet. *Infandam autem dotem*, quia Romanorum moribus incestae erant nuptiae fratris cum germana sorore. *Corrupto judice*, quia (ut supra) frustra Caesarem appellasset, nisi *vultus et facies* plus quam causa judicem commovisset. *Exigere dotem* passim apud Jurisconsultos habes. ut chartae parcam, Brissonium consulo voce *Exigere*. Ovid. Fast. VI, 594,

Et caput et regnum facio dotale parentis;
Si vir es, i, dictas exige dotis opes.

107. *Pax ubi parta duci, donisque ingentibus emta est;]* Rursus in monstrum incidimus. Quid enim *duci* est? An Caesar

Excepere epulae tantarum gaudia rerum:
Explicuitque suos magno Cleopatra tumultu
110 Nondum translatos Romana in secula luxus.
Ipse locus templi, quod vix corruptior aetas
Extruat, instar erat: laqueataque tecta ferebant
Divitias, crassumque trabes absconderat aurum.
Nec summis crustata domus, sectisque nitebat
115 Marmoribus: stabatque sibi non segnis Achates,
Purpureusque lapis, totaque effusus in aula
Calcabatur Onyx: Hebenus Mareotica vastos
Non operit postes, sed stat pro robore vili
Auxilium, non forma domus, ebur atria vestit,
120 Et suffixa manu foribus testudinis Indae
Terga sedent, crebro maculas distincta Smaragdo.
Fulget gemma toris, et Iaspide fulva supellex:

112. Exstruet, a. b. d. 117. Calcabitur, c. onix, b. c. d. 118. vili, *v* ex *n* man. alia correcta, c. 120. Et suffecta, a. b. c, et ad marg. man. alia *vel suffulta* et ·|· *profecta*, man. Cod. 122. fulget, et *vel fulsit*, a. toris, et *vel toros*, a. Post hunc versum legitur hic: *Hic thorus Assirio, cujus pars maxima succo Strata micant tyrio, quorum pars maxima lentum* Cocta etc. c. In a sequitur idem versus (sed *fuco* in fine) post v. 122;

ingentibus donis emit et peperit sibi pacem? At si interpretem audis, *duci* hic erit *Ptolemaeo*. Quam facile, si sic agitur, curva omnia corriguntur! at tu repone,

Pax ubi parta ducis, *donisque ingentibus emta est.*

Pax ducis est *gratia et favor Caesaris.* Plautus Amphi. [v, 1, 75.]

Ut Jovis supremi *multis hostiis* pacem *expetam.*

112. — *laqueataque tecta ferebant Divitias.*] An *gerebant?* ut *vs.* 140, *Divitias Cleopatra gerit.*

121. — *crebro maculas distincta Smaragdo.*] Repone ex aliis codicibus *crebra.*

Digitized by Google

Strata micant: Tyrio quorum pars maxima succo
Cocta diu, virus non uno duxit aheno;
125 Pars auro plumata nitet; pars ignea cocco,
Ut mos est Phariis miscendi licia telis.
Tum famulae numerus turbae, populusque minister,
Discolor hos sanguis, alios distinxerat aetas:
Haec Libycos, pars tam flavos gerit altera crines,
130 Ut nullas Caesar Rheni se dicat in arvis
Tam rutilas vidisse comas. pars sanguinis usti
Torta caput, refugosque gerens a fronte capillos.
Nec non infelix ferro mollita juventus,
Atque exacta virum. stat contra fortior aetas,
135 Vix ulla fuscante tamen lanugine malas.
Discubuere toris reges, majorque potestas,
Caesar: et immodice formam fucata nocentem,

deinde v. 125. *Pars-cocco*, v. 123. *Strata-maxima* lentum. v. 124. *Cocta diu* etc. Versus 125 et 124. erasi erant, sed manu alia rescripti, ut indicavimus. In b. ordo versuum hic est: *Hic thorus — maxima fuco*, litera *d* notatus; *Pars — cocco; a*; *Strata — maxima* lentum; *b*; *Cocta — aeno; c*; *Ut mos — telis; e*. 123. *fuco*, d. 124. aeno, d. 125. cocco, et ad marg. *vel cracco*, c. 126. li*t*ia, d. 127. Tu*nc*, a. b. c. d. "numerus, et in marg. "*veneris* man. alia, c. 130. nul*lis*, a. b. c. d. Rheni Caesar, b. *R*eni, *R* man. alia in membr. erasa, c. *vel Poenis*, *vel Nili*, a. arvis, *v* in *u* membr. erasa, man. alia, c. 135. fiscante, c. 136. *illic* reges, a. b. d. c, et ad marg. *thoris* man. alia. 137. fucata et ad marg. fuscata, b. fu*s*cata, et ad marg. man. alia *fuscata*, c.

136. *Discubuere toris reges, majorque potestas Caesar: et immodice formam fucata nocentem.*] *Reges* sunt *Ptolemaeus et Cleopatra*. Lege igitur, AT *immodice*; ne Cleopatra non una

Nec sceptris contenta suis, nec fratre marito,
Plena maris rubri spoliis, colloque comisque
140 Divitias Cleopatra gerit, cultuque laborat.
Candida Sidonio perlucent pectora filo,
Quod Nilotis acus compressum pectine Serum
Solvit, et extenso laxavit stamina velo.
Dentibus hic niveis, sectos Atlantide silva
145 Imposuere orbes; quales ad Caesaris ora
Nec capto venere Juba. pro caecus et amens
Ambitione furor, civilia bella gerenti
Divitias aperire suas, incendere mentem
Hospitis armati. non sit licet ille nefando
150 Marte paratus opes mundi quaesisse ruina:
Pone duces priscos, et nomina pauperis aevi
Fabricios, Curiosque graves: hic ille recumbat
Sordidus Hetruscis abductus Consul aratris,
Optabit patriae talem duxisse triumphum.
155 Infudere epulas auro, quod terra, quod aer,
Quod pelagus Nilusque dedit, quod luxus inani
Ambitione furens toto quaesivit in orbe,

142. Quod, man. alia correctum, c. Nilotis, man. alia correctum, c. 143. extento, d. extenso, *t* man. alia in membr. erasa, et ad marg. manu Cod. *extento*, c. 144. *sic*, et ad marg. manu alia *hic*, c. At*h*lantide, b. c. d. 146. N*on* capto, a. 148. n*am* *s*cit et *vel non sit*, a. non, sed *on* man. sec. in membr. erasa, b. 149. armat*am*, ut videtur; *am* man. alia, c. *licet*, man. alia additum, d. 153. *E*truscis, b. d. et ad marg. manu alia *Etruscis abductis*, c.

• regibus sit, sed quarta ex discumbentibus.

144. *Dentibus his niveis,*] Lege *Indis*. Catullus nuptiis Pelei, [*vs.* 68.] Pulvinar Indo *quod dente politum*.

Non mandante fame. multas volucresque ferasque
Aegypti posuere Deos: manibusque ministrat
160 Niliacas crystallus aquas: gemmaeque capaces
Excepere merum, sed non Mareotidos uvae,
Nobile sed paucis senium cui contulit annis,
Indomitum Meroe cogens spumare Falernum.
Accipiunt sertas nardo florente coronas,
165 Et nunquam fugiente rosa: multumque madenti
Infudere comae, quod nondum evanuit aura
Cinnamon, externa nec perdidit aera terra:
Advectumque recens vicinae messis Amomum.
Discit opes Caesar spoliati perdere mundi,
170 Et gessisse pudet genero cum paupere bellum,
Et causas martis Phariis cum gentibus optat.
Postquam epulis Bacchoque modum lassata voluptas
Imposuit, longis Caesar producere noctem
Inchoat alloquiis: summaque in sede jacentem
175 Linigerum placidis compellat Achorea dictis:
O sacris devote senex, quodque arguit aetas,
Non neglecte Deis, Phariae primordia gentis,

158. mandante et *vel mandente*, a. mandente, man. prima, b. 161. *Accipere*, c. Mareotid*is*, c. 163. Mero*ae*, b. Mero*en*, d. *P*alernum, c. 165. madenti, et *vel madentes*, a. 166. nondum, *o* ex *u* man. alia correcta, b. 167. Ci*n*amon, b. c, man. alia correxit. extern*ae* — terr*ae*, a. d. b, manu prima. *vel externa — terra*, a. 168. Amomo*n*, c. 171. Phar. martis, a. 172. la*x*ata et *vel lassata*, c. 176. L*a*nigerum, a. c. d. b, et *vel Longaevum*. Acorea, ut semper, b. c.

Martialis [epigr. III, 71.], *Indicoque cornu.*

Digitized by Google

Terrarumque situs, vulgique edissere mores,
Et ritus formasque Deum: quodcunque vetustis
180 Insculptum est adytis profer, noscique volentes
Prode Deos. si Cecropium sua sacra Platonem
Majores docuere tui: quis dignior unquam
Hoc fuit auditu, mundique capacior hospes?
Fama quidem generi Pharias me duxit ad urbes,
185 Sed tamen et vestri: media inter proelia semper
Stellarum coelique plagis, Superisque vacavi,
Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.
Sed cum tanta meo vivat sub pectore virtus,
Tantus amor veri, nihil est quod noscere malim,
190 Quam fluvii causas per secula tanta latentes,
Ignotumque caput: spes sit mihi certa videndi
Niliacos fontes: bellum civile relinquam.
Finierat, contraque sacer sic orsus Achoreus:
Fas mihi magnorum, Caesar, secreta parentum
195 Prodere, ad hoc aevi populis ignota profanis.
Sit pietas aliis, miracula tanta silere:
Ast ego coelicolis gratum reor, ire per omnes
Hoc opus, et sacras populis notescere leges.
Sideribus, quae sola fugam moderantur Olympi,
200 Occurruntque polo, diversa potentia prima

178. vulgi edissere, c. 181. Platonem, *em* man. alia in membr. erasa, c. 186. Superisque, *Super* man. alia in membr. erasa, et in marg. *Superisque*, c. 189. mal*lem*, d. malim, sed *im* man. alia in membr. erasa, c. 190. *cunc*ta, d. latent*is*, c. d. 193. contraque, *contra* man. alia in membr. erasa, c. Achor*us* et *vel Achoreus*, a. 195. *E*dere, a. b. 197. coelicol*as*, a. 199. moderantur, *m* man. alia addita, d.

Digitized by Google

Mundi lege data est. Sol tempora dividit anni,
Mutat nocte diem, radiisque potentibus astra
Ire vetat, cursusque vagos statione moratur.
Luna suis vicibus Tethyn terrenaque miscet.
205 Frigida Saturno glacies, et zona nivalis
Cessit. habet ventos incertaque fulmina Mavors.
Sub Jove temperies et nunquam turbidus aer.
At foecunda Venus cunctarum semina rerum
Possidet. immensae Cyllenius arbiter undae est.
210 Hunc ubi pars coeli tenuit, qua mista Leonis
Sidera sunt Cancro, rapidos qua Sirius ignes
Exerit, et varii mutator circulus anni.
Aegoceron, Cancrumque tenet, cui subdita Nili
Ora latent: quae cum dominus percussit aquarum
215 Igne superjecto, tunc Nilus fonte soluto
Exit, ut Oceanus lunaribus incrementis
Jussus adest: auctusque suos non ante coarctat,
Quam nox aestivas a Sole receperit horas.
Vana fides veterum, Nilo, quo crescat in arva,

201. *aevi*, a. b. c. d. *vel anni*, a. c, ad marg. 202. M*it*tat, d. 204. Teth*im*, b. c. 208. *Et* foecunda, b. 210. Hic et *vel Hunc*, a. Hunc, sed *H* in membr. erasa, d. 211. *et* rapido*s*, *et*, *s*, man. alia inserta, c. ra*b*idos, b. qua, *u* man. alia correcta, c. 213. *E*goceron, b. Aegocer*um*, a. Ae*gl*oceron, *l* man. alia inserta, c. 214. que*m*, *m* man. alia addita, et in marg. man. alia *quem cancrum*. c. 217. veraus in marg. man. alia scriptus legitur, a. actusque, c. 219. quo*d* crescat, a. b. c. d.

206. — *habet ventos, incertaque fulmina Mavors.*] Lege *flamina*.

213. *Aegoceron Cancrumque tenet,*] Lege *Aegoceron Cancrumque* ferit. Colurum intelligit, qui quatuor anni tempora signat.

216. — *ut Oceanus lunari-*

220 Aethiopum prodessè nives. non Arctos in illis
Montibus aut Boreas. testis tibi sole perusti
Ipse color populi, calidique vaporibus Austri.
Adde, quod omne caput fluvii, quodcunque soluta
Praecipitat glacies, ingresso vere tumescit
225 Prima tabe nivis: Nilus neque suscitat undas
Ante Canis radios, nec ripis alligat amnem
Ante parem nocti, Libra sub judice Phoebum.
Inde etiam leges aliarum nescit aquarum:
Nec tumet hybernus, cum longe sole remoto
230 Officiis caret unda suis: dare jussus iniquo
Temperiem coelo, mediis aestatibus exit.
Sub torrente plaga, ne terras dissipet ignis,
Nilus adest mundo, contraque incensa Leonis
Ora tumet: Cancroque suam torrente Syenen,
235 Imploratus adest: nec campos liberat undis,
Doneo in autumnum declinet Phoebus, et umbras
Extendat Meroe. quis causas reddere posset?
Sic jussit Natura parens decurrere Nilum:
Sic opus est mundo. Zephyros quoque vana vetustas

221. *sibi*, a. *tibi*, b. sed *t* man. alia in membr. erasa, quae in marg. quoque *tibi*, *o nile*, scripsit. 225. *labe*, d. nec, c. 227. nocti et *vel noctis*, a. 231. aestatibus, e man. scribori addita, b. 232. neu, a. b. c. dissipet et *vel dissecet*, a. 232. *contraque*, man alia in membr. erasa, c. 234. *Sienem*, b. c. 235. adit, c. 236. aumtum, c. Phoeb. declinet, b. 237. Meroes, d. Meroae, b. possit, a. b. d. 238. discurrere, a. b.

bus incrementis Jussus adest] Sidonius Carm. XVII. [107.]

— *at cum summotus* lunaribus incrementis *Ipse Caramia*, etc.

His adscripsit aquis, quorum stata tempora flatus,
Continuique dies, et in aere longa potestas:
Vel quod ab occiduo depellunt nubila coelo
Trans Noton, et fluvio cogunt incumbere nimbos:
Vel quod aquas toties rumpentis littora Nili
Assidue feriunt, coguntque resistere flatus.
Ille mora cursus, adversique obice ponti
Aestuat in campos. Sunt qui spiramina terris
Esse putent, magnosque cavae compagis hiatus.
Commeat hac penitus tacitis discursibus unda,
Frigore ab Arctoo medium revocata sub axèm,
Cum Phoebus pressit Meroen, tellusque perusta
Illuc duxit aquas, trahitur Gangesque Padusque
Per tacitum mundi: tunc omnia flumina Nilus
Uno fonte vomens non uno gurgite perfert.
Rumor, ab Oceano, qui terras alligat omnes,
Exundante procul violentum erumpere Nilum,
Aequoreosque sales longo mitescere tractu.

240. ascri*bit*, *bit* man. alia correctae in membr. erasa, b, antea *ascripsit* fuisse videtur. 242. *p*ellunt *tot* nub., b. *vel tot pellunt*, a. 243. incumbere et *vel incurrere*, a. nimbos, et in marg. man. alia *vel nubes*, c. 244. rumpentes, b. d. 245. Assiduo, a. b. d. ferunt, d. fluct*u*, d. a. b, sed *s* erasa; c, man. prima. *vel fluctus*, a. 246. ob*j*ice, a. 249. Commeat, et *vel Commoveat* sine *hac*, a. *hac* deletum est in c, sed man. alia in marg. scriptum. *ac*, d. 254. *p*rofert, b.

249. *Commeat hac penitus tacitis discursibus unda, Frigore ab Arctoo]* Atqui versu abhinc quarto redit iterum *per tacitum mundi*. Repone,

Commeat hac penitus TECTIS *discursibus unda.*

Sic alibi de re eadem IV, 299.

Non tamen aut tectis *sonuerunt* cursibus *amnes.*

250. *Frigore ab Arctoo]* Ita dici docet ex hoc et alio Nostri

Nec non Oceano pasci Phoebumque polumque
Credimus: hunc, calidi tetigit cum brachia Cancri,
260 Sol rapit, atque undae plus, quam quod digerat aer,
Tollitur. hoc noctes referunt, Niloque refundunt.
Ast ego, si tantam jus est mihi solvere litem,
Quasdam, Caesar, aquas post mundi sera peracti
Secula, concussis terrarum erumpere venis,
265 Non id agente Deo; quasdam compage sub ipsa
Cum toto coepisse reor, quas ille creator
Atque opifex rerum certo sub jure coercet.
Quae tibi noscendi Nilum, Romane, cupido est,
Et Phariis, Persisque fuit, Macetumque tyrannis:
270 Nullaque non aetas voluit conferre futuris
Notitiam: sed vincit adhuc natura latendi.

258. Oceano, correcta *o* man. alia, antea *Oceani*, b. polosque, c. 261. *pro*fundunt, suprascriptis *re* man. alia, c. 262. *fas* est, b, a, pro var. lectione. 263. Quasdam, *d* man. alia correcta in membr. erasa, c. 265. qu*a*sdam, *a* ex *o* man. alia correcta, d. 267. Atque, man. alia, antea *Aut* fuisse videtur, c. sub *recto* jure, a. jure, *e* man. alia correcta, b. 268. est Romane cupido, a. 269. *Haec* Phar. a. Mace*d*umque, b. c. d, man. secunda. ti*ra*nus, c. 271. *sed*, man. alia correctum, c.

loco, VIII, 363. Bentl. ad Horat. Carm. III, 19, 24.

WEE.

260. — *atque undae plus, quam quod digerat aer Tollitur.*] Citat Servius ad Aeneid. I, 612. *Polus dum sidera pascet:* sed apud hunc male legitur *disgregat aer. Quamvis Physici* pasci *aquis marinis sidera, id est, ignes caelestes dicunt; secundum quod Lucanus ait, Atque undae plus, quam quod* disgregat *aer.* Ubi ipsum *pasci* satis ostendit, legisse Servium *Digerat.*

Digitized by Google

Summus Alexander regum, quos Memphis adorat,
Invisit Nilo, misitque per ultima terrae
Aethiopum lectos: illos rubicunda perusti
275 Zona poli tenuit: Nilum videre calentem.
Venit ad occasum mundique extrema Sesostris,
Et Pharios currus regum cervicibus egit:
Ante tamen vestros amnes Rhodanumque, Padumque,
Quam Nilum de fonte bibit. vesanus in ortus
280 Cambyses longi populos pervenit ad aevi,
Defectusque epulis, et pastus caede suorum,
Ignoto te, Nile, redit. non fabula mendax
Ausa loqui de fonte tuo est, ubicunque videris,
Quaereris: et nulli contingit gloria genti,
285 Ut Nilo sit laeta suo. tua flumina prodam,
Qua Deus undarum celator, Nile, tuarum
Te mihi nosse dedit. medio consurgis ab axe,
Ausus in ardentem ripas attollere Cancrum:
In Borean is rectus aquis mediumque Booten:

272. qu*em*, b. d. a, suprascripto *quos*; c, in marg. man. alia, et in textu, sed correctum. 276. occasu*s*, a. c. d. Sosostris, b. Sesastris, *a* ex *o* man. alia correcta, c. 280. Cambises, c. d. Cambi*s*ses, b. 286. Qua et *vel Quem*, a. Que, c. 287. *cum* surgis, c. 289. Boe*tem*, c. Boo*tem*, sed *o* ex *e* correcta, b.

272. *Summus Alexander regum, quos Memphis adorat,]* Codices fere omnes, *quem;* et pro *regum* codex Regius *rerum*. Repone,

Summus Alexander RERUM,
QUEM *Memphis adorat.*

Summus rerum, ut *dulcissime rerum, pulcherrime rerum*. Ovid. Met. XIII, 509. Hecuba

— *modo* maxima rerum,
Tot generis natisque potens, nuribusque viroque.

Heroid. IX, [107,] de Hercule,

— *quanto te*, maxime rerum.

276. *Venit ad occasum mundique extrema Sesostris,]* Codices plerique omnes melius *occasus*.

287. — *medio consurgis ab*

290 Cursus in occasum flexu torquetur et ortus,
Nunc Arabum populis, Libycis nunc aequus arenis:
Teque vident primi, quaerunt tamen hi quoque, Seres,
Aethiopumque feris alieno gurgite campos:
Et te terrarum nescit cui debeat orbis.
295 Arcanum Natura caput non prodidit ulli,
Nec licuit populis parvum te, Nile, videre,
Amovitque sinus, et gentes maluit ortus
Mirari, quam nosse tuos. consurgere in ipsis
Jus tibi solstitiis, aliena crescere bruma,

290. occasus, a. b. c. d. flex*us*, a. b. flex*u*s, c. *et ortus* et *vel in ortum*, a. 293. Aethiopumque, *i* man. alia, d. feris, et *vel teris*, a. campo, c. 295. versus in margine scriptus legitur, a. 296. versus abest, a. 297. Amovitque, *t* man. alia correcta, et inter *t* et *q* aliquid erasum est, c. *g'ns*, et in marg. man. alia *gentes*, c. 298. *nosse*, *n* man. alia in membr. erasa, c.

axe,] Recte duo Bersmanni codices,

— *medio* CUM SURGIS *ab axe.*

Cum surgis a medio axe, *is* rectus in Borean. Hiat oratio, et conjunctione indiget, si vulgatam retines.

290. *Cursus in occasum flexu torquetur et ortus,]* Totum versum sic restitue,

RURSUS *in* OCCASUS *flexu* TORQUERIS *et ortus,*
Nunc Arabum populis, Libycis nunc aequus arenis.

Primo *rectus is in Borean;* rursus sive contra, nunc in ortus, nunc in occasus flecteris, nunc Arabiam amplians, nunc Libyam; ut III, 276. de Tanai

Nunc hunc, nunc illum, qua flectitur, ampliat orbem.

296. *Nec licuit populis parvum te, Nile, videre, Amovitque sinus,]* Nempe *Natura amovit:* at iste versus *Nec licuit* etc. plane intercipit et intercidit sententiam. Sed egregiam hic opem praestat codex Regius, luxatos fuisse versus clare indicans; hoc enim ordine ponit, *Aethiopumque feris, Nec licuit populis, Et te terrarum, Arcanum natura.* Nos leviore brachio rem conficimus, duobus tantum proximis transmutatis,

Digitized by Google

300 Atque hyemes afferre tuas: solique vagari
Concessum per utrosque polos. hic quaeritur ortus,
Illic finis aquae. late tibi, gurgite rupto,
Ambitur nigris Meroe foecunda colonis,
Laeta comis hebeni: quae, quamvis arbore multa
305 Frondeat, aestatem nulla sibi mitigat umbra:
Linea tam rectum mundi ferit illa Leonem.
Inde plagas Phoebi, damnum non passus aquarum,
Praeveheris, sterilesque diu metiris arenas,
Nunc omnes unum vires collectus in amnem,
310 Nunc vagus, et spargens facilem tibi cedere ripam.
Rursus multifidas revocat piger alveus undas,
Qua dirimunt Arabum populis Aegyptia rura
Regni claustra, Philae. mox te deserta secantem,
Qua dirimunt nostrum rubro commercia Pontum,
315 Mollis lapsus agit. quis te tam lene fluentem,
Moturum tantas violenti gurgitis iras,
Nile, putet? sed cum lapsus abrupta viarum

301. Concessum *est*, b. d. 303. nigris, *is* correctae man. alia, c. Mero*es*, d. a, pro var. lectione. 306. Linea, *i* man. alia in membr. erasa, c. fe*rt* illa, b. 308. Pr*o*veheris, d. c. a, pro var. lectione, b, man. prima. 309. *H*unc, c. vires unum, b. d. 310. *H*unc, c. 311. revocat et *vel renovat*, a. 312. populos, c. d. a. *et E*gyptia, d. 312 et 313. in margine a scripti sunt. 314. nostrum rubro-Pont*o*, antea nostr*i* rubr*i*-Pont*i*, b. Pont*o*, a. c. 316. Moturum, *o* ex *a* man. alia correcta, c. tota*s*, a. b. c. d. *vel tantas*, a.

Nec licuit populis parvum te, Nile, videre,
Arcanum Natura caput non prodidit ulli,
Amovitque sinus.

307. *Inde plagas Phoebi.*] *Plagam* repone. Virg. Aen. VII, 226.

— *et si quem extenta plagarum*
Quattuor in medio dirimit plaga solis iniqui.

313. *Regni claustra, Philae.*]

Digitized by Google

Excepere tuos, et praecipites cataractae,
Ac nusquam vetitis ullas obsistere cautes
Indignaris aquis: spuma tunc astra lacessis:
Cuncta fremunt undis ac, multo murmure montis,
Spumeus invictis canescit fluctibus amnis.
Hinc, Abaton quam nostra vocat veneranda vetustas,
Terra potens, primos sentit percussa tumultus,
Et scopuli, placuit fluvii quos dicere venas,
Quod manifesta novi primum dant signa tumoris.
Hinc montes Natura vagis circumdedit undis,
Qui Libyae te, Nile, negant: quos inter, ut alta
In convalle jacens, stat molibus unda receptis.
Prima tibi campos permittit apertaque Memphis

318. catarectae, b. 319. nunquam, a. d, man. alia ex *nusquam*, quod pro var. lectione in a legitur. 320. Indignaris et *vel Indignatus*, a. lacescis, c. 321. tremunt, d. b. a, pro var. lectione, et *vel premunt*. 322. invitis, a. d. c, et in marg. invictis. invi c ti, b. *albescit* et *vel canescit*, a. 323. vocat et *vel colit*, a. 324. sensit, a. b, man. prima. *vel* sentit, a. 326. timoris, a. d. b, suprascripta *u* man. alia. *vel tumoris*, a. 328. negent, c. d. a. b. *et* alta, d. *in* alta, c. b. a, suprascripto *ut*. 329. It convalle, b. c, sed *I* man. alia in membr. erasa. stat molibus et *vel jam molibus*, a, quod in b legitur, suprascripto *vel molibus*. molibus, d. montibus, et in marg. manu alia *jam molibus*, c. unda *quietis*, a. b, suprascripto *receptis*; c, et in marg. manu alia *receptis est*. 330. apertaque, *que* man. alia, b.

Philae *Φίλαι* insula. Diodorus p. 19.

324. *Terra potens.*] Diodorus p. 19, insulam hanc vocari *ἱερὸν πεδίον* et *ἄβατον πλὴν ἱερέων*: ibi Osirim sepultum. Ergo an pro *nostra* legendum SACRA?

Digitized by Google

Rura, modumque vetat crescendi ponere ripas.
Sic, velut in tuta securi pace, trahebant
Noctis iter mediae: sed non vesana Pothini
Mens, imbuta semel tam sacra caede, vacabat
335 A scelerum motu. Magno nihil ille peremto
Jam putat esse nefas: habitant sub pectore manes,
Ultricesque Deae dant in nova monstra furorem.
Dignatur viles isto quoque sanguine dextras,
Quo Fortuna parat victos perfundere Patres;
340 Poenaque civilis belli, et vindicta Senatus
Paene data est famulo. procul hoc avertite, Fata,
Crimen, ut haec Bruto cervix absente secetur.
In scelus it Pharium Romani poena tyranni,
Exemplumque perit. struit audax irrita fatis,
345 Nec parat occultae caedem committere fraudi:
Invictumque ducem detecto marte lacessit.
Tantum animi delicta dabant, ut colla ferire
Caesaris, et socerum jungi tibi, Magne, juberet:
Atque haec dicta monet famulos perferre fideles
350 Ad Pompejanae socium sibi caedis Achillam,
Quem puer imbellis cunctis praefecerat armis,
Et dederat ferrum, nullo sibi jure retento,

331. rip*is*, d. 334. Mens, *e* correcta, d. *iam*, supra scripto *tam*, a. 335. n*il*, a. 337. *umbrae* dant, d. b. c, inter lineas, manu alia. 338. isto, *i* in membr. erasa, b. 339. patr*is*, suprascripta *e* man. alia, d. 340. *et* ante v. *vindicta* deest, a. b. c. d. 346. de tecto, d. 347. ferir*et*, c. 348. juberet et *vel juberes*, a. 351. praefererat, c. 352. retento et in marg. sine nota *retentum*, c.

Hinc Abatos, quam SACRA *vocat veneranda vetustas.* Vide et Diodorum p. 146.

339. — *victos perfundere Patres;*] Burmannus ad Val. Flac. p. 25. *Heinsius malebat victas*

Digitized by Google

In cunctos iu seque simul. Tu mollibus, inquit,
Nunc incumbe toris, et pingues exige somnos:
355 Invasit Cleopatra domum. nec prodita tantum est,
Sed donata Pharos. cessas accurrere solus
Ad dominae thalamos? nubet soror impia fratri:
Nam Latio jam nupta duci est: interque maritos
Discurrens Aegypton habet, Romamque meretur.
360 Expugnare senem potuit Cleopatra venenis.
Crede, miser, puero: quem nox si junxerit una,
Et semel amplexus, incesto pectore passus,
Hauserit obscoenum titulo pietatis amorem,
Meque, tuumque caput, per singula forsitan illi
365 Oscula donabit. crucibus flammisque luemus,
Si fuerit formosa soror. nil undique restat
Auxilii: rex hinc conjux, hinc Caesar adulter:
Et sumus, ut fatear, tam saeva judice sontes.
Quem non e nobis credet Cleopatra nocentem,
370 A quo casta fuit? per te, quod fecimus una,
Perdidimusque nefas, perque ictum sanguine Magni
Foedus, ades: subito bellum molire tumultu:
Irrue: nocturnas rumpamus funere tedas,
Crudelemque toris dominam mactemus in ipsis,

357. nub*it*, c. b. nu*psit*, d. a, suprascriptis *bit*. 359. Aegypt*um*, a. *Egi*pton, b. 362. incesto, *s* ex *n* man. alia, b. inc*en*so, superne scripto *ce-sto*, a. 367. rex h*uic*, d. 368. *et* fatear, c. 369. *faciet* et *vel credet*, *vel credit*, a. 370. "quod" per te, " " manu alia, c. 373. nocturn*us*, d. nocturn ·), post *n* deletae sunt *as*, ut videtur, in b.

partes. male, nam Senatum intelligit; forte *sanctos*.

Digitized by Google

375 Cum quocunque viro. nec nos deterreat ausis
Hesperii Fortuna ducis. quae sustulit illum,
Imposuitque orbi, communis gloria nobis:
Nos quoque sublimes Magnus facit. aspice littus,
Spem nostri sceleris: pollutos consule fluctus,
380 Quid liceat nobis: tumulumque e pulvere parvo
Aspice Pompeji, non omnia membra tegentem.
Quem metuis, par hujus erat. non sanguine clari:
Quid refert? nec opes populorum ac regna movemus.
Ad scelus ingentis fati sumus. adtrahit illos
385 In nostras Fortuna manus. en altera venit
Victima nobilior. placemus caede secunda
Hesperias gentes. jugulus mihi Caesaris haustus
Hoc praestare potest, Pompeji caede nocentes
Ut populus Romanus amet. quid nomina tanta
390 Horremus, viresque ducis, quibus ille relictis
Miles erit? nox haec peraget civilia bella,

378. Nos quos, c. facit, *a* ex *e* correcta, a. 380. tumulus, sine *que*, c. parv*a*, d. 382. erat, *a* in membr. erasa, b. 383. *aut* regna, a. b. d. *et*, sed man. alia in membr. erasa, c. 384. ingent*es* facti, b. c. facti, sed *c* man. alia addita, d. *illos*, in membr. erasa, b. 387. *a*ctus, ante *a* erasa est *h*, ut videtur, d. 390. relict*us*, man. alia, antea *relictis*, d.

384. *Ad scelus ingentis fati sumus.*] Iterum, ut codices quidam Bersmanni, ita et in Collegio Trinitatis unus *Ingentes facti* pro solito stupore exhibent. Bentl. ad Horat. Epist. II, 1, 6. pluribus exemplis de confusione vocum *facta* et *fata* laudatis. WEB.

389. — *quid nomina tanta Horremus.*] Repone *nomina* VANA. I, 313.

— *et nomina* vana *Catones.*

Ovid. Heroid. IV, [130.]

Terruerint animos nomina vana *suos.*

Digitized by Google

Inferiasque dabit populis, et mittet ad umbras,
Quod debetur adhuc mundo, caput. ite feroces
Caesaris in jugulum: praestet Lagea juventus
395 Hoc regi, Romana sibi. tu parce morari:
Plenum epulis, madidumque mero, Venerique paratum
Invenies: aude: Superi tot vota Catonum
Brutorumque tibi tribuent. Non lentus Achillas
Suadenti parere nefas. haud clara movendis,
400 Ut mos, signa dedit castris, nec prodidit arma
Ullius clangore tubae: temere omnia saevi
Instrumenta rapit belli. pars maxima turbae
Plebis erat Latiae: sed tanta oblivio mentes
Cepit, in externos corrupto milite mores,
405 Ut duce sub famulo, jussuque satellitis irent,
Quos erat indignum Phario parere tyranno. -
Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur,
Venalesque manus: ibi fas, ubi maxima merces:
Aere merent parvo, jugulumque in Caesaris ire
410 Non sibi dant. pro fas! ubi non civilia bella

396. Venerique, *que* man. alia, c. 398. non *segnis*, a. b. 399. Spadenti, supra scripta *u*, b. parere, *e* man. alia, d. 401. cla*mo*re, a. b. *vel clangore*, a. 402. maxima *belli*, b. 407. versus lineola subducta notatur in d. 408. maxima et *vel proxima*, a. *pro*xima et in marg. man. alia *maxima*, c. 410. pro et in marg. man. alia *proh*, c. bella, *a* ex *i* man. alia correcta, b.

397. — *Superi tot vota Catonum, Brutorumque tibi tribuent.*] Repone ex aliis codicibus, *Superos*. Vota Catonum et Brutorum tribuent tibi Superos. Ovid. [Met. IV, 375.]

— *vota* suos habuere deos.

Noster III, 125.

— *certe violata potestas*
Invenit ista deos.

Digitized by Google

Invenit imperii fatum miserabile nostri?
Thessaliae subducta acies in littore Nili
More furit patrio. quid plus te, Magne, recepto
Ausa foret Lagea domus? dat scilicet omnis
415 Dextera, quod debet Superis: nullique vacare
Fas est Romano. Latium sic scindere corpus
Diis placitum: non in generi socerique favorem
Discedunt populi. civilia bella satellites
Movit, et in partem Romanam venit Achillas.
420 Et nisi fata manus a sanguine Caesaris arcent,
Hae vincent partes. aderat maturus uterque:
Et districta epulis ad cunctas aula patebat
Insidias: poteratque cruor per regia fundi
Pocula Caesareus, mensaeque incumbere cervix.
425 Sed metuunt belli trepidos in nocte tumultus,
Ne caedes confusa manu, permissaque fatis
Te, Ptolemaee, trahat. tanta est fiducia ferri.
Non rapuere nefas: summi contemta facultas
Est operis: visum famulis reparabile damnum,
430 Illam mactandi dimittere Caesaris horam;

412. Thessaliae et *vel Thessalicae*, a. 413. quod, a. te plus, a. b. 416. scidere, c. scindere, sed *s* man. alia in membr. erasa, d. 417. Dis, d. b. soceri generique, a. b. c. d. 418. discendunt, b. 419. Romani, a. b. c. Versus hic in margine man. alia adscriptus, cujus loco in textu hic legitur: *Instaurat primus magno, succedit Achillas*, c. 421. Hae, *H* in membr. erasa, d. 442. destricta, c. 425. trepidis, a. 427. Ptolemaee, et *vel Ptolemaea*, a. 428. contenta, c. d, sed *n* in membr. erasa. 430. dimittere, sed *di* man. sec. in membr. erasa, b. *per*mittere, a.

Digitized by Google

Servatur poenas in aperta luce daturus.
Donata est nox una duci, vixitque Pothini
Munere Phoebeos Caesar dilatus in ortus.
Lucifer a Casia prospexit rupe, diemque
Misit in Aegyptum primo quoque sole calentem:
Cum procul a muris acies non sparsa maniplis,
Nec vaga conspicitur, sed justos qualis ad hostes
Recta fronte venit. passuri comminus arma
Laturique ruunt. at Caesar moenibus urbis
Diffisus, foribus clausae se protegit aulae,
Degeneres passus latebras. nec tota vacabat
Regia compresso: minima collegerat arma
Parte domus: tangunt animos iraeque metusque:
Et timet incursus, indignaturque timere.
Sic fremit in parvis fera nobilis abdita claustris,
Et frangit rabidos praemorso carcere dentes.
Non secus in Siculis fureret tua flamma cavernis,
Obstrueret summam si quis tibi, Mulciber; Aetnam.
Audax Thessalici qui nuper rupe sub Aemi,

432. vox una, c. 436. a muris et *vel e muris*, a. 437. *Non* vaga, c. *in* hostes, b. a, pro var. lectione. 439. ac Caesar, et *vel et* Caesar, a. 440. Diffusis, c. 443. collegerat, sed *e* ex *i* correcta, d. 445. fera, man. sec. correctum, antea *freta*, b. 446. rapidos, a. c. d, *p* in *b* correcta. 447. Nec secus, d. c. b, sed *ec* in membr. erasa. 448. Mulcifer, d. b, *f* ex alia littera correcta, man. secunda. *Ethnam*, b. c. d. 449. nuper qui, c. *Hemi*, b. *Henni*, c. Thessalici, sed *i* in membr. erasa, d.

447. — *fureret tua flamma cavernis,*] Poetas verbum *furere* praecipue amare, ubi de *Aetna* loquantur, ex hoc et aliis locis probat Bentl. ad Horat. Epod. 17, 33. Wrs.

450 Hesperiae cunctos proceres, aciemque Senatus,
Pompejumque ducem, causa sperare vetante,
Non timuit, fatumque sibi promisit iniquum,
Expavit servile nefas, intraque penates
Obruitur telis; quem non violasset Alanus,
455 Non Scytha, non fixo qui ludit in hospite Maurus.
Hic, cui Romani spatium non sufficit orbis,
Parvaque regna putat Tyriis cum Gadibus Indos,
Ceu puer imbellis, ceu captis femina muris,
Quaerit tuta domus: spem vitae in limine clauso
460 Ponit, et incerto lustrat vagus atria cursu:
Non sine rege tamen; quem ducit in omnia secum,
Sumturus poenas et grata piacula morti;
Missurusque tuum, si non sint tela, nec ignes,
In famulos, Ptolemaee, caput. Sic barbara Colchis
465 Creditur ultorem metuens regnique fugaeque,
Ense suo, fratrisque simul cervice parata,
Expectasse patrem. Cogunt tamen ultima rerum
Spem pacis tentare ducem: missusque satelles
Regius, ut saevos absentis voce tyranni
470 Corriperet famulos, quo bellum auctore moverent.

451. causas, a. d. quod in b quoque fuisse videtur. vetant*em*, d. quod et in b scriptum fuit, ut videtur. 454. violasset, supra scripto *violabat*, a. 455. Scitha, b. *Sita* et in marg. man. alia *Sihta*, c. 457. Gradibus, c. 458. seu captis, d. *vel*, b. a. 459. tuta, *t* man. alia addita, et in marg. man. prima *tuta*, c. 462. morti, sed *ti* in membr. erasa, d. 464. *Th*olomaee, b. d. 465. *regni*, sine que, c. 466. parato*a*, *o* man. alia, et *i*. *polluto*, c.

Digitized by Google

Sed neque jus mundi valuit, neque foedera sancta
Gentibus: orator regis, pacisque sequester,
Aestimat in numero scelerum ponenda tuorum,
Tot monstris, Aegypte, nocens. non Thessala tellus,
475 Vastaque regna Jubae, non Pontus, et impia signa
Pharnacis, et gelido circumfluus orbis Ibero
Tantum ausus scelerum, non Syrtis barbara, quantum
Deliciae fecere tuae. premit undique bellum,
Inque domum jam tela cadunt, quassantque penates.
480 Non aries uno moturus limina pulsu,
Fracturusque domum; non ulla est machina belli:
Nec flammis mandatur opus: sed caeca juventus
Consilii, vastos ambit divisa penates,
Et nusquam totis incursat viribus agmen.
485 Fata vetant, murique vicem fortuna tuetur.
Nec non et ratibus tentatur regia, qua se
Protulit in medios audaci margine fluctus
Luxuriosa domus. sed adest defensor ubique
Caesar, et hos aditus gladiis, hos ignibus arcet:
490 Obsessusque gerit (tanta est constantia mentis)
Expugnantis opus. piceo jubet unguine tinctas
Lampadas immitti junctis in bella carinis.

471. nec foedera, a. b. 473. *Extimat*, b. 477. ausus, et in marg. man. alia *austa*, c. 483. Consilii, *o* in membr. erasa, c. 485. *ducem*, supra scripto *vel vicem*, b. 486. *se* non satis perspicuum in a. 488. Luxuriosa et *vel Ambitiosa*, a. 489. "et aditus "hos gladiis, c. 490. constantia, et *vel fiducia*, a. menti, d. 492. Lampades, c. *vela*, a. d, antea *bella*.

Digitized by Google

Nec piger ignis erat per stuppea vincula, perque
Manantes cera tabulas: et tempore eodem
495 Transtraque nautarum, summique arsere ceruchi.
Jam prope semustae merguntur in aequore classes,
Jamque hostes et tela natant. nec puppibus ignis
Incubuit solis: sed quae vicina fuere,
Tecta mari longis rapuere vaporibus ignem:
500 Et cladem fovere Noti, percussaque flamma
Turbine, non alio motu per tacta cucurrit,
Quam solet aetherio lampas decurrere sulco
Materiaque carens, atque ardens aere solo.
Illa lues clausa paulum revocavit ab aula
505 Urbis in auxilium populos. nec tempora cladis
Perdidit in somnos, sed caeca nocte carinis
Insiluit Caesar, semper feliciter usus
Praecipiti cursu bellorum et tempore rapto.
Tunc claustrum pelagi cepit Pharon. insula quuodam
510 In medio stetit illa mari, sub tempore vatis

493. piger, *er* in membr. erasa, c. d. stupea, d. c. 495. *c*heruchi, a. d. c. *cheruchae*, et in marg. man. alia: *Alii libri habent summi cheruci, alii summi cheruchae, masculinum utrumque*, b. 496. prope et in marg. *quoque*, c. aequor*a*, c. 497. *Hinc*que, a. b. 498 qu*a* vicina, c. 499. *crebris*, a. b. c, in margine pro var. lectione. 500. f*a*vere, d. fovere, *o* in membr. erasa, c. 501. terg*a*, *g* correcta man. eadem, c. 502. *aerio*, b. c. d. *discurrere*, b. 503. *solo* et in marg. *toto*, c. 504. paul. clausa, a. b. c. d. 506. *somnis*, a. b. d, *sed i* in membr. erasa. 509. *N*unc, *N* correcta, d. *N*unc, et in marg. *Tunc*, c. cepit pelagi, a. b. 510. illa, *a* ex *o* man. alia correcta, c. *n*atis, a. vatis, sed *v* in membr. erasa, p.

Proteos: at nunc est Pellaeis proxima muris.
Illa duci geminos bellorum praestitit usus:
Abstulit excursus et fauces aequoris hosti;
Caesaris auxiliis aditus et libera ponti
515 Ostia permisit. nec poenas inde Pothini
Distulit ulterius: sed non qua debuit ira,
Non cruce, non flammis, rabido non dente ferarum:
Heu facinus! cervix gladio male caesa pependit:
Magni morte perit. Nec non, subrepta paratis
520 A famulo Ganymede dolis, pervenit ad hostes
Caesaris Arsinoe: quae castra carentia rege
Ut proles Lagea tenet, famulumque tyranni,
Terribilem justo transegit Achillea ferro.
Altera, Magne, tuis jam victima mittitur umbris.
525 Nec satis hoc Fortuna putat. procul absit, ut ista
Vindictae sit summa tuae. non ipse tyrannus
Sufficit in poenas, non omnis regia Lagi.
Dum patrii veniant in viscera Caesaris enses,
Magnus inultus erit. Sed non auctore furoris

511. Prot*h*eos, b. c. d. 514. Caesar *et* aux. a. b. c. d. *ut vidit* lib. b. c. d. sed *ut vidit* in membr. erasa, b. 515. *H*ostia *non fatum meriti* poenas*que* P*h*otini, d. c. b, sed *non - poenasque* man. alia in membr. erasa. *Hostia non fatum*, a. 516. qua non, a. b. 517. rap*uit*, a. b. c. d. 518. gladio cervix, a. b. c. d. 519. *sur*repta, b. 520. Ganimede, b. c. d, et paulo post. 521. Arsenoe, b. d. Arsenoe, et in marg. *Arsinoe*, c. 523. justo, *t* man. alia in membr. erasa, d. 524. *en* victima, a. b. 526. *ipse tirannus*, in membr. erasa, d. 527. *non omnis regia Lagi*, in membr. erasa d. 529. in *vu*ltus, c.

Digitized by Google

530 Sublato cecidit rabies: nam rursus in arma
Auspiciis Ganymedis eunt: ac multa secundo
Proelia marte gerunt. potuit discrimine summo
Caesaris una dies in famam et secula mitti.
Molis in exiguae spatio stipantibus armis,
535 Dum parat in vacuas martem transferre carinas
Dux Latius, tota subiti formidine belli
Cingitur: hinc densae praetexunt littora classes,
Hinc tergo insultant pedites: via nulla salutis:
Non fuga, non virtus, vix spes quoque mortis honestae,
540 Non acie fusa, nec magnae stragis acervo
Vincendus tunc Caesar erat, sed sanguine nullo.
Captus sorte loci pendet, dubiusne timeret,
Optaretne mori; respexit in agmine denso
Scaevam, perpetuae meritum jam nomine famae
545 Ad campos, Epidamne, tuos: ubi solus apertis
Obsedit muris calcantem moenia Magnum.

531. *sed* multa, a. 532. summo et *vel nullo*, b. *magno*, d. n*ullo*, a. 535. mortem, c. 536. subito a. b. d. 538. *milites*, b. saluti, d. 540. no magnae, b. acervis, c. d. 543. *ne mori*, man. alia c orrecta, d. 544. nomin*a*, a. b. c. d. f*a*mae *a* in membr. erasa, c. 545. Epida*u*ne, b. c. d 546. Obscedit.

Explicit Lucanus feliciter, b. *Explicit liber decimus*, c.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE

SPURIIS ET MALE SUSPECTIS

LUCANI VERSIBUS.

DISSERTATIO

AD

VIRUM CELEBERRIMUM

FERDIN. HAND,

PROFESSOREM IENENSEM.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROL. FRED. WEBER

FERDIN. HANDIO

S. P. D.

En tuum discipulum, qui gratum erga te animum testatus huncce tibi libellum dicavit. Quod ut facerem, non modo necessitudo, quae mihi tecum intercedit, sed etiam Lucanus flagitavit, qui Statio tuo olim coniunctissimus, nunc quoque ab eo eiusque Editore secerni non est passus.

Digitized by Google

Accipias itaque, velim, has studiorum meorum primitias benevolo, quo soles, animo; accipias pro tessera amicitiae meae, de qua nunquam dubitare tibi licet, et me amare perge.

Scripsi Vimariae MDCCCXX.

Digitized by Google

DE

SPURIIS ET MALE SUSPECTIS LUCANI VERSIBUS

DISSERTATIO

AD

FERD. HANDIUM.

Quum nuper, redux ab Helvetia, ut scis, in villam suburbanam secessissem, otio securo ac grato per hanc aestatem fruiturus, et sub arborum umbra stratus, hortulanum meum singulas vireti partes perlustrantem, herbas nocentes, ubi apparuissent, sedulo evellentem, evulsas autem in fasces colligentem et coacervantem conspexissem: tunc mihi, qui in Lucano edendo operam posueram, visum est idem faciundum, ut, Pharsaliae singulis partibus examinatis, quae aliena ac spuria genuinis verbis splendorem detrahere viderentur, diligenter enotarem, et enotata, uti vides, in unum colligerem corpus. Quae res mihi eo magis necessaria est visa, quo magis tunc demum verba cuiusque auctoris, ut constat, vere intelligi et explicari possunt, quum pannis et laciniis liberata, omnia sive corrupta sive integra nobis ante oculos posita apparent. Quemadmodum enim hortulanus meus, priusquam semina terrae almae mandasset, solum fodiebat, novabat, et ab omni re nocitura liberabat: sic ego, qui ad explicandam Pharsaliam me adcinxi, ante quam notata et animadversa dabo, aliena et spuria in Lucano indicabo, et obelis expellam. Accedit quod his praemissis non modo arenam, in quam descendere pro-

Digitized by Google

positum est, omnium oculis apertam ostendam, sed in explicando etiam non semper ad idem recurrendum erit, quod lectores tantum turbaturum esset. Quare haec quoque ita constitui, ut omnia, quae in locis hic allatis notatu digna viderentur, hic notarem, nihil de iis in commentario dicturus, nisi ubi lectores ad hunc libellum remitti res postulet. Deinde (et quis iuveni tirocinium in his litteris ponenti illud non concedat?) in hac dissertatione periculum facturus eram, an satis cinctus et instructus ad edendum Lucanum accesserim nec ne; simul autem viros doctos rogaturus, ut mihi in proposito auxilium ferre, de erroribus, ut par est, humaniter monere, et consiliis suis sustinere velint. Denique placuit, quae de spuriis versibus observassem, in unum colligere, ut ex iis natura ac ratio talium versuum cognosci, nec non cum similibus aliorum auctorum conferri et comparari possent, sicuti iam a viris doctis, Hermanno in Aeschyli, et Weicherto in Valerii Flacci versibus factum videmus. Ita enim, quum singuli auctores hac in re perlustrati, et omnia, ut res et litterarum ratio postulant, in unum collecta erunt, ut non tam singulae observationes, quam potius dissertatio in omnibus partibus coniuncta, et ab uno quasi dependens appareat; tunc, inquam, sperare licet, in hac quoque criticae artis parte maiorem nobis lucem affulsuram esse. Rem autem arduam et difficilem esse, illorum nomina clara ostendunt, qui summi Criticorum hanc in partem sua contulerint, Bentleii illi, Wolfii et Hermanni. Quare non mirum, si in hac quoque re non omnia, sicuti debebant, dilucidata et enucleata sint; neque arrogantiae meae tribui debet, quod viris illis me addere ausus fuerim, quum constet, rem quamcunque tunc demum recte cognosci et vere constitui posse, quum varie a variis observata et tractata sit. Quam ob rem dicta mea ita accepta volo, ut non tam virorum doctorum errores correxisse, quam rem ab alia potius parte perlustrasse, vel componendo et in unum colligendo explicasse videantur. Quod eo magis me perfecturum spero, quo maiori cum studio et voluptate huic rei omnem meum laborem impendi. Etenim si omnino iuvat ingenii vires in aliqua re exercere et firmare: quanto magis in his, ubi maior et

Digitized by Google

amplior patet campus elaborandi, in diversissimas partes discurrendi, et cum difficillimis rebus concurrendi; ubi praemium operae et laboris propositum est, quale haud facile in alia harum litterarum parte. Agitur enim, ut non modo loca difficilia explicentur, falso explicata rectius enodentur, corrupta corrigantur, sed etiam ut spuria inquirantur, aliena expungantur, et suus cuique auctori splendor redintegretur; id agitur, ut auctor in sordibus et alienis infartis latens ac torpens restituatur; alia, quae ab Interpretibus immerito ademta sint, reddantur, et auctor contra iniurias cuiusque hominis defendatur. Quae res eo honestior atque dulcior videtur, quo minus auctor ipse se defendere potest, et quo magis decet mortui alicuius honorem tueri ac servare.

Rem ipsam vero et sententiam meam non melius expositurum me spero, quam si, origine spuriorum versuum in Lucano exposita, qua ratione orti et additi sint, de indiciis et notis interpolationis dixero. Ita enim, demonstratis interpolationis fontibus et causis, optime de indiciis iudicari licebit, quippe quae ex illis sequi et in illis rationem suam habere videantur.

Spurios autem versus in Lucano omnino esse nemo negabit, qui vel primum Pharsaliam perlegerit; plures enim tam aperte se produnt, ut quivis vel non sagacium narium homo eos facile reperire et indicare possit. Id quod, etiamsi vv. dd. nihil de hac re monuissent, iam Codicum collatio ostendit, in quibus multi versus desunt, multi pro genuinis leguntur, multi vel ad marginem adscripti sunt, vel alio modo in uno alterove MS. notantur. Priores quidem Lucani Editores nihil de eiusmodi versibus, ut constat, dixerunt, neque pro conditione literarum, ut tunc tempora erant, et pro subsidiis, quibus utebantur, dicere poterant; quae res minime nobis incommodo, immo potius commodo est, quia ita non opiniones et somnia Editorum, sed, ut par est, in libris veteribus Codicum, quos illi contulerint, exempla habemus. Sed quemadmodum in plurimis rebus, priusquam vera ratio inveniatur, multum fluctuatur, et in nimiam partem pondera vergunt, ita ut, quod ab altera parte nimis elatum, ab

altera nimis depressum sit; sic in hac quoque re, priusquam vera ac iusta tractandi ratio reperta est, multum in utramque partem disputatum, nec non ab utraque parte peccatum est. Etenim quum literae magis florere coepissent, et viri docti maiorem curam ac diligentiam in edendis auctoribus sibi sumsissent, plures fuere, qui, Codicum auctoritate omnino sprota, quia priores Editores nimium iis tribuisse intellexissent, auctores ad suum quisque iudicium et ingenium edendos curarent. Hinc factum est, ut plures Editiones coniecturis repletas et refartas reperiamus, in quibus non tam auctoris verba, quam ingenium Editoris cuiusque cognoscas; hinc factum est, ut plures, in notandis spuriis et subditis verbis omni sua opera posita, interpolata quacunque ratione aucuparentur et eiicerent, Codices manu exaratos non multum morati. Quos inter maxime conspicuus est Guietus, homo satis ingeniosus et doctus, sed in hac parte, ut nullus fere, in maximos et plurimos errores delatus. Etenim solo suo iudicio fretus et vel certis causis vel incerto quodam sensu ductus, unde saepius difficillimum est causam, cur versum aliquem damnarit, invenire, plurimos Lucani versus confodit, ita ut Pharsalia fere vicesima parte minor esset, si illius sententiam sequeremur. Guieti tractandi ratio, licet magno cum damno Pharsaliae facta videri possit, effecit tamen, sicuti fieri solet, ut alii, illius audacia et vano in spuriis versibus indagandis furore excitati, ac meliora docti, in neutram partem nimis propensi, neque auctoritati librorum nimium tribuerent, neque solo ingenio duce omnia constituere auderent. Itaque mediam viam ingressi, multo cum studio et labore veram et genuinam Pharsaliae recensionem nobis exhibebant. Quos inter Cortium, Oudendorpium, Bentleium et Burmannum refero. Sed quum hi viri omnes, prouti ingenium eorum comparatum erat, suam quisque rationem secuti fuissent, neque, sine quo nihil recte explicari atque constitui potest, certam aliquam regulam, sive primam aliquam causam, quae veram in hac re viam indicare possit, habuissent, factum est, ut fluctuarentur, sibi ipsi repugnantes et vario modo errantes. Mox enim versus auctoritate Codicum commoti aut defendunt, aut expungunt; mox

Digitized by Google

argumentis internis perducti, contra MSS. aut probant aut eiiciunt. Quae fluctuatio, licet interdum excusari possit, in hac tamen re minime debet tolerari. Quare ne ego quoque in eandem Charybdim incidam, ante omnia illud dicendum videtur, quod in tota hac dissertatione, primo loco habitum, semper respexi; dico primam illam causam, sive principium summum, ad quod omnia volui relata. Quod ego positum puto in eo, ut nullus versus, nisi quem meliores MSSti, nec non ratio ipsorum verborum vel sententiae damnent, et de quo demonstrari possit, quomodo in textum venerit, merito pro spurio debeat haberi et expelli. Etenim sive Manuscriptorum numerum eorumque rationem solam spectes, sive Pharsaliam eiusque naturam consideres, apparet, neque in illo neque in hoc per se satis subsidiorum huic rei esse, et facile errori locum praeberi posse. Innumeri enim Codd. Pharsaliae exstant, in quibus singulis multa addita, multa omissa sint, ita ut, si solos MSS. sequereris, Lucano vel duodecimam partem eriperes, vel fere centum versus adderes. Itaque iam Codicum multitudo docet, iis solis in hac re non omnia tribuenda esse. Eodem modo fieret, si sola interna argumenta in hac re spectaremus. Nam quum auctor opus imperfectum nobis reliquisset, pluribus vitiis et mendis obnoxium, quae non tam librariis, quam potius ipsi poetae eiusque perversae fingendi ac repraesentandi rationi debentur, et quum hominum ingenia et iudicia diversissima sint, apparet, si solas has rationes secuti quaereremus, quid pulchrum sit, quid dici possit nec ne, versusque inde expungeremus: apparet, inquam, nos facile in multos et magnos errores induci posse. His de causis necesse est utrumque coniungamus, ita ut alterum ab altero aut infirmetur aut confirmetur. Ubi enim MSS. versum aliquem damnant, rationes internae autem certam et fixam eius sedem defendunt, vel ubi in sensu aut in verbis singulis aliquid offensioni erit, ita ut versus suspectus esse possit, MSS. autem versum genuinum probant, ibi de interpolatione totius versus cogitari non debet, licet fortasse singulae partes, vel verba corrupta sint. At ubi MSS. simul et internae rationes versum aliquem damnant, ita ut non modo, quod sententiam et verba attinet, displi-

Digitized by Google

coat, sed in uno vel pluribus MSS. melioribus non legatur, aut alio quodam modo suspectus reddatur, ibi maiori cum veri specie de interpolatoribus quaerere debemus. Nihilominus in hac quoque re facilis est error, et versus, quos Codicum auctoritas ex aliqua ratione vel sensus et verba suspectos reddant, ut res ipsa docet, genuini esse possunt. Etenim quum multi sint versus, qui omittantur, transponantur et varientur in MSS.; multi, qui a poeta profecti propter perversam eius mentem displicsant: facile fieri poterat, ut versus, qui a poeta profectus probari non possit, in uno alterove MS. omissus sit; et, licet genuinus sit, his ex causis pro spurio haberi debeat. Quam ob rem addidi, tunc demum versum aliquem pro spurio haberi et eiici debere, quum constet, quo ex ratione ortus et textui additus sit. Potest quidem casu quoque, a quo nihil tutum est, versus aliquis in textum irrepsisse, sed huius rei nullum in Lucrete exstat exemplum, unde recte illa proposita sint, versum tunc demum spurium esse, quum ratio, cur additus et qua ortus sit, constet ac demonstrari possit.

Quae cum ita sint, ante omnia necessarium videtur, rationes, quibus versus spurii oriantur et cur addantur, afferre atque probare. Nam quum causa, cur aliquid interpoletur, prior sit interpolatione ipsa, cognita autem interpolationis causa facilius de eo disputari possit, quid interpolatum sit nec ne, et indicia interpolationis rationem suam in illa habeant, neque sine illa intelligi et probari possint: haec praemittere placuit, ut de reliquis facilius et melius iudicium ferri liceret.

DE CAUSIS ET ORIGINE SPURIORUM VERSUUM.

Si, quod nemo negabit, nihil est in rebus naturae, quin causam suam habeat, et cum alia re ita coniunctum sit, ut inter eas causae et effectus nexus sit; licet pro humana nostra imbecillitate non ubique nexus ille agnosci possit: quanto magis in rebus, quae mentem spectant, et inde proficiscuntur atque nascun-

Digitized by Google

tur; cum humanae mentis ea sit natura, ut in omnibus partibus cohaereat, continua eius sit cultura, neque, nisi posita causa, producere aliquid possit. Quare non mirum videri debet, quod causas interpolationis hic inquiramus, cum interpolatio quoque nonnisi causa aliqua posita oriri possit. Rem autem in hac disputatione maximi momenti esse iam inde apparet, quod, quum causae constent, cur versus omnino ab interpolatore addantur, in singulis locis suspectis res certo definiri et extra omne dubium poni possit; in aliis autem locis, ubi talis causa non reperiatur, hoc ipsum tantum valeat, ut versum defendere, ac, si habet cur displiceat, hoc in alia potius re, quam in interpolatione quaerere debeamus.

Quam ob rem varia spuriorum versuum genera indagare iuvat, ex quibus causae arctissime cum iis coniunctae apparebunt; nam de casu certi aliquid dici non potest. Est autem genus duplex, partim eorum, qui poetae verbis quodammodo respondeant, partim eorum qui novi aliquid, quod poetae verbis non respondeat, proponant. Quod prius attinet, intelligo versus e verbis auctoris, quae adsunt et leguntur, natos; quod factum est vel interpretando vel comparando. Constat autem, Lucanum iam suo tempore nactum fuisse, qui loca difficiliora explicarent. Scripserunt ii explicationem suam, quae ex more illorum temporum plerumque paucis verbis constabat sensum auctoris aliis tantum verbis reddens, scripserunt, inquam, illa verba vel in margine Codicis, vel inter lineas. Alius, qui codicem illum describebat, explicationem istam pro verbis auctoris habens, quod verba fortasse satis bona essent, neque multum a metro abhorrerent, vel in margine scripta in textum recepit, sive ab ipso, sive ab alio in metrum redacta; vel quae inter verba auctoris posita erant, quia iam propter locum genuina viderentur, in metrum composuit. Ita explicatio veteris grammatici versus spurii fuit causa. Cuius rei nonnulla exempla infra dabo; neque difficile de iis iudicium videtur. Si talis enim versus reperitur, necesse est, ut res ipsa docet, versum auctoris, cuius interpretatio in versu subdito continetur, circumspiciamus; quem facile deprehendemus, nisi forte casu interciderit, vel, ut interdum factum videtur, ab

Digitized by Google

illo, qui versum spurium componebat, omissus sit. Si verba auctoris adsunt, nostrum est, ea a spuriis discernere atque distinguere, quod facillimi negotii est. Nam sensus, verba ipsa, locus, nexus et rhythmus cuiusque versus facile nobis genuina et interpolata indicabunt. In genuino enim versu sensus minus apertus et difficilior erit, qui in spurio facilis est et patet; verba ipsa in genuino versu poetam, in spurio interpolatorem arguent; nexus germani versus cum reliquis melior et arctior erit; spurius versus vel nullum vel non optimum nexum habebit, cum plerumque per se stet; deinde locus ipse interpolationem ostendere potest; interdum quoque rhythmus, licet hoc iudicium ex re metrica petitum in nostro neque satis manifestum neque certum videatur. Difficilior autem est res, si verba auctoris non adsunt, sed ratione aliqua interciderunt, ita ut nullum eorum vestigium in MSS. appareat; ibi, nisi Codices praesidia in hac re praebent, ex versu ipso, sive sententiam, sive verba singula spectes, interpolatio indicari atque probari debet. Cuius tamen rei exemplum in Lucano nullum deprehendi. Alia, ubi versus spurii ex interpretatione orti, et versus germani simul in Codicibus leguntur, vel in uno alterove tantum Codice omissi sunt, plura reperi; de quibus infra dicemus. Hic proferam nonnulla tantum.

Legitur in duobus Cortii MSS. post versum IX, 80. hic:

Quam manet Aegyptus, quae Magni possidet artus.

Versus ex interpretatione comparativi *gratior* ortus, unde in Scholiastis quoque nulla huius loci explicatio legitur, inficetus est, ut recte monuit Cortius, neque post illa *elapsus* — *Magnus* se tueri potest. Quod singula attinet, iam in his glossatorem arguit *quae* cum prioribus coniunctum, et *possidet*, cuius loco vocabulum magis poeticum exspectas, licet pro *habere* saepius dicatur, cf. IX, 197. de Pompeio: *Immodicas possedit opes.* IX, 664.

Ab Iove dilectae fuso custode iuvencae.

Digitized by Google

Qui versus recte ab Interpretibus damnatur, cum aperta sit glossa ad verba *alterius monstri*, ut sensus docet. Scripserat enim glossator, explicaturus *alterum monstrum*, vel *fudit Argum custodem Ius*, *a Iove dilectae iuvencae*, vel, quod in Schol. Oudendorpii legitur: *Argum enim occiderat Mercurius, qui C oculos habens Io virginem custodiebat;* unde alius versum, quem nunc habemus, composuit. Id quod praeterea locus, quo in nonnullis MSS. legitur, ostendit, nexu sententiarum non satis bono; probant quoque vv. *ab Iove dilectae*, quae glossatorem, minime poetam sapiunt. Deinde auctoritas optimorum librorum accedit, in quibus, ut in Putean. Voss. sec. Richel. et in pluribus Cortii, vel non apparet, vel in margine, ut in Cod. Bouher., vel inter priores versus a rec. man. insertus, ut in Voss. pr. Denique iam variae lectiones, *fuso*, *effuso*, *caeso*, *fulvo*, suspicionem merito movent interpolationis. IX, 418. 19.

Civilia bella satelles
Movit et in partem Romani venit Achillas.

Loco versus 419 alius hic:

Instaurat primus Magno succedit Achillas,

in Lips. c. Voss. sec. Bouher. et in pluribus Cortii Burmannique legitur; qui nobis exemplo esse potest, quemadmodum interpretatio, verbis poetae a loco suo remotis, sedem eorum occupaverit. Versus sine dubio ex glossa ortus est, ut sensus et verba singula docent; glossator enim verba *in partem Romani* explicaverat per *Magno succedit Achillas*, ex quibus alius versum spurium formavit. Id quod silentium Schol. Lips. a. quoque probare videtur, qui, quia interpretatio in textum migrasset, nihil de vers. 419 monere poterat, nec non Cod. Lips. c., cuius in margine verba auctoris leguntur. Recte autem Cort. *Romani* pro *Romanum* restituit. Etenim non hoc sibi vult Lucanus, ut Achillam in Romanam i. e. Senatus partem transiisse, a Senatus partibus stetisse dicat, quod h. l. non quadraret; sed *in partem Romani* hic est loco Romani, quasi Romanus factus bellum civile moverit; quod praecedentia quoque requi-

runt, ubi est *civilia bella*. Illud *civilia* enim Lucanus ex more suo exponit. Romani igitur non de Pompeio, quod non inest in verbo, sed de quocunque Romano, cuius locum Achillas suscepit, intelligi debet, ut iam *Romano* v. 416 ostendit. Schol. Lips. b. locum ita explicat: *ut esset dux Romanorum, quod debuit esse Romanus.*

At licet illa ratio interpolationis simplicissima sit, ita ut haud facile in iis, quae hoc modo addita sint, errare possis: tamen in hac quoque re cavendum est, ne id, quod ab auctore ipso profectum et interpretationis loco positum videatur, deleamus, atque opus mutilemus. Fieri enim potest pro singulari cuiusque auctoris ratione, ut nonnulla interpretationem vel sequentium vel praecedentium verborum continere videantur, quae minime ab interprete aliquo, sed ab ipso auctore profecta sint. Quod in Lucano certe factum esse plura exempla docent. Nam cum Lucanus id proprium et singulare habeat, ut sententiam eandem variet, et variata coniungat, indulgens sibi in ardore iuvenili, facile, quod variatio eiusdem sententiae est, pro interpretamento ab aliena manu addito potest haberi. Sed si, hac re bene perpensa, verba singula eorumque nexum, nec non Codd. auctoritatem respicimus, minus facile in eiusmodi errores incidemus. Unde apparet, quantum huic rei tribuendum sit, cum, nisi Codicum auctoritas et aliae internae rationes accedant, versum aliquem hac sola ex causa spurium dicere non possis; et quam recte supra primariam illam legem de interpolatione proposuerim; quia, quo certiores fines alicuius rei circumscripti et indicati sint, eo minus facile a vero aberrare possis. Iuvat autem loca colligere, ubi Interpretes in huiusmodi errores delati sunt, ut nos eandem Scyllam vitemus.

V. 719—21.

Praetereunt frustra tentati litora Lissi,
Nymphaeumque tenent, nudas Aquilonibus undas
Succedens Boreae iam portum fecerat Auster.

Digitized by Google

Lucanus in his verbis aperte Caesari B. C. III, 26. adversatur, unde Guietus vers. 721, ortum ex interpretatione v. *nudas* i. *expositas*, deletum vult. Sed si verba consideras, non est verisimile v. *nudas* a grammaticis hoc versu explicatum esse, cum *portum faciens Auster* aliud quid sit, quam *nudae Aquilonibus undae*. Deinde verba praecedentia ostendunt, haec a poeta, non ab interprete, profecta esse; tum non tollitur, quod Lucanus v. 705. *Boream*, Caesar autem *Austrum nactos carinas solvisse* dicit. Denique verba *nudas aquas* praesertim ea, quam Guietus voluit, significatione locum habere nequeunt. Cur enim Nymphaeum tunc *tenerent?* et nisi *Nymphaei* scribere velis, quod tamen necessarium non est, coniungi debent sequentibus *portum fecerat*, i. e. fecerat, ut Nymphaeum advenientibus portus esset; cf. II, 617. *Nec tamen hoc — aequor Portus erat.* Virgil. Aen. I, 159. *Insula portum efficit obiectu laterum;* unde male Burm. *portum facere* pro *aditum facere, praebere*, intelligit, quod non dicitur. Colon autem, vulgo post verbum *undas* positum, deleri et post verbum *tenent* poni debet. Quod versum ipsum attinet, omnia bene habent, modo ne Caesarem et Lucanum inter se componere tentemus. Recedit enim poeta in narratione huius rei, ut in pluribus, a Caesare. Et quis poetam vituperet? cum, utrum Boreas an Auster flaverit, nihil intersit, modo ne poeta rei et sibi repugnet, quod fortasse in versu laudato videri possit. Ibi enim, si *nudas undas* pro *expositas, apertas* explicamus, intelligi non potest, cur Nymphaeum ab Austro tutum sit, qui, Boreae apud poetas semper oppositus, idem ius in portum illum exercet, ut Caesar l. l. aperte docet. Fingit autem poeta, Caesarianos Boream nactos vers. 705 carinas solvisse, et in Epirum illo flante transnavigasse. Neque contrarius est ventus navigantibus in Epirum, cf. II, 646, (neque repugnat locus supra 417,) qui eodem modo puppibus incubat, ut Auster. Hinc recte, cum Boreas violentior esset, praetereunt litora tentati Lissi. Fingere enim debemus, Caesarianos in Lissum, qui, ut ex Caesare, B. C. III, 29, constat, Caesaris partibus favebat, naves tetendisse; quare, quia Boreas violentior erat, non pervenerunt, sed ab incursu pau-

Digitized by Google

lulum declinati, Nymphaeum tenuerunt. Sic Schol. Lips. c. quoque: *Die veniente ventus fuit fortior, et putantes venire ad Lissum non potuerunt, sed venerunt ad Nymphaeum.* Et Lips. a. *Lissum* (lege *Lissus*) *est portus, ad quem voluerunt venire, sed venerunt ad Nymphaeum portum. Tentare* igitur est *perere, adire*, ut III, 316. IX, 386. X, 486., Claudian. Cons. Prob. et Olybr. 155, *bruma tentabimus Istrum;* neque de impetu Caesarianorum intelligi debet, ut Intpp. explicant, quum impetus in Lissum, utpote sociam urbem, non sit factus, et vel ita Lucanus Caesari repugnaret. Praetervecti igitur Lissum et in Nymphaeum delati, hunc tenent portum. Quod quomodo fieri potuerit, poeta ex more suo, aliis quoque servato, cum mirari aliquis possit, cur hunc portum ingressi sint, qui Aquilonibus obnoxius sit, per sequentia docet. *Nudas* igitur *undas* est *expositas*, in quas Aquilones vim suam exerere possint; ita *nudus* saepius dicitur pro *non tectus, apertus*, cf. VIII, 425. *Rhenique catervis Imperii nudare latus;* cf. Drakenb. ad Sil. XVII, 445. *nudare terga fugae;* Valer. Fl. I, 696. *Cetera nuda neci.* Ita Schol. Lips. c. quoque rem intellexisse videtur, locum explicans: *Si enim Boreas flaret, non Auster, portus non esset tum quietus, et non videretur esse portus.* Eodem modo Lips. b. *Apud Nymphaeum portum magis viget Aquilo;* et manus alia: *Auster fecerat illas undas portum, aptas ad portum. Auster* denique non est idem qui *Notus*, ubi non Caesari, sed rei ipsi repugnaret Lucanus, in rebus geographicis diligentissimus; sed ponitur pro eo vento, qui a meridie adflans in portum illum nullam habet vim, si vis pro Africo. Poetae enim nomina ventorum, ut constat, non multum curant, et saepius ventum alium pro alio proximo ponunt, quod maxime de ventis cardinalibus valet. Sic Lucanus ventum a quacunque meridiei parte adflantem Austrum nominat, neque ullum alium in hac parte laudat. cf. Iev. ad III, 1. p. 266. Serv. et Heyn. ad Virgil. III. Aen. 70. Itaque non opus est coniectura, sive in Lucano, sive, ut Bentleius voluit, in Caesare.

IX, 493—95.

Digitized by Google

Nec sunt discrimina terrae
Ulla, nisi aetheriae medio velut aequore flammae.
Sideribus novere viam.

Versus 494. suspectus est Oudendorpio; legitur enim in marg. Bouh. et Voss. sec.; in Voss. pr. alia manu pro glossa insertus est, et praeterea a tribus Burmanni et totidem Cortii, nisi, quod coniicio, iidem sunt quos Oudend. laudat, damnatur. Possis suspicari, ortum esse ex interpretatione v. *Sideribus — viam;* sed verba si spectas, minime interpretationem produnt, immo ipsa potius explicatione egent; deinde v. *ulla* non bene abesset, cum verbo *omne* respondeat; denique versus ex more Lucani ita positus est, ut in sqq. verbis eadem sententia variata et explicata sit. Neque in singulis verbis quid offendere possit video; variae lectiones ex solenni errore ortae sunt; Burmanni coniectura non necessaria est, neque placet, cum, cur *flammae* discrimina dare debeant, non intelligatur. Sensum loci Schol. Lips. c. ita explicat: *Quia nulla habebã* (lege *patebat*) *semita, nec aliqua viarum cognitio, nisi per sidera, veluti essent in medio aequore.*

X, 290. 91.

Cursus in occasus flexu torquetur et ortus,
Nunc Arabum populis, Libycis nunc aequus arenis.

Damnatur prior versus a Guieto, ni fallor, propter turbatam structuram, quum ortus sit ex glossemate sequentium et novum subiectum *currus* intercedat. Quod prius attinet, infra plura loca videbimus, ubi, interposito alio subiecto, Lucanus ad prius redit. Quae res, ex ingenii eius natura et ardore iuvenili explicanda, maxime hoc loco excusari potest, ubi vers. 290. versui priori respondet, atque oppositio quaedam oritur: *Tu is rectus aquis in Boream, sed cursus tuus torquetur mox in ortum, mox in occasum.* Quare ego neque *rursus*, ut Bentl., neque *Curris*, ut Oudend. volebat, scripserim, ubi, oppositione illa sublata, pluribus coniecturis opus est; *torqueris* pro *torquetur*, quamvis *in ortus* ex Oxon. pr. et ex var. lect. Lips. a. defendi possit. *Occasus flexu torquetur* autem plurimi

Digitized by Google

et meliores libri habent; cf. Heins. Advers. I, 19. p. 195., neque syllaba *us* iterata in Lucano offendit, ut alio loco ostendam. *Flexus* ortum est propter praecedens *Cursus*, sicuti *ortum* propter *occasum*. *Occasus* in plurali dicitur, ut VI, 361. IX, 421. X, 59; nec non *ortus* I, 543. 683. II, 642. IX, 76. 419. 903. X, 279. *torquetur* autem de flumine, ut V, 378. VI, 77. Neque denique ex glossemate ortus esse potest versus, cum sqq. neque explicatione egeant, neque explicatio his verbis insit, et ipse potius explicationem requirat. Immo Lucanus, ut solet, sententiam variat, et in sqq. exponit.

X, 295—98.

Arcanum Natura caput non prodidit ulli,
Amovitque sinus et gentes maluit ortus
Mirari, quam nosse tuos.

Versus 296 suspectus fieri potest, cum, ut recte Bentl. monuit, sententiam intercidat, et ex interpretatione vers. 295 ortus esse videatur. Quod prius attinet, sententiam turbatam esse concedo, et versum vel melius deleri, vel facili coniectura *Ne liceat* pro *Nec licuit* erigi posse. Verum de interposito alio subiecto in Lucano antea diximus, et infra plura loca videbimus; neque de transpositione versus est quod cogites. Poeta, ut solet, variat atque amplificat hoc loco sententiam priorem. Unde Burm. quoque coniectura de parenthesi constituenda displicet, quae nullum locum habet; neque intelligi potest, cur glossator his verbis usus sit, ut priora explicaret. Deinde *nec* indicare videtur, versum a praecedenti v. *non* pendere, quem verba *et gentes—nosse tuos*, his respondentia, ex membrorum aequalitate defendunt. Denique optimi MSS. versum agnoscunt; in Edit. Oudend. enim culpa typothetae v. *marg.* ante v. *Marp.* excidit, vel cum eo confusum est. Si in aliis, ut in Flor., Thuan. pr., Rott. tert. et tribus aliis Burm., non legitur, excidit, quia sensus reliquorum sine eo constabat; unde in alienum locum Codicis Reg. illatus est; vel excidit cum praecedenti v. 295, ut in Cod. Lips. a. librarii negligentia.

Digitized by Google

X, 506.

Linea tam rectum mundi ferit illa Leonem.

Guieto versus suspectus est, ut videtur, quia salvo sensu abesse possit, et explicationem contineat verb. praecedentium. Sed prior causa nulla est, cum in poetis, maxime in Lucano, sexcenta loca hac ex ratione deleri deberent, quae aperte genuina sunt. Deinde si verba considerantur, minime interpolatorem et glossatorem, sed poetam produnt. Neque facile praecedentia aliquis per *lineam mundi* et *ferit* explicaret, quae Lucanus ex more suo addidit, in rebus naturae maxime doctrinam suam ostendens. Denique in singulis verbis non video, quid suspicionem movere possit. *Ferit* enim, quod Salmas. cum Oudend. et Cort. in *fert* mutatum volebat, sicuti Lips. b. addita glossa *super se* habet, corrigi non debet, cum *ferire* de linea mundi, i. e. recta linea, quae de terra ad punctum verticis (*Zenith*) ducitur, optime dicatur; cf. V, 774. feriat *dum moesta remotas* Fama *procul* terras. VI, 744. *subita* feriere die. IX, 396. *Me* calor *aethereus* feriat. Male autem haec per hypallagen a Schol. Lips. e. et Ascensio explicantur, quae h. certe l. nulla est.

Alius, neque tamen a priori multum diversus modus, quo versus spurii orti sint, cognoscitur, ubi res, quae vel in pluribus versibus, vel in toto aliquo loco continentur, paucis verbis comprehensae summarii loco in margine adscriptae sunt. Quam quidem rem plerumque ab initio singulorum librorum factam videmus; unde summaria illa, quae nunc habemus; sed etiam mediis in libris factam esse non absonum est, licet in Lucano huius rei exemplum mihi non constet; etenim locus IX, 924, qui speciem interpolationis hac ex causa habet, ut infra videbimus, genuinus est.

Diximus autem supra, causarum, unde versus spurii oriantur, genus in verbis Lucani, quantum legantur et adsint, positum duplex esse. Prius vidimus in explicatione sive interpretatione glossatorum; alterum, quod priori quodammodo coniunctum per se tamen considerari debet, nunc videbimus. Etenim Intpp. veteres Lucani, plerumque docti et in poetis latinis

Digitized by Google

satis versati homines, non solum suis ipsorum verbis locum aliquem difficiliorem explicarunt, sed etiam interdum locis comparatis. Ubi enim similitudinem aliquam inter verba Lucani et alius poetae invenerant, (rarissime enim scriptor aliquis in subsidium vocatus est,) in margine comparandi causa versum alienum scripserunt, sive omisso sive addito poetae nomine, unde versus ille fuerit haustus. Hinc factum est, ut comparata illa loca vel inter scholia ex vetustis illis membranis propagata sint, quemadmodum in Scholiastis multa Virgilii aliorumque loca leguntur; vel ut in textum Lucani migrarint, neglecto nomine auctoris, quod eiusmodi versibus praefixum vel fuisset, vel non fuisset. Sic plura loca hac ex ratione in Lucanum illata sunt, ut infra videbimus; illata autem sunt vel ex ipso Lucano, vel ex aliis poetis, et vel ex iis scriptis hausta, quae nunc nobis supersunt, vel ex deperditis. Ubi eiusmodi loca leguntur sive Lucani, sive aliorum poetarum, qui nobis supersunt, apparet iudicium de iis difficile non fore, ut infra probabimus, ubi de internis interpolationis indiciis sermo erit. Nam fonte, unde versus aliquis haustus sit, reperto, simul indicium adest interpolationis. Alia autem est res, ubi eiusmodi loca deperditorum sunt auctorum; in quibus iudicium requiritur, utrum versus ex comparatione ortus sit, nec ne. Quae res, licet difficilior sit, indicia tamen plura habet, quae in diiudicandis eiusmodi versibus magno nobis usui sunt, ita ut, si non certo, cum aliqua tamen veri specie rem decernere possis. Primum enim, si sententiam ipsam spectas, quae plerumque generatim dicta est, habebit versum Lucani, cui respondeat; utroque autem versu comparato, apparebit, utrum sententia sententiae similis sit, an eadem aliis tantum verbis reddita; quae quidem res certis regulis comprehendi non potest, sed homini cuique sagaciori facile patebit. Similitudine aliqua reperta, suspicari possis, versum ex comparatione fortasse ortum esse, cum non sit verisimile, veteres Intpp. comparandi causa versus formasse, sed, ubi de suo aliquid addiderint, hoc potius explicandi gratia fecisse. Deinde in verbis quoque eiusmodi versuum indicia adsunt. In talibus enim locis plerumque vocabulum aliquod legitur, quod in utroque versu idem vel certe simile est, et quo Intpp. fortasse

Digitized by Google

adducti erant, ut locum alius poetae cum Lucano compararent. Tum ex reliquis quoque verbis eorumque compositione et nexu facile apparebit, si qui versus ex alio loco haustus sit, nec ne. E verbis cognoscitur, si bona sunt, et poeticum quid spirant, quod alienum est ab explicationibus grammaticorum; e nexu et compositione autem, si apparet, versum mediae alicui sententiae sublatum esse, in qua vel prius vel posterius constituerit membrum. Quod vel ex ordine verborum vel ex eo colligi potest, quod versus per se intelligi nequit, neque cum Lucani verbis ullum habet nexum.

Quorum a me dictorum exempla plura infra dabo; hic addere lubet duo, alterum ex Virgilio haustum. In Codice Lips. b. et Florent. post vers. II, 294. additur alius,

Atque alio patriam quaerent sub sole iacentem,

haustus ex Virgil. G. II, 512, mutato *quaerunt* propter v. *sequentur* in *quaerent*. Illatus autem est versus propter vv. *alio sub sidere*, quae interpolator versu Virgilii comparato explicavit; unde apparet, in MSS. male *aliis* pro *alio* legi. Versum spurium esse, ipse librarius Cod. Flor. addito v. *vacat* ad hunc versum indicat, qui male *primam* pro *patriam* praebet; praeterea nexus sententiarum aperte docet, versum hic stare non posse. Quare male aliquis praecedentem versum expelleret, ut Guietus fecit, inductus puto verbis *deducti fretis*, quippe quae sensum non satis aptum praebere visa sint, et recte; sed male talem medicinam adhibueris, neque meliorem corrigendo *Getis* pro *fretis*. Immo, ut optimi MSS. habent, *diducti fretis* scribendum est, i. e. separati, divisi a nostra urbe reges per freta et maria; cf. Oudend. ad h. l. Ita optime sibi respondent *gentes* et *reges*, quae saepius a Lucano coniunguntur, ut infra docebimus.

Alterum exemplum spurii versus, ex Lucano hausti, legitur post vers. VII, 513, ubi in solo Cod. Bern. inseritur hic versus:

Illic tortilibus vibrata phalarica nervis,

illatus ex VI, 198, mutatis *Hunc aut* in *Illic*. Quia in illo loco iacula, sagittae, saxa, aries, ballista con-

Digitized by Google

iuncta essent, ut h. l. sagittae, faces, saxa, glandes, aliquis, comparato utroque loco, *phalaricam* h. l. deesse ratus, versum iam propter v. *illic* suspectum adscripsit.

Venio nunc ad alterum causarum genus, quod diximus positum esse in iis versibus, qui novi aliquid, quod poetae verbis non respondeat, exhibeant. Supra enim vidimus, causas, cur versus spurii orti sint, in verbis Lucani fuisse, quae vel interpretationem vel comparationem nacta versibus spuriis respondebant. Versus autem, qui ex his, quas nunc indicabimus, causis orti sunt, nihil habent, cui respondeant, et quibuscum comparari possint. Etenim Interpolator, vel, quia aliquid deesse putasset, id quod deesset, de suo addidit, poetam supplere ausus, vel, quia locum nactus, ubi sua interponere posset, id quod reperisset in poeta, suis adauxit atque amplificavit. Quod ab illis hominibus factum esse, mirum videri non debet, sive homines ipsos respicias, qui, sicuti nunc quoque fieri solet, vel ex more singulari sua alienis interserere amabant, ut gloriolam sibi captarent, vel iussu bibliopolarum, ut liber aliquis perfectior et absolutior prodiret, sua passim addebant, quod factum esse in pluribus auctoribus constat; sive respicias auctorem ipsum, quem pannis suis interpolabant. Etenim cum Pharsalia opus imperfectum minimeque absolutum sit, quod non modo de fine eius, sed etiam de singulis partibus, quot nobis supersunt, valet, librarii autem et eiusmodi homines id animadvertissent, facile fieri poterat, ut illi homines vel sua sponte, vel ab aliis iussi ea, quae deesse rati essent, addiderint, aut, quae in Lucano reperissent, amplificarint. Ubi enim aliquid omissum esset, nec ne, res ipsa eos docebat, ita ut hanc quoque rem non multum curare debeamus. Sed alia inde nascitur quaestio, cum superiori coniuncta, utrum Lucani Pharsalia integra ad nos pervenerit, nec ne. Quod quum de singulis eius verbis intelligi non possit, ut constat, de singulis vel pluribus versibus dictum volo. Nam cum in aliis quoque poetis singulae partes vel casu vel temporis iniuria intercidissent, nonne in Lucano quoque singuli versus excidere poterant? Qua de re nunc non disputarem, nisi quaestio cum his de interpolatione dictis arcte cohaereret, ita

Digitized by Google

ut ab his separari non possit. Sicuti autem veteres interpolatores, sic nos quoque in Pharsalia loca deprehendimus, in quibus aliquid omissum esse ex comparatione Caesaris aliorumque de bello civili scriptorum cum Lucano apparet. Num ibi fortasse aliquid intercidit, praesertim quum Lucanus bellum civile per singulas partes describat singulasque res sequatur? Sed, licet ita sit, in universum tamen non contenderim, iis in locis aliquid deperditum esse. Sicuti in omni re critica, in hac quoque singula loca eorumque naturam consideremus necesse est. Nam cum constet, Lucanum non historiam belli civilis, sed poema scripsisse, et cum constet, quales eius fuerint mores, quali animo et studio scripserit: in iis locis, ubi aliquid omissum videri possit, rationes fortasse secutus est; ita ut, si qua eiusmodi ratio adest, de interitu singulorum versuum sermo esse non possit. Tales autem rationes vel positae sunt in legibus poeseos, quas Lucanus, licet magis oratoribus adnumerandus sit, ex omni parte negligere non debebat. Unde ea, quae neque apta, neque poetica ei visa essent, omisit. Sin alia inveniuntur, quae melius abessent, nihil probant, nisi quod Lucanus in hac quoque re sibi non constet, interdum poetam, interdum scriptorem agens. Certiores tamen et firmiores rationes sunt, quae, in ipso Lucano positae, eum, ut nonnulla interdum omitteret, moverint. Quum enim odio Caesaris omnisque Caesareae domus flagrasset, et Pompeii partibus favisset, quia ille libertatem scilicet tuitus fuisset, non mirum est, si quacunque ratione vel omittendo vel mutando amorem et odium suum ostenderit. Neque in talibus locis deperditum aliquid, sed ab ipso Lucano omissum esse verisimile est. Alia est res, ubi singula loca ita comparata sunt, ut prioribus respondere videantur, vel sine iis explicari et intelligi non possint. Ibi aliquid intercidisse probabile est; sed nihilo minus in iis quoque locis magna cum cura agere oportet, cum Pharsalia, ut constat, imperfectum sit opus, quod poetae non licuit relegere et emendare. Unde facile in tali opere loca inveniri possunt, quae cum aliis non satis convenire, neque quadrare videantur. Quibus in locis maxime iuvat singula verba accuratius considerare, cum in his interdum insit, quod procul dubio ad priora respiciat; deinde locum, ubi

Digitized by Google

tale quid excidisse videatur vel dicatur, circumspicere. Nam cum omnia cohaerent, nexus sententiarum et verborum facile interitum versus alicuius indicabit. Apparet autem, si eiusmodi locus in tota Pharsalia non adsit, de lacuna versuum cogitari non posse. Quam facilis tamen in hac quoque re sit error, Guietus ostendit, qui post versum VII, 824. verbi causa aliquid excidisse putat, ni fallor, v. *Nec*, quod pro *Non* in nonnullis MSS. legitur, inductus. Sed *Non solum* vel *Nec solum* coniungunt sequentia prioribus, quae bene cohaerent, ut iam Schol. Lips. a. his verbis indicat: *Ad ostendendam magnam interfectionem subiungit, tantum fuisse ostinderis * * rem* (lege: *istius aëris odorem), quod non solum Bistonii lupi venere, sed etiam leones liquere Pholoen; et iungit adhuc Trahe has aquas, quod minime potes, nam tantus foetor fuit, quod non solum Bistonii lupi* etc. Neque intelligo, quid desit, cum a verbb. *tabentes populi eripiunt rura* recte transire possit in illa *Non solum*, et aërem pestiferum his bene describat. *Nec* autem priora magis nectit, neque indicium interpolationis esse potest, cum *Nec solum* h. l. sine seq. *sed etiam*, ut interdum fit, cf. IX, 910, positum sit; poeta enim pergit per anacoluthian *Tunc* etc.; unde Scholiastae sententia probari non debet.

Eodem modo Guietus IX, 170. ad vv. *mortem populos deflere potentes* aliquid deesse putat, ubi omnia aptissime cohaerent. Infinitivus enim non est gerundii loco, sed, ut saepissime, pro substantivo *fletus*, *luctus* positus, bene praecedentibus vv. coniungitur, ut recte Schol. Lips. a. explicat: *Quid sit illud quod dicit carere exemplo, subiungit solos* (lege *totos*) *populos deflere mortem potentis, nam solent potius laetari.* Unde Schol. Lips. c. quoque: *Quia raro contigit enim subditos mortem domini sui deflere.* De usu infinitivi autem loco substantivi cf. Sanct. Minerv. T. I. p. 596. 97. ed. Bauer. Arntzen. ad Cat. Dist. XXIV, 2.

X, 472—74.

Orator regis pacisque sequester

Digitized by Google

Aestimat in numero scelerum ponenda tuorum;
Tot monstris, Aegypte, nocens.

Guietus, hunc locum imperfectum et ab interpolatoribus suppletum ratus, vv. *orator* — *Aestimat* pro spuriis habuit; quae tamen neque supplementi loco sunt, neque causam, cur damnari debeant, praebent, nisi forte in v. *Aestimat*, de quo mox dicemus. Innuit autem poetae h. l. satellitis necem ab Achilla factam, quemadmodum plura, ut ex comparatione Pharsaliae cum aliis belli civilis scriptoribus instituta apparet, paucis tantum verbis, non tamen sine causa, tangit. Etenim cum factum per se tale sit, quod sine multo negotio transactum narrationi non magnopere serviat, sed, comparatum cum aliis Aegyptiorum, mores eorum ostendat: sufficit ei id tantum innuisse, et ad ea, quae menti rem consideranti obversabantur, et inde a v. 474. leguntur, transisse. Quae si vera sunt, non admodum difficilis loci sensus videtur, quem recte iam Schol. Lips. a. ita explicat: *Sequester pacis i. moderator pacis, aestimat, i. aestimare facit eos, per hoc scil. quod interfectus est eis, hoc factum per suam interfectionem ponendam* (lege *ponendum*) *esse in n. t. s. t. Si nolumus dicere, eum ab ipsis esse interfectum, dicemus, aestimat h. e. putat interfectionem Caes.'* (lege *Caesaris*) *imponendam in n. t. s. t. A.* — Schol. Lips. b: *dum parant eum occidere, aestimat etc. tuorum, hoc quod ipsum parat occidere.* Vides, quomodo iam veteres interpretes se torserint, neque melius recentiores, ut Heins. in Advers. I, 19, p. 196. Locum corruptum esse Oudend. et Burm. putant, qui, nimis audacter a vestigiis librorum recedentes, coniecturas minime probabiles afferunt. Possis quidem aliquid, in quo notio *probandi, ostendendi* insit, tentare; sed coniectura non opus est, ut diximus. Neque meliorem viam ingressus est Barth. in Advers. XI, 10. p. 531, qui, colo post v. *gentibus* deleto, priora sequentibus coniungit, et ita explicat: *Orator et caduceator regius, cui noti facinorosum hominum animi, non putat gentibus sacra iura ponenda in potestatem eorum, non enim pereituri erant etiam sacrosancto legato.* Qui sensus non inest in verbis; *ponere in numero* enim non

est *ponere in potestatem*, *tradere arbitrio*, sed simpliciter adnumerare alicui rei, referre, reponere in numerum alicuius rei, ut notissimum est. Plurimam difficultatem sine dubio v. *Aestimat* praebet, in quo totius loci cardo vertitur; quod a Gronov. Obss. I, 6. p. 44. sqq. Lips. recte intellectum, ab eodem quoque optime explicatum est, neque quid contorti et longius petiti in eius explicatione insit, intelligo. Sed in eo falsus est V. D., quod subiectum verbi *ponenda* putaverit *qualia sint illa quae*, de quo in verbis Lucani nihil legitur. Immo subiectum est *iura mundi* et *foedera sancta*, ut glossa unius Bersm. et Reg. sec. *haec*, textui inserta, bene indicat. Legatus igitur interfectus facit, sive dat aestimare, iura mundi et foedera sancta inter multa tua scelera referri, in ordine tot tuorum scelerum numerari debere.

Aliud lacunae in Pharsalia indicium est, si quis versus Lucani ab alio auctore laudatus in Pharsalia non legitur, ubi tamen videndum est, num versus vere ex Pharsalia, an ex alio Lucani opere haustus sit; saepissime autem librorum tituli a Scholiastis vel librariis commutati sunt. Deinde bene notandum est, etiamsi nomen Pharsaliae additum sit, interdum loca a Scholiastis aliisque laudari, quae minime auctoris, cui tribuantur, sed alius sint, et falso illius nomen prae se ferre, vel quia similis sententia in causa fuit, quod nomina poetarum confundebantur, vel quia memoria omnino aliquem fefellit. Denique verba vel memoriae lapsu, vel alia ratione in versu citato mutata esse possunt, quae novum quasi et alium versum, quam quem auctor voluerit, constituunt. Itaque in hac quoque re cavendum est, ne poetae inferamus, quae illius non sint, neque tantum auctoritati eius, qui versum aliquem laudet, tribuamus, quin ipsi de sententia et singulis versus verbis videamus, an digna sint auctore et opere, cui adscribantur. Deinde in opere ipso quaerere debemus, ubi versus laudatus excidere potuerit; quod locus ipse, nexus et singula verba facile ostendent. Denique negligi non debet, versum aliquem, si duplex alicuius libri recensio ab auctore ipso vel ab alio facta sit, ex altera earum, quae nobis non supersit, haustum esse posse.

Digitized by Google

Quod Lucanum attinet, plura loca a Scholiastis aliisque laudantur, quae in Pharsalia non leguntur, unde, cum duplex Pharsaliae recensio non exstet, ut infra videbimus, facile coniici possit, deperdita esse Pharsaliae loca. Versus ipsos autem si consideramus, nullus eorum ita comparatus est, ut ex Pharsalia esse possit, nedum ut locus adsit, cui recte inseratur, quod alio loco demonstrabimus, ubi de fragmentis collectis erit sermo. Quibuscum alia loca coniungi non debent, quae Lucano abiudicata sunt, quippe quae in Pharsalia non existerent, ut a Barthio ad Stat. Theb. II, 305. Lucani versus a Lutatio laudatus: *Crimine quo parvi caedem potuere mereri*, e Sedulio intrusus dicitur, licet in omnibus MSS. II, 108 legatur.

Indicium denique deperditi versus MSS. ipsi nobis praebent, si quo modo, plerumque spatio intermisso excidisse aliquid ostendunt. Qua tamen in re cavere debemus, ne spatium, quod in uno alterove MS. a scriba, quia a novo folio fortasse incepisset, vel plura falso scripsisset, relictum, in aliis autem MSS. propagatum sit, quia scriba religiosus ita reperisset, ne id, inquam, pro indicio deperditi versus habeamus, quod nullum est. Cuiusmodi loca plura in Lucani MS. Lips. a. deprehendi. Sic post VIII, 804 lacuna quinque versuum per lineolas indicatur, ubi omnia nihil deesse docent; certe nihil inter vers. 804 et 805 arcte cohaerentes. Illud *Her* autem, quod legitur post v. 804, ex varia lectione ortum puto; in nonnullis enim libris legitur *Heremus* (*Haeremus*) pro *Haeserit*. Eodem modo factum est post VIII, 859, ubi in eodem Codice spatium quatuor versuum superest; sed verba et sententiae bene cohaerent, neque quidquam deesse probant. Sic post IX, 1059 spatium sex versuum in eodem Cod. relictum est, ubi nexus sententiarum et verborum optimus est. Sed praeterea apparet, cur spatium illud supersit; incipit enim a vers. 1060 aliud folium et alia Cod. manus, sic ut MS. ab altera manu suppletus videatur.

Verum ut redeam ad id, quod prius disputari coeptum est. Quemadmodum nunc quoque loca leguntur, in quibus vel res vel singula verba aliquid ex-

Digitized by Google

cidisse indicare videantur; sic antiquis illis temporibus fuerunt, qui talia loca explere et integra reddere studerent; non tam iniurias scribarum, quam potius ipsum Lucanum correcturi. Addiderunt igitur ea, quae in aliquo loco deficere viderentur, et cum plerumque satis periti et docti essent, scripserunt vel novum aliquid, cuius vestigia in auctore non aderant, vel ea quae reperissent amplificarunt, variarunt aliisque coniunxerunt. Quod prius attinet, difficilius est iudicium de eiusmodi versibus iis in locis, ubi, omissis subditis, qui indicantur, versibus, aliquid desiderari possit; sed plerumque sententia, verba, nexus et totus supplendi modus interpolatorem produnt. Alia est res, ubi interpolatoribus aliquid deesse visum et additum est, quo non opus est. Tunc locus ipse, in quo aliena infarta sunt, se defendet, sive verba singula, sive sententiarum nexum spectes, ut taceam de aliis interpolationis indiciis. Quae cum ita sint, ab altera tamen parte fieri potest, ut loca hac ex causa pro interpolatis habeantur, quae minime spuria sint, quemadmodum a nonnullis factum esse exempla ostendunt. Qua in re maxime iuvat primariam illam legem, supra a me propositam, sequi; quae fere semper veram rationem indicabit. Haec enim causa, ut facile apparet, ad damnandum aliquem versum sufficere non potest, nisi aliae rationes, ut par est, accedant. Quod a viris doctis non satis intellectum saepius eos permovit, ut genuina damnarent, atque auctorem, quem tractabant, mutilarent. Cuius rei exempla infra nonnulla dabo, uno, ubi interpolator aliquid deesse ratus sua infarsisset, hic indicato. Leguntur in uno Cod. Cortii inter vers. I, 423 et 424 haec: *Et Lemoris audax nimium levitate movetur;* orta scilicet inde, quod interpolator, quum plures Aquitaniae gentes h. l. commemoratas vidisset, Lemovices praetermissos addendos putavit. Sine dubio enim v. *Lemoris* corruptum est, ut metrum et res ipsa docet; nulla enim est huius nominis gens. Scribi debet *Lemovix*. quae est Aquitaniae gens, a Caesare B. Gall. VII, 4 laudata, vel *Lemosis*, si interpolator recens forma recentiori usus est, unde hodiernum nomen *Limosin*. Neque in tali versu de metro admodum solliciti esse debemus. Versum denique interpolatum esse, praeter MSS. et

Digitized by Google

Scholiastas ostendit v. *levitas*; licet enim noster *levis* de populis dixerit pro *agilis*, *velox* I, 210. IV, 9, displicet tamen v. *levitas* h. l. coniunctum verbis *nimium audax*, et apparet ab interpolatore haustum esse ex versu praecedenti, ubi est *leves Suessones*. Pertinent huc quoque loca VI, 152. VII, 302, de quibus infra videbimus.

Alia autem, ubi Intpp. genuina ex superius dicta causa male damnarint, praeter ea, de quibus infra dicam, II, 212. VI, 677, haec sunt:

II, 72—75.

Mox vincula ferri
Exedere senem, longusque in carcere paedor;
Consul et eversa felix moriturus in urbe
Poenas ante dabat scelerum.

Damnat hos versus Guietus, ni fallor, additos ratus ab aliquo, qui haec desideraverat; sed non intelligitur, cur Lucanus haec de Mario narrare noluerit, quae ad rem multum faciant. Deinde singula verba et maxime sententia in fine posita, *poenas ante dabat scelerum*, Lucanum Mario infensum, cf. IV, 822. VI, 794, produnt. Denique haec ne recte quidem propter sqq. abesse possunt; ex eo enim quod *longus in carcere paedor* dixisset, in vv. *mors ipsa refugit* etc. transit; neque, quae v. 79 de *tenebroso* carcere leguntur, dici poterant, nisi illa praemissa fuissent. Quod singula attinet, de v. *Exedere* vide Heins. Advers. IV, 1 p. 559; *longus paedor* autem non de tempore intelligi debet, per quod Marius in carcere fuit, sed dr. ita *paedor* ex longo tempore in carcere natus. Recte autem *paedor*; *foetor* enim glossa est, ut aperte habet Cod. Lips. b. *paedor i. foetor corporis*; Cod. Lips. c. autem: *proprie foetor* (ita enim scribendum est pro *feror*) *pedum*.

VII, 235—49. Verba *Illa forte die* usque ad vv. *melior fiducia vulgo* ab interpolatoribus suppleta Guietus opinatur; sed causas, cur ita sibi persuaserit, neque addit, neque divinare possum. De-

Digitized by Google

inde non intelligitur, cur poeta, quod in nullo Pharsaliae loco fecit, ut ad orationem transiret, nomine eius, qui loquatur, vel aliis rebus, quae ad orationem spectent, non praemissis, id in ea operis parte fecerit, quae maximum momentum habeat, et cui plurimum laborem impendisse videatur. Quod multo minus verisimile fit, si locum ipsum consideramus, in quo necessario dicendum fuit, Caesarem, hostibus conspectis, ad suos locutum fuisse. Praeterea sive sententias huius loci spectes, quae de Caesare v. 238—42 et 245—49 leguntur, collatas cum aliis, sive singula verba et formulas loquendi, ut *statione relicta* v. 235; *in extremos quo mitteret omnia casus* v. 239; *casuram fatis nutare ruinam* v. 244; et opposita illa: *nec sua fata timere, nec Magni sperare sinunt* v. 247, omnia ex usu loquendi Lucaneo dicta et poeta dignissima sunt. Quare nec de Polla Argentaria h. l. cogitari debet, praesertim cum illa femina, ut infra docebimus, Pharsaliae non talem suam operam tulerit, qualis vulgo creditur; nullus certe exstat locus, ubi id apertis verbis legitur, vel ubi operam et manum eius aperte notare possis.

VIII, 480, 81.

Consilii vox prima fuit, meritumque, fidemque,
Sacraque defuncti iactavit pignora patris.

Spurius est v. 481 Guieto, et inde ortus, quod interpolator locum Lucani imperfectum addendo restituere voluerit. Etenim persuasit sibi V. D., loca in Pharsalia esse, quae poeta, media oratione abrupta, imperfecta nobis reliquerit; sed, licet merito totum opus imperfectum sit, nullus tamen exstat locus, de quo, Lucanum in media oratione desiisse, ut Guietus h. l. factum putat, certo affirmari possit. Quod quum in aliis locis non sit factum, multo minus h. l., ubi sententia v. 480 ita exit, ut Lucanus nullo modo substitisse potuerit, etiamsi concedamus, quod Guietus innuisse videtur, Lucanum Achorei orationem exhibiturum fuisse. Sed quaecunque causa poetam moverit orationem Achorei non scribere, posita fortasse in eo, quod, quum invidiam et odium Aegyptiis excitare voluisset, oratio non satis apta ei videretur, Lu-

Digitized by Google

canum hanc Achorei orationem dare noluisse, verba Pothini aperte docent. Nihil enim in his praecedenti alicui orationi respondet, quod fere semper fieri solet, neque in habitu totius orationis, neque in singulis verbis, nisi in versu 499, qui tamen vers. 481 magis defendere, quam suspectum reddere videtur. Denique v. 481 non habet, cur displiceat, et Lucano indignus sit; immo singula ex usu eius dicta sunt, ut v. *iactavit*, secundum glossam Lips. c. *repraesentavit*, cf. I, 267. IV, 202. V, 701; eodem modo *pignora*. Recte autem *patris*, non *regis*, cum v. *patris* h. l. magis ad rem, ad animum commovendum faciat. Locum explicat Schol. a: *Ponit illius sententiam; iactavit, quasi dicit et repraesentatum et* (lege *est*) *meritum etc. Meritum in hoc, quia multa bona fecit patri suo, et huic etiam dederat regnum; fidem in hoc, quia fecerat foedus cum Lago* (?), *et hoc etiam notat per hoc, quod subdit sacraque etc.* Et Schol. Lips. b. ita: *Quanta fides fuerit inter patrem suum et Pompeium.*

IX, 409, 10.

Et sacrum parvo nomen clausura sepulchro,
Invasit Libye securi fata Catonis.

Guietus utrumque versum damnat, utpote illatum a librario, qui aliquid deesse ratus, v. *Libye* addiderit explicando. Salvo sensu uterque versus abesse potest; sed mirum videri debet, librarium, ubi nihil deest, aliquid, quasi deesset, intulisse. Deinde sententia versus cum Lucano optime convenit, qui talia, ut infra docebimus, in posterum eventum indicare et innuere solitus, similia aliis quoque in locis de Catone laudat. Tum singula verba, ut *clausura sepulchro*, cf. VIII, 697. 789; *sacrum nomen*, cf. VI, 311. IX. 255, 555; et *securi Catonis*, cf. II, 241; *invasit*, cf. II, 315, Lucanum probant. Sensum totius loci explicat Schol. Lips. a: *Et Libye, clausura illum tam nominatum virum in parvo sepulchro, invasit mortem Catonis, sicut invadit hostem.* Et Schol. Lips. c. *fata, mortem, quia ibi moriturus erat, nam apud Uticam semet occidit.* Quod singula denique attinet, nam reliqua facillima sunt, recte *sacrum parvo*, non

Digitized by Google

parvo sacrum positum est; solet enim Lucanus duo adiectiva duobus substantivis ita coniungere, ut iuxta posita a substantivis suis separata sint. cf. IV, 93. 440. 481. 609. 731. 770.

IX, 691—95.

Premit orbita solis
Exuritque solum: nec terra celsior ulla
Nox cadit in coelum, lunaeque meatibus obstat,
Si flexus oblita vagi per recta cucurrit
Signa, nec in Borean aut in Noton effugit umbra.

Haec a Polla Argentaria, vel ab alio addita esse, ut locus imperfectus suppleretur, contendit Guietus. Sed nullus exstat Pharsaliae locus, de quo, ut de pluribus Virgilii, certo dici possit, poetam in medio versu desiisse. Etenim verba IX, 732 *Datis omnia leto* male suspecta sunt Guieto, ni fallor propter sensum, cum aliud quid exspectari possit; sed Lucanus ex suo aliorumque more, quae per singula dixisset, uno verbo, cui rei v. *omnia* maxime servit, cf. II, 147, repetens comprehendit. Omnino autem in Lucano non eae sunt rationes, quas Virgilium in formandis et expoliendis versibus habuisse constat. Certe hic locus non talis est, qui imperfectus relictus sit, nexu sententiarum haec docente. Cohaerent enim v. *premit* etc. cum prioribus ex more Lucani, qui, ipse sui interpres, id quod dixisset variata oratione exponit, ut h. l. *nullo consita cultu* per sqq. *premit orbita solis* explicat. Deinde vv. *illa tamen* etc. et maxime v. *tamen* male verbis *nullo consita cultu*, sed optime vv. *premit — umbra* coniunguntur. Inepta enim repetitio in proximo versu *sterilis tellus* etc., quum iam dixisset *nullo consita cultu*; recte autem, interpositis his versibus, illa ita cohaerent: Licet ibi premat orbita solis exuratque solem, ita ut sterilis ibi sit tellus, arva tamen illa virus stillantis Medusae concipiunt. Tum locus ipse, si sententiam spectas, Lucano dignissimus est; amat enim poeta, ut constat, doctrinam suam in rebus astronomicis prae se ferre, et saepius in locis alienis ostendere. Quare, licet haec sine detrimento sensus abesse possint, et fortasse rectius supra v. 435 sqq.

Digitized by Google

addita essent, non ausim tamen damnare. Quod singula denique attinet, in his quoque nihil, quod Lucano indignum sit, invenies, modo recte constituantur. Comma post v. *solis* deleri debet, cum *premit* et *exurit* coniunctim ad v. *solum* pertineant et *premit* h. l. absolute positum displiceat. Sequentia *nec terra* etc. addit poeta, ut, quomodo sol illam terram premere possit, comprobet. Etenim ostendit, in nulla terra celsiorem, altiorem noctem in coelum cadere, quam hic; unde apparet, *celsior* minime corrigi debere, cum in eo sententiae cardo sit. Quae enim terrae pars, secundum veterum rationes, umbram longius porrigat, et in coelum extendat, pro terrae et solis certo statu, illa soli propior sit, necesse est. Unde Schol. Lips. b. *Fines globosi corporis non reddunt tantam umbram, quantam medium.* Et Schol. Lips. c. *Nox i. ascensio umbrae terrae; quia ibi tumor est terrae. Unde videt* (lege *videtur*) *altius terra ascendere pōt.* (lege *pontus.*) Explicationi serviunt, quae Cic. de Div. II, 6, 17. habet. Bene autem Burm. comparat VI, 570 *alta Nocte poli;* ibi enim est *alta*, quia *poli* est *nox;* sed h. l. *celsior*, quia a medio terrae. Probatur praeterea quodammodo verbo *obstat*, quod non nisi de extrema terrae umbra dictum esse potest, ut sqq. quoque ostendunt, *si luna* scil. *per recta signa cucurrit.* Difficilior est res in sequentibus. Possis suspicari, in his verbis, sed alio modo probari, quod supra dixisset, solum premi et exuri a sole, si legitur *umbra*, quod plures MSS. habent. Ubi enim umbra rerum nunquam flectitur, neque in Boream, neque in Notum, cf. II, 587, ibi sol rectos mittat radios, necesse est. Sed displicet sententia, quae, licet aliis in locis defendi possit, h. l. languet. Tum membra non satis accurate sibi responderent; praeterea singula verba minime probari possunt. Cur enim *effugit* de *umbra?* cur non *extenditur?* quod solemne est in hac re, cf. X, 237; cur *umbra?* cum antea *nox* dixisset, quae repetitio displicet, praesertim cum *umbra* per se ne satis recte quidem dictum sit. Recte itaque Intpp. *effugit umbram* ex optimis et plurimis MSS. receptum explicarunt, cf. Oudendi ad h. l. *Efficit* enim nullo modo se tueri potest, vel ex coniectura ortum et haustum fortasse ex I, 148, verbis *effugit*

umbram non intellectis; vel, quod verisimilius est, *efficit* et *effugit* per errorem confusa sunt, cf. Wakefield. ad Lucret. Ind. s. v. *Efficit*. Recte nunc sensus verborum cum prioribus cohaeret, et singula verba quadrant. Verba *flexus oblita vagi* autem offendere non debent, quum poetae et maxime Lucanus id, quod affirmative dixissent, per negationem repetere soleant, ut infra quoque docebimus.

Haec sunt, quae de versibus spuriis ex eo ortis, quod interpolatores aliquid deficere rati essent, dicenda habeam; restat, ut alterum interpolationis modum, de quo supra dixi, positum esse in amplificandis, variandis et quacunque ratione augendis poetae verbis, nunc videamus. Etenim saepius interpolatores, locum nacti, in quo sua omnino interserere, vel doctrinam suam ostendere possent, vel alia ex causa, in interpolatore ipso posita, ut I, 436—440 factum videbimus, plures versus addiderunt. Differt autem hic modus a priori in eo, quod interpolatores hic plerumque habuissent, cuius vestigia sequerentur, cum in priori omnino nihil fuisset. Quare facilius quoque eiusmodi infarta dignoscas, cum adsit, quod causam interpolationis indicet. Nihilominus res, quod Lucanum attinet, difficilior est; constat enim, Lucanum saepissime unam eandemque sententiam amplificare, variare et pluribus modis exponere; quae res rationem suam in luxuriante et exundante huius poetae ingenio et vi poetica habet. Quae cum ita sint, apparet, facile genuina pro spuriis, et spuria pro genuinis haberi posse, nisi partim rem ipsam, quae amplificata sit, partim rationem amplificandi accurate consideremus. Quod prius enim attinet, amplificatio ab interpolatoribus plerumque facta videtur in describendis rebus, quae doctrinam aliquam prae se ferant, v. c. in rebus mythologicis, physicis et eiusmodi, nec non in sententiis generalibus et locis communibus, ut V, 321. *Si non feminei vultus linguaeque tumultus*; rarissime autem vel nunquam in iis locis, ubi animus commotior exsurgat. Talia enim loca Lucano propria et ingenio eius dignissima sunt. Sed praeterea ipsa ratio et modus amplificandi interpolatorem interdum prodit; etenim Lucanus in fere omni-

Digitized by Google

bus eiusmodi locis id singulare habet, ut variando et amplificando priora simul explicet et novi aliquid addat. Quare, si loca reperimus, in quibus tale quid non factum, ubi eadem sententia inepte et putide variata et explicata est, merito interpolationis suspicio nascitur. Sed, ut iam supra dixi, facillimus est error in hac re; quare, nisi accedunt indicia certiora, quae interpolationem versus alicuius magis apertam reddant, nullo modo hac ex re versum aliquem expellere debemus. Quod quum viri docti non satis accurate considerassent, saepius in errorem inducti sunt, ut compluribus exemplis ostendam, uno tamen, ubi vv. dd. mea sententia versus ex amplificatione ortos recte damnarunt, antea proposito. Legitur autem VI, 442, quo loco Marpurg. et nonnulli Codd. Cortii, uno versu auctiores, post v. 442 haec addunt:

Gens invisa deis maculandi callida coeli,
Numinibus magicis arcanae conscia linguae,
Quam genuit natura parens, ut foedera mundi
Iuraque fixarum tentaret vertere rerum,
Legibus adstricto ne quid non posset in orbe.

Orta enim sunt ab interpolatore, qui, locum idoneum nactus, Lucani de magis dicta amplificavit. Singula quidem, ut interdum fieri solet, ex usu nostri dicta sunt, ut *numina magica*, cf. VI, 577; *arcana lingua*, cf. v. 440; *conscius*, cf. IX, 864 *arcani miles tibi conscius orbis*; *natura parens*, cf. X, 238.; *foedera mundi* etc., cf. II, 2 *leges et foedera rerum — vertit natura tumultu*, et I, 80 *machina — turbabit foedera mundi*; *adstrictus orbis legibus*, cf. VIII, 220 *foedera — per vestros adstricta magos*; sed omnia docent, loca illa interpolatori potius ante oculos, et in versibus formandis adhibita fuisse. Alia autem aperte auctorem suum indicant; etenim displicet non modo sensus totius loci, nec non nexus singularum partium, ut verss. *ut foedera* etc. et *Legibus* etc., sed etiam singula verba, ut *maculandi coeli*, quod noster ita non dixisset, qui hoc verbo usus fere semper addit v. *sanguine*; praeterea v. 443 cum praecedentibus optime cohaeret, ita ut nexus, his versibus interpositis, sine dubio turbaretur. Recte enim

Digitized by Google

poeta ex vv. *canentes arcanum ferale Magos*, quae, ut solet, exponit, ad *carmina et voces dirae gentis* transit. Illa autem cum prioribus nullum habent nexum, neque, cur a Lucano h. l. commemorata essent, quae melius post v. 507. legerentur, apparet.

Alia VII, 197. 200. VIII, 124 infra videbimus. Guietus ante omnes huic rei multum tribuisse videtur, sed, ut fieri solet, re non satis perpensa in errorem lapsus plurimos versus, quos genuinos esse multa docent, confodit; eodem modo alii, licet non tanta cum audacia.

I, 177.

Et cum Consulibus turbantes iura Tribuni.

Versus spurius est Clercquio, et inde ortus, quod librarii, cum *leges* et *plebiscita* vidissent, Lucano *Consules* et *Tribunos* liberaliter addidissent. At, si sententiam consideras, versum a Lucano profectum esse verisimile est, quum in enumerandis belli civilis causis admodum diligens sit, neque facile hanc satis gravem et ponderosam causam praetermiserit. Deinde de Curione in sqq. fere eadem narrat; neque absonum est, hic quoque illum innui. Tum in sententia non est, quod offendat; recte enim dici potest, causam huius rei fuisse luxum, qui moribus mutatis omnia conturbaverit, et libertatem subverterit, sicuti supra ex illo orta dicuntur *vis*, *mensura iuris* et *leges coactae*. Neque denique singula inepte et male dicta sunt. *Cum Consulibus* dr., quia certamina Tribunorum cum Consulibus, i. e. inter Consules et Tribunos, causam praebuissent, ut iura turbarentur; neque minus bene habet *iura*, quod Bentl. in *rostra* correctum volebat; repetitio enim eiusdem vocabuli in proximis versibus, ut infra videbimus, nostro propria est. Recte denique *turbantes* in enumerandis iis rebus, quae luxu suadente ortae sint, cuius loco Crus. in Probab. c. I. p. 9. *turbabant* male tentavit.

I, 444—46

Et quibus immitis placatur sanguine diro

Digitized by Google

Teutates, horrensque feris altaribus Hesus,
Et Taranis Scythicae non mitior ara Dianae.

Guieto spuria videntur, et inde fortasse orta, quod librarii locum nacti amplificando Lucanum ditassent. Sed iam per se non verisimile est, talia a librariis addita esse, in quibus nomina populorum lateant; deinde Lucanus nomina populorum circumscribere solet, ut supra 419 sqq. 432 sqq. Quod singula autem attinet, non video, quid offendere possit; male Bentl. Cluverium sequutus *Teut vates* reposuit, cum de *vate Teut* nihil constet, et loca allata, ubi Druidae, Bardi et vates coniunguntur, nihil probent. Praeterea *Teutates* loco Lactant. de fals. rel. I, 21. defenditur; de quo Schol. Lips. b. ita: *Teutates, a quo Teutonia dicitur*; et man. alia: *Teutates dicitur Mercurius, qui non placatur aliter, nisi Galli, sacerdotes sui, multum caedantur, dum sacrificant*; man. al. addidit: *et usque ad sanguinem; unde Teutonicus.* Et Schol. Lips. c. *Theutates, Mercurius, et dicitur a thos* (θεος), *qui est deus, et thaiitos* (θάνατος), *qui est mors, quia ei sacrificia sanguis, vel quia Teutonici celebrabant eum; cuius ara non erat mitior ara Dianae, quae colitur in Taurica regione.* De Teutate vide Irmin etc. durch von der Hagen, Breslau 1817. p. 25 et Add. p. 57. De Heso vel Eso autem Schol. Lips. b. *Mars ab edendo, cui etiam sanguinem ingustant* (ita lege pro corrupto *ig lat*; cf. Tertull. adv. Gnost. 7. *Iovi in media urbe sanguis humanus ingustatur*). De Tarane deo eiusque scriptura res incerta adhuc. Schol. Lips. b. ita: *Taranis i. Iupiter.* al. man. *Taranis i. Taranica, sic est nominativus; sed Taranis i. Iovis, hoc est genitivus.* Similiter Schol. Lips. c. *Tharanis, quae est Teutonia*, sed al. man. *i. Iupiter.* — *Scythicae* autem sine dubio scribendum est ex optimis et plurimis Codd.; *Scythiae* enim per se non satis placet, neque est ex usu Lucani; cf. VII, 777, et ita saepissime.

I, 599. 600.

Tum qui fata deum secretaque carmina servant,
Et totam parvo revocant Almone Cybeben.

Locus talis est, qui, si rem spectamus, additus esse

possit; damnatus quoque a Guieto propter vv. *turba minor*, quae reliquos minores sacerdotes comprehendere videntur; sed tum ii quoque versus, in quibus de aliis sacerdotibus minoribus sermo est, deleri debebant. Praeterea quis quindecim viros, sacerdotes maximae auctoritatis, ab hoc lustro abfuisse recte dixerit? Lucanus in hoc quoque loco, ut in multis aliis, collegit quae fortasse nunquam iuncta erant; sed locum nactus, in quo exspatiari et doctrinam suam ostentare posset, omnia, quae diversis temporibus et locis facta essent, coniunxit. Quam in rem conferri possunt I, 526—583. II, 352—371. III, 155—167. VI, 667—693. Quare vers. 600. quoque non damnarim, Clercquio spurium; quamvis enim non constet, Gallos ad haec sacra adhibitos fuisse, inter reliquos tamen ex more poetae commemorantur; sin ceteri omnes lustro illi interfuerint, cur non Gallos quoque Lucano donemus? Illud enim, quod peregrini essent, rem non mutat, neque quod auctoritas eorum fuerit parva. Eodem modo intersunt lustro, ut Epulones et Titii; sin eos iam antea v. 569 laudavit, ibi in longe alia re commemorantur. Sed fortasse aliquis quindecim viros, quemadmodum in praeced. versu, hic quoque notatos putat, ut Schol. Lips. c. *Almo fluvius est Romae, ad quem portabatur statua Cybeles, et lavabatur ibi a XV viris.* Nihil tamen constat de hoc XV virorum munere; deinde verba aperte Gallos indicant. Licet enim *qui* desiderari possit ad vers. 600, cum diversi sint, *qui servant fata* et *qui revocant Cybeben:* res ipsa diversos esse sacerdotes satis ostendit; praeterea *qui*, ubi iterari debebat, interdum omittitur; cf. III, 163. Quod singula denique attinet, male tentata sunt a vv. dd.; *servant* enim, cuius loco Clercq. *versant* voluit, proprium est verbum in hac re; neque offendere debet, quod repetitum sit, praesertim cum aliam mox habeat significationem. *Revocant* optime defendit Oudend. ad h. l. et in Epist. ad Schrader. II; neque audacibus coniecturis Withofii et Bentleii opus est. Burmanni *renovant* autem per se et propter v. *lotam* displicet; *revocant* i. e. referunt, quod ex glossa in Cod. Put. et Reg. pr. ortum est, ut aperte Schol.

Digitized by Google

Lips. b. ostendit, locum ita explicans: *Matrem deorum dicit, quam sacerdotes lavantes in Almone flumine revocant ad miscendum; vel lotam revocant i. referunt ad templum; nam minus iusti ferebant lavandam, sū* (lege *XV*) *viri lotam.* — *Revocare* autem pro *reducere*, *referre* saepius dr. cf. Virgil. Aen. VI, 128. IX, 125. Lucan. VII, 732. VIII, 68. X, 311. Gronov. Observ. II, 19. p. 290. Lips.

II, 79. 80.

Viderat immensum tenebroso carcere lumen,
Terribilesque deos scelerum; Mariumque futurum.

Versus *Terribilesque — futurum* salvo sensu abesse, et ab alio, si rem spectas, amplificandi causa additus esse potest; sed si verba ipsa, genuinus videtur. *Marius* enim *futurus*, per emphasin ita dictus, ut Schol. Lips. b. *qualis futurus erat*, et Schol. Lips. c. *i. talem, qualis erat futurus, cum Romam invasit: Marius futurus*, inquam, ut multa alia eiusmodi, Lucanum maxime prodit, atque male a Clercq. in *furentem*, quo vis totius loci perit, correctum est. Recte deinde *terribiles deos scelerum*, quibuscum Burmann. VII, 168 comparat, quo ex loco apparet, haec de Mario, sicuti de Caesare infra dicta, Lucano dignissima, corrigi minime debere. Fingit enim Lucanus, ut eiusmodi res exaggerat, maxime ubi animo commotiori in aliquem invehitur, fingit deos scelerum Marium secutos, semper eum observasse atque agitasse, sicuti alios huiusmodi homines, cf. VII, 768 sqq. neque verba menti poetae adversantur. Vide, quam male et quam audacter Bentl. et Clercq. h. l. versati, et quomodo Schol. Oudend. male intellectus sit, cuius verba explicat Schol. Lips. c. *i. infernales, qui vetabant ipsum interfici. Terribiles* sine dubio sunt dii *horrendi, horridi.* Recte *deos*, ut ex l. l. VII, 168 et Schol. Lips. b. apparet: *i. daemones, qui praesunt sceleribus*, neque de solis Furiis intelligi debet. De v. *scelerum* denique in eadem sede repetito infra videbimus.

II, 299 — 301.

Iuvat ignibus atris

Digitized by Google

Inseruisse manus, constructoque aggere busti
Ipsum atras tenuisse faces.

Spuria sunt Guieto et fortasse inde orta, quod interpolator comparationem de funere filii a patre ad tumulum producto continuandam putaverit. Sin accuratius rem consideramus, versus neutiquam abesse possunt, cum in his momentum comparationis versetur. Catoni enim non solum ad bella proficisci in animo est, sed ipsam inserere manum, et pugnae interesse, qua libertas patriae peritura erat. Neque singula verba, quae Guietum fortasse moverint, ut versus damnaret, locum suspectum reddunt. Offendere quidem possunt, uti Bentleium offendebant, vv. *iuvat — manus* propter v. *atras* repetitum, et quia *inserere manus ignibus* non satis apte dictum, praeterea rerum ordinem turbare videatur. Unde Marklandus quoque ad Stat. Silv. I, 4, 61 p. 59 coniecturam tentavit recte a Burmann. ad h. l. refutatam; neque meliorem nobis exhibuit Bentleius. Vides enim *omnibus actis*, ut de coniecturae audacia nihil dicam, admodum languida esse; cur enim *acta?* cuius loco vocabulum magis poeticum exspectatur; cur *omnibus?* nonne satis est produci funus et accendi bustum? At non opus est coniectura, modo illud *inserere manus* recte intelligamus. V. *atras* enim h. l. repetitum non offendit, cum in repetione aliqua vis insit, ut iam positio verborum indicat, et res ipsa docet. *Inserere manum alicui rei* autem est rem aliquam agere, tractare, curare, sicuti *inserere oculos* ap. Valer. Maxim. III, 5, 1, i. e. *intueri*; et *se inserere* pro *se immiscere, rem aliquam suscipere*, ut recte Bentlei. laudat VIII, 552, ubi Ptolemaeus dicitur manus impuras inseruisse i. bello civili interfuisse, et mortem Pompeii iussisse. Sic h. l. *manus inseruisse* nihil notat, nisi curam de comburendo corpore suscepisse. Quod poeta in universum dixit, ex more suo variat per sqq. et explicat *constructique* etc., ita ut ordo rerum minime turbatus sit. *Ipsum* denique cum emphasi h. l. dictum, et hanc ob rem ab initio versus positum, explicat Schol. Lips. c. ita: *ipsam matrem* (lege *ipsum patrem*); *consuetudo erat, ut patres ponerent primas faces, cum*

Digitized by Google

comburebantur filii, cf. VI, 534 et Taubm. ad Virg. Aen. VI, 223.

II, 384. 85.

Magnique Penates,
Submovisse hyemem tecto.

Deleri haec iubet Guietus, causa non addita; fortasse tamen orta putavit ex amplificatione librarii. Sed iam per se non apparet, cur, cum poeta epularum et vestium meminisset, domicilium non commemoraverit, illis plerumque coniunctum, cf. I, 163. X, 108 sqq. Deinde versus tam accurate ceteris respondet, ut non verisimile sit, ab alio formatum esse. Denique singula verba ex Lucaneo loquendi usu sunt; sic *magni Penates*, cf. V, 537 *angusti Penates*, et X, 483. *vastos Penates*, et ita saepius. *Magni* autem sine dubio recte habet, et respondet v. *epulae* et vv. *pretiosa vestis*.

Eodem modo Guietus verba III, 659. *Postquam inhibent* usque ad vers. 669. *gurgite truncos* ex eadem, ut videtur, ratione orta putat et damnat. Sed neque sensus, neque verba singula habent, cur Lucani esse non possint; quem constat in describendis eiusmodi rebus maxime sibi indulsisse, saepiusque modum excessisse. Quod *percussum iuvenem* attinet, vv. sequentia necessaria potius, quam aliena videntur; sed cum haec spuria fuissent Guieto, reliqua quoque pro spuriis haberi debebant. Singula autem bona, neque pro Guieti sententia faciunt. Recte enim *corpus* iuvenis supra vers. 654. *fixum* dici potest, cum carinae illud non ita obtrivissent, quin aliquid superesset. Unde enim *ora*, per quae saniem eiactat sanguis? *Auxilium* vers. 663. dr. de ea ope, quam accepturi erant a puppe socia, cf. IV, 645. V, 523, neque quid in h. v. offendere possit video. *Super* absolute dictum pro *desuper* apud poetas saepius legitur, cf. VI, 291 et Virg. Aen. IX, 158. Reliqua denique vv. sive singula sive coniuncta respicias, Lucano dignissima sunt.

IV, 43—47.

Vidit lapsura ruina

Digitized by Google

Agmina dux, equitemque iubet succedere bello,
Munitumque latus laevo praeducere gyro.
Sic pedes ex facili nulloque urgente receptus,
Irritus et victor, subducto Marte, pependit.

Vv. *munitumque — pependit* suspecta sunt Guieto, et ni fallor inde orta, quod interpolator praecedentia exponendo supplevisset. Sed sine his reliqua manca sunt, quum, quid succedente equite factum sit, requiratur. Deinde non est verisimile Lucanum, in eiusmodi rebus describendis diligentissimum, hoc praetermisisse, praesertim cum victoria a Pompeianis partibus stare visa sit. Quod sensum verborum attinet, commentarii instar est Caesar. B. C. I, 46 sqq., quo ex loco singula quoque in nostro recte constitui et explicari debent. Variant libri in vers. 45, ubi plurimi *producere;* plures iidemque optimi *praeducere;* alii *procedere*, *praecedere* habent. *Producere* ex usu loquendi militari est *educere in aciem*, cf. Caes. G. I, 48. III, 17, et h. l. dici posset; sed praecessit simile verbum *succedere bello;* tum vv. *munitum latus* et *laevo gyro* comparata cum vv. Caesar. Civ. I, 46 *Equitatus — ab utroque latere — summum in iugum virtute connititur, atque inter duas acies perequitans — receptum dat*, lectionem *praeducere* probant, quod, licet plerumque de rebus tantum dicatur pro *praetendere*, *praestruere*, *ante ducere*, cf. Caes. Gall. VII, 46. Tibull. IV, 1, 83, ubi Heyne, de fossa, muro, vallo, cf. Heins. Advers. I, 14, p. 149, h. l. optime habet, quia equites, quasi muri loco, munitum latus, i. e. scuta praetendunt, ut pedes habeat receptum. Schol. Lips. b. locum ita explicat: *Iussit equites girare in alteram partem, ut munitum latus, i. eos, qui latus illud muniebant, in illam partem producerent, et tunc alii descenderent; vel munitum latus* (ita scribe pro *latum*) *i. armatum iubet eos ostendere, ut credant a laeva ascensuros.* Schol. Lips. c. *Non vacabant defendere* (corrige *ascendere*), *quod Caesar videns iubet equites succedere bello, sed in altera parte montis, contra montem currere iussit, ut* (lege *ubi*) *laevam et scuta ad hostes tenebant.* man. alia: *in sinistra parte collis.* Quod vv. *irritus* et *victor* denique attinet, sine du-

Digitized by Google

bio de Afranianis intelligi neque corrigi debent, ut plura docent. Licet enim victoria huius certaminis incerta fuerit, Lucanus tamen pro partium studio Afranianos, non Caesarianos facit victores. Deinde verbum *subducto* verbo *receptus* respondet, praesertim cum de receptu Afranionorum nihil dictum sit, quod v. *subducere* flagitaret. Denique v. *pendere* saepissime de iis dr., qui in locis superioribus versantur, ut I, 435. VI, 472. VII, 369. Afranianos autem collem obtinuisse probant quodammodo vv. *nullo urgente receptus*, et Caesar Civ. I, 47 *illi* (Afraniani) *eum tumulum, pro quo pugnatum est, magnis operibus munierunt, praesidiumque ibi posuerunt.* Ita quoque Schol. Lips. b. *Irritus, Pompeianus miles; pependit, i. dubius fuit*, et al. man. *Pompeianus miles irritus pependit, postquam receptus est miles Caesaris.* Et Schol. Lips. c. *Pompeianus irritus, qui Caesarienses in gladios recipere exspectabat.* Itaque opposita sunt *pedes receptus* et *irritus victor pependit*, et omnia bene cohaerent; facile autem apparet, interpretationem v. *pependit*, i. *dubius fuit*, h. l. admitti non posse.

IV, 778. 779.

Ac, si quis metuens medium correpsit in agmen,
Vix impune suos inter convertitur enses.

Suspecti sunt versus Guieto, et fortasse inde nati, quod interpolator sententiam praecedentis versus amplificasset. Sed Lucanus, ut solet, prius dicta variando explicat, spissatas acies in his ostendens; eodem modo, quo infra per vv. *non arma* etc. densatum virorum globum exponit. Utraque membra sibi respondent, ita ut vel hanc ob rem versus, de quibus dici coeptum est, deleri non debeant. Neque Schol. Lips. a. in hac re aliquid probat, cum sententiam in universum tantum explicet, ut verba eius docent. Variae lectiones autem ita comparatae sunt, ut versum suspectum reddere non possint; neque, quid in singulis verbis Lucano non dignum sit, video. Male Cort. positionem vv. *metuens medium* mutavit, regulam illam, ni fallor, sequutus, secundum quam Lucanus adiectivum loco a substantivo remotiori ponit. Quod licet in plurimis locis verum sit, maxime ubi

Digitized by Google

duo adiectiva coniuncta sunt, minime tamen sensu adversante fit. Etenim hanc sibi legem meliores poetae Romanorum scripserunt, ut verborum ordo in versibus quoque is esset, quem sensus flagitaret, de qua re infra accuratius dicemus. Quae lex, etiamsi a Lucano, utpote a meliori poeseos ratione iam alieno, non ubique servata sit, tamen iis in locis, ubi MSS. ope melior et rectior verborum ordo restitui potest, a nobis respici debet. *Medium metuens* h. l. facile sed male coniungi possunt; itaque probandum est, quod plurimi et optimi libri habent, *metuens medium.*

V, 106—111.

Iustisque benignus
Saepe dedit sedem totas mutantibus urbes,
Ut Tyriis: dedit ille minas impellere belli,
Ut Salminiacum meminit mare: sustulit iras
Telluris sterilis monstrato fine: resolvit
Aëra tabificum.

Ab interpolatoribus haec addita esse contendit Guietus, et inde profecta, ut videtur, quod illi de Delphico Oraculo dicta amplificassent et auxissent. Sed vv. *iustisque benignus* cum prioribus *haud — concipiunt* ita cohaerent, ut illa probent, et exemplo sint; quod Schol. Lips. a. recte vidit, nexum his indicans: *Ideo non permittit, ut concipiantur ibi mala vota, quia canit immutabilia, et ideo iustis tantum est benignus, et hoc ostendit.* Exempla igitur affert Lucanus ex more suo, neque in singulis verbis, quid offendere possit, video, nisi forte transitus ex neutro *numen* — in masculinum *benignus* — *ille*, scil. Deus. Sed talia in poetis et scriptoribus saepius leguntur, orta ex sensus, non verborum, habita ratione; cf. Sanct. Minerv. IV, c. 10. Tom. II, p. 363 ed. Bauer. Simile, quod habes III, 429, *manus — moti. Totas* denique, quod nihil facit ad rem, sine dubio corrigi debet in *tutas mutantibus urbes,* quod plures habent. *Tutas* et *totas* saepissime in MSS. confunduntur, cf. infra VIII, 734; *tutas* h. l. *urbes patrias* notat, quod sententia requirit; *notas* autem, quod in aliis legitur, idem significat, sed h. l. non admodum placet.

Digitized by Google

Verba V, 164 *Quod non exhaustae* usque ad vers. 189. *tam magna latentem* Guieto spuria et fortasse ex eadem ratione addita videntur. Interpolator virginem bacchantem, numine in pectus suscepto, his verbis descriptam, et verba Lucani amplificata volebat. Sed locus ipse talis est, qui nostro dignissimus sit, in eiusmodi rebus exponendis et depingendis sibi maxime indulgente, et saepissime modum excedente, uti h. l. factum esse negari non potest. Deinde verba v. 205 *Cur aperire times* ad priora v. 177 — 189 respicere videntur, ita ut, cum hic omnem aetatem vati ante oculos positam fuisse dixisset, recte ex more suo in illa exeat, *Cur aperire times?* Denique si versum 208 et sqq., in quibus, quomodo furor et rabies vatis desierit, multis verbis declaratur, cum his comparamus: non est verisimile, Lucanum tum paucis verbis, ex sententia Guieti, furorem in pectora vatis intrantem indicasse; ut nihil dicam de verbis, quae omnia ex Lucani usu dicta sunt.

V, 281 — 283.

[*Liceat*] *Coniugis illabi lacrymis, unique paratum*
Scire rogum; liceat morbis finire senectam;
Sit praeter gladios aliquod sub Caesare fatum.

Versus Guieto interpolati sunt, et additi, ut videtur, ex sententia ab interpolatore amplificata. Sed Lucanus ita loqui solet, ut, quae per negationem dixisset, affirmative repetendo variet; quod recte Schol. Lips. b. monet: *Dixit quod non vult, nunc dicit quod vult.* Cohaerent itaque cum prioribus per appositionem, ut iam v. *non* docet. *Atque* autem post negationem pro *sed* positum a Guieto male pro particula copulativa habetur, quae versum 280 contra poetae mentem prioribus coniungat. Eodem modo v. 283 cum sequentibus bene cohaeret, ut Schol. Lips. a. ostendit: *Liceat nobis mori sub te aliter quam per gladios, quod non vis facere; sed potius trahis nos spe, quasi nos ignoremus, ad quae portenta paremur.* Denique poeta prius dicta paucis verbis comprehendere solet, ut

Digitized by Google

in vv. *liceat — senectam* h. l. factum videmus; ultimus autem versus iam propter sententiam Lucano abiudicari nequit. Quod singula attinet, *uni* opponitur pluribus, qui in bello coacervati cremantur, ut Schol. Lips. c. explicat: *Et liceat cuilibet per se habere suam sepulturam. Scire* in sqq. contra Heinsii coniecturam non satis recte defendit Burm., quum non ad Caesarem, sed in universum dictum significet, liceat nos pro certo habere, liceat nos certos esse, quod singuli a suis rogos accepturi sint. Etenim non ex Caesare sed ex suis hoc resciscere cupiunt, unde in universum potius accipi debet. *Fatum* denique notat *mortem naturalem*, cf. Gell. N. A. XIII, 1. ita ut *gladius* i. *mors inopinata* opposita sit *fato* i. *morti* secundum naturae leges; vide infra ad X, 515.

VI, 154.

Non ira saltem, iuvenes, pietate remota,
Stabitis.

Heinsius versum deletum vult; sed ratio non satis apparet, quae interpolatorem hic aliquid addere moverit, nisi forte amplificandi lubido, quae tamen h. l. non satis verisimilis videtur. Praeterea Heinsii sententia iam propter coniecturam, qua opus est, se non commendat, licet fortasse *stabitis*, absolute dictum, imperativi loco accipi possit. Denique nexus sententiarum versum defendit, quo deleto sqq. prioribus non satis apte cohaererent, ut Schol. Lips. a. ostendit: *Praeterea debet vos pudere, si nihil aliud esset, nisi solummodo, quod vos inter ceteros habent viles, cum vos elegerunt, per quos exirent; et ideo, concedatur haec pietas sacramenti, quae deberet vos commovere, saltem ira commoveat, et h. e. q. d. Non ira saltem etc.* Et Schol. Lips. c. *Nonne pudet vos licin'e* (lege *linquere*) *vitos* (lege *viros*) *et abscondere inter busta; saltem si pietas removeatur vobis, nonne remanebit ira, quia nos electi sumus a Pompeio, sicut simus peiores.* Certe multo melior est nexus, versu 155 servato. Denique singula optime ex usu Lucani dicta sunt, ut *ira*, quod Burm. probat, et *pietas*, quae propria militum est in colendo duce et servando iureiurando, cf. IV, 499. V, 297. Eodem

Digitized by Google

modo cur Guietus duo praecedentes versus damnarit non intelligo, quorum sensus et verba Lucano digna et optima sunt. Possunt quidem sine detrimento reliquorum abesse; sed haec causa ad damnandum aliquem versum non sufficit, praesertim si, ut h. l., ratio qua versus ortus sit non appareat.

VI, 374.

Accipit Asopos cursus, Phoenixque Melasque.

Versus ab interpolatore additus videtur Guieto; neque negari potest, locum esse, quo facile aliquid ab aliena manu additum esse possit. Sed si nomina fluminum hoc versu commemorata spectas, mirum ni Lucanus, qui in rebus geographicis doctrinam suam prae se ferre solet, fluviorum celeberrimorum meminisset. Neque, quid in singulis offendere possit, video; *accipere cursus* optime dictum est pro *currere*, *cursum*, *initium currendi capere*, ut *mortem accipere* IX, 818 et similia.

VI, 696.

Et Chaos innumeros avidum confundere mundos.

Suspectus Guieto versus ab interpolatore, invocationem amplificante, facile poterat inferri. Sed cum Lucanus saepius Chaos commemoret, cf. IX, 101 et supra V, 617 in eadem re, neque absonum sit ab invocatione infernorum deorum, ut ap. Senec. Med. 9. 740. Virgil. Aen. VI, 265, causa non adest, cur locus debeat deleri. *Innumeros* autem *mundos* dicit ex Democriti aliorumque sententia, cuius erant innumerabiles mundi, cf. Cic. Acad. II, 17, 40. Neque mirum, quod Lucanus, Stoam professus, hanc sententiam secutus sit, qui plura eiusmodi habet. Vel *mundos* pro *saecula* positum est, ut Schol. Lips. a: *mundos vocat hic saecula*; quocum conferri potest V, 89. et Schol. Lips. c. *mundos i. partes mundi*, et alia manu: *Epicurei dicebant esse quatuor mundos, coelum, aethier, aër, terra.* Sed prior ratio propter v. *confundere* et sq. v. *saecula* magis arridet.

VIII, 519.

Digitized by Google

Quantus apud Tanaim toto conspectus in ortu.

Guietus versum suspectum fortasse inde ortum putavit, quod interpolator praecedentia verba amplificasset. Quod h. l. tamen factum esse verba ipsa negant. Solet enim Lucanus sententiam generalem, quam proposuit, per singula variare et exponere; sic h. l. quae v. 317 dixerat *semper venerabilia illa Orbis parte fui*; sic infra 365 sqq. et sexcenties. Tum anaphora v. *quantus* in Lucano frequentissima est. Denique in Cdd. quidem variae sunt scripturae, sed tales, quibus suspicio interpolationis oriri non debeat. *Toto* et *tanto* enim saepe commutantur in MSS. cf. Burm. ad II, 500. VIII, 489; *orbe* ortum est ex v. *orbis* in praecedenti versu, cf. Oudend. ad I, 153. II, 17. III, 549; et de formis *Tanaim* et *Tanain* infra dicemus.

VIII, 477—79.

Hunc genuit custos Nili crescentis in arva,
Memphis vana sacris; illo cultore deorum
Lustra suae Phoebes non unus vixerat Apis.

Suspecta sunt Guieto et fortasse hinc orta quod aliquis verba priora amplificasset. Sed solet Lucanus sententiae alicui aliam ita interponere, ut in parenthesi posita plerumque praecedentia definiat et explicet, cf. II, 375, praesertim ubi viri alicuius primam mentionem facit, ut VI, 144. Priora enim verba Achorea natum in Memphi, sicuti sqq. sacerdotem fuisse notant. Quod singula attinet, recte iam ab Editoribus explicata sunt, ut *custos Nili* ab Oudend., *lustra suae Phoebes* a Burm., quae Schol. Lips. c. per *sacra Isidis* exponit. Sed *vixerat* sine dubio scribendum est, quod plurimi habent, cum *duxerat* potius glossa sit v. *vixerat*, et *lustra vivere* dictum sit, ut *annos vivere*; unde glossa in Lips. a. *contigerat*. cf. Ovid. Fast. II, 183. Ibis 1. Totum locum explicat Schol. Lips. a. ita: *Hunc Achoreum genuit Memphis, quae etiam colit quoslibet deos; Memphis, dico, custos Nili, et per hoc commendat civitatem illam in regione* * * * (f. *inferiori*), *quia Nilus incipit exire ibi. Et ipse ne satis religiosus fuit: et hoc dicit, illo cultore deorum non unus Apis vixe-*

Digitized by Google

rat (ita scribe pro *vixarat*) *lustra. Tangit illud breviter: Osiris fuit interfectus et per frustra* (lege *frusta*) *discerptus a fratre suo ab Sirpto* (*Absyrto?*), *quem Isis uxor sua collegit, et instituit illi sacrificium; et hoc fecit post quintum annum; et hoc notat per hoc, quod dicit lustra. Alii dicunt in singulis mensibus, nam luna singulis mensibus lustrat totum zodiacum; alii singulis annis. Et in illud sacrificium mittebatur Apis de ipso Nilo, taurum,* (lege *taurus*) *quem vocabant* (ita pro *vocabat*) *Apim; qui in dextro armo habebat imaginem novae lunae, et ideo dicit suae Phoebes. Et si quando ibi erat malus sacerdos, imponebant* (lege *imponebat*) *aliquod tempus, quod non contigit isto ante sacerdote; et hoc notat ubi dicit, non unus Apis, sed potius singulis sacrificiis apparebit* (lege *apparebat*), *et tamen in singulis immolabatur, quod non debet mirum videri, quum beatus Augustinus dicat idem.* Et Schol. Lips. c. *Apis dicebatur taurus, qui, postquam* xxx *vixerat annos, Dianae immolabatur, et dicit hunc Achoreum plures Dianae immolasse;* cf. de hoc loco Iablonsky Panth. IV, 2, §. 10.

IX, 958—60.

Quamvis Byzantion arto
Pontus et ostriferam dirimat Chalcedona cursu,
Euxinumque ferens parvo ruat ore Propontis.

Versus 960 Guieto suspectus et additus salvo sensu abesse potest. Sed si singula verba spectas, nihil inest, quod indignum Lucano interpolatorem nobis notet. Optime enim dr. *ferens* de Propontide, quae more fluviorum, aquas Euxini (cf. III, 277) ad mare Aegaeum perfert, cf. I, 434. III, 235, ubi Cort. male *feriens*, et *perferre* X, 254. *Furens* h. l. propter v. *Euxinum* ferri non potest; *ruere* autem optime de rapidis undis dr. ut II, 216. *Parvo* est i. q. *arto*, quod glossa Lips. a. et b. habet. Schol. Lips. b. ad hunc locum: *Propontis est sylva* (lege *sinus*) *Euxinum suscipiens.* Lips. c. *Propontis est sinus ante Portum* (lege *Pontum*), *qui admodum parvus nautas fert ad exinum* (lege *Euxinum*) *i. insulam quandam inhospitabilem.*

Digitized by Google

Haec habui, quae de origine spuriorum versuum in Lucano disputarem; ex quibus rectius interpolationis indicia, de quibus nunc dicturus sum, comparare et ponderare possis.

DE SPURIORUM VERSUUM INDICIIS.

Quemadmodum hortulanus certa quaedam indicia secutus alias herbas evellit, alias integras relinquit: ita in tractandis quoque auctoribus indicia certa interpolationis nobis adsint, necesse est, si vera assequi, neque in errorem induci velimus. Quae inveniri posse nemo negabit, qui rerum habitum percipere, et alia ab aliis distinguere didicerit; sed cum cuiuscunque rei duplex sit habitus, vel externus vel internus, is in versibus spuriis quoque sit, necesse est. Quare duplex indiciorum genus statuendum erit, et externorum et internorum; quorum illud, quum maxime in aperto, ac, si naturam rei spectas, altero prius sit, primo loco a me tractabitur.

Digitized by Google

PARS PRIOR.

DE EXTERNIS SPURIORUM VERSUUM INDICIIS.

Externa spuriorum versuum indicia ea sunt, quae, ex Mss. petita, in libris Mss. rationem suam habent, ita ut non solum videamus, an versus aliquis in Codd. legatur nec ne, sed etiam quomodo legatur. Pertinent autem huc omnia, quae in iusta librorum collatione continentur; ut disquiramus, in quibusnam Mss. versus aliquis legatur; quonam in loco; an in margine; quonam in ordine; quomodo singula verba se habeant; an versus a Scholiastis notentur et quomodo notentur. Quae omnia in ponderandis eiusmodi versibus maximum habent momentum. At quum facillimus sit error in hac re, (constat enim in Mss. saepius genuina loca omitti, vario modo legi et notari) cavere debemus, ne nimium his rebus tribuamus, quod facile fieret, si quem versum, solis his indiciis usi, pro spurio habere atque damnare vellemus. Quare externa indicia ita considerata et pensitata volo, ut suspicionem interpolationis in versu aliquo movere possint; per se tamen minime iustas causas, cur versus eiiciatur, constituant; interdum autem tantum valeant, ut alia, interna indicia probent et confirment. Iuvat itaque ad hanc rem demonstrandam singula indicia enumerare et ponderare.

CAPUT I.

DE TESTIMONIIS VETERUM, QUIBUS SPURII VERSUS NOTANTUR.

Quod externa interpolationis indicia attinet, primum sine dubio locum *testimonia veterum* obtinent.

Digitized by Google

Qua in re duo maxime spectanda sunt, primum, ut videamus, quis sit, qui interpolationem indicet, deinde, qua ratione factum sit. Apparet enim, non omnibus eandem in hac re auctoritatem tribui debere, neque eodem modo versus spurios notari.

Quod prius attinet, Scholiastae et Glossatores plerumque sub censum veniunt, qui spurios versus interdum indicant, ut Lucani Scholiastae. Quantum autem ex Oudendorpii Scholiasta, cuius singula scholia in Cod. Lips. d. quoque leguntur, et ex meis, quos summo cum taedio et labore e tribus Codd. descriptos habeo, maxime ex uno, qui in margine Cod. Lips. a. scriptus est, colligere licet, scholia pleraque recentioris sunt aevi, fortasse saeculi X et XI, cf. Oudend. ad I, 1, ex glossis notisque tamen veterum grammaticorum orta et profecta. Lucanus enim non multum post sua tempora interpretes nactus videtur, quorum glossas et scholia alii in Codices suos transscripserunt, alii adauxerunt. Ex his Scholiastae Oudendorpii et meus, qui in Cd. Lips. a, Berolinensi et Bernensi uno legitur, congesti sunt. Quare, ut de Scholiastis Lucani rectum fiat iudicium, ex magna et vasta scholiorum congerie verba veterum interpretum ab aliis discernantur, recentiorumque additamenta indicentur necesse est. Quod quomodo fieri possit, alio loco dicam; nunc tantum de fide illorum. Veteres glossatores, si quem versum spuritum notant, fidem mereri videntur; etenim cur talia lectoribus imponerent, omnino non habebant causam. Deinde aetate erant Lucano propiores; poeta ipse autem tunc non admodum interpolatus neque ab aliorum liberalitate ditatus fuit, ita ut facile paucorum MSS. ope restitui potuerit in integrum. Quare non apparet causa, cur fides his denegari debeat, praesertim quum ea, quae notent, et ratio, qua factum sit, verba eorum aperte probent. Recentiores autem glossatores et scholiastae, ut par est, minorem fidem in hac re merentur, qui vel tantum confirmant, quae veteres indicassent; vel veteribus repugnant, ubi auctoritati eorum parum aut nihil tribui debet; vel denique novi aliquid proferunt, quod in veterum scholiis non legitur. Quod ultimum attinet, videndum est, quid

Digitized by Google

sit quod notent, et qua ratione factum sit. Quo crebrius enim Lucanus legebatur, et in Mss. divulgabatur, eo magis corrumpi atque interpolari coepit. Scholiastarum alius omnia in medio reliquit, alius loca suspecta, vel quia in Ms. uno alterove non fuissent, vel quia ipsi displicebant, notavit. Neque tamen vel sic auctoritati eorum tantum tribui debet, quantum veteribus; certe Mss. opponi non possunt; et, si qua vera habent, aliis, ut probentur, opus est argumentis.

Alterum, quod in hac re videndum, est ratio, qua spurius aliquis versus notetur, vel a veteribus vel a recentioribus Scholiastis. In eo enim multum inest, quod iudicium nostrum inducere possit. Vario autem modo spurii versus indicantur, vel apertis verbis, ita ut simul, unde et a quonam spurii versus profecti et illati sint, appareat. Qua in re simplicissima, nisi verba ipsa suspecta sunt, non amplius haerendum est. Deinde non apertis verbis, sed tali ratione, quae suspicionem nostram movet, v. c. si verbo *abundat*, *vacat* notantur. Ubi dispiciendum, quid illa verba sibi velint, utrum significent, versum omnino non esse Lucani, an ab uno alterove Ms. tantum abesse. Aut si qui versus lineola obductus est, quod factum videmus, vel in spurio versu, vel in sententia notatu digna, vel denique ex incuria librariorum. Cuius rei plura et insignia exempla in Lucano leguntur. Quod priorem rationem attinet, ubi spuria verba aperte indicantur, duo reperi, alterum statim ab initio libri primi, alterum ad vers. 436—440 eiusdem libri.

Tradunt septem priores libri primi versus non a Lucano, sed a Seneca quodam additos esse, quod testatur Isaac. Voss. ad Catull. p. 284 his verbis: *In pluribus Lucani codd. dicitur is ex abrupto exorsus suum poëma, addito hoc scholio: hos versus primos septem Seneca dicitur addidisse, ut quidam volunt, avunculus Lucani.* Haec Vossius, quae a glossis multorum Mss. Oudend. et Codicis Colbertini veterrimi confirmantur, in quo legitur ad v. 8: *Huc usque Seneca, modo Lucanus.* Nullus interpretum de hac re disputandum sibi putavit, exceptis Clercquio

et Bentleio, quorum prior fabulam vulgo iactatam, ita enim loquitur, pluribus argumentis refellit, alter versus a Seneca additos esse posse concedit. Iuvat accuratius conferre et considerare, quae de his rebus disputari possint.

Servius ad Virgil. Georg. I, 489 et Isidor. Orig. 18, 3 et 7 (ubi *paresque* legitur) laudant vers. 7 *pares aquilas et pila minantia pilis*; qui, si quid de Seneca horum versuum interpolatore audissent, vel persuasum haberent, rem vel uno verbo indicassent. Quod neque locis laudatis, neque a Servio ad Aeneidos initium factum est, ubi Virgilius simile quid ab eodem Seneca, Vossio ad Catull. l. l. teste, passus dicitur; licet monere possis, Servium de Aeneidos initio aliam habuisse sententiam, et loca ubi versus Lucani laudantur talia esse, in quibus de hac re aliquid bene dici non possit. Ex quibus tamen apparet, Senecam, qui horum versuum interpolator dicitur, non eundem esse posse, quem Huschke in Praefatione ad Tibullum Senecam Camertem facit. Deinde omnes epici poetae rem, quam tractaturi sunt, proponere solent, non solum qui ante Lucanum floruerunt, sed etiam qui eum secuti sunt, Valerius Flaccus, Silius Italicus, Statius tuus, magnus eius admirator et imitator, et Claudianus. Finis quidem Pharsaliae, argumentum et tractatio eius multum ab aliis huiusmodi carminibus differunt, sed Lucanum ab hoc Epicorum more recessisse non est verisimile. Immo si recessisset et a verbis *quis furor* poema incepisset, mancum et imperfectum foret initium minimeque rei aptum. Requiritur enim, ut poeta epicus primo rem proponat, quam narraturus sit, quod in sqq. Lucani verbis, quae querelas et indignationem continent, non est factum. Deinde, ut prooemium rei et epicae rationi aptum atque accommodatum sit; quod non foret, si interrogando *Quis furor?* inciperet. Etenim quum natura epici carminis ea sit, ut res narrentur, neque id quod poeta sentiat, sed res et facta spectentur: apertum est prooemium ante omnia eiusmodi esse debere, quod sine animi motu et turbatione procedat, simpliciter proponens, quid sit, quod poetam ad narrandum com-

Digitized by Google

moverit. Sin Lucanus aliis in rebus ab epicae poeseos legibus recessit, rationem suam habuit, quae in prooemio nulla est; licet enim sit ardens et concitatus poeta, male se talem in prooemio exhiberet. Porro vs. 8 cum praecedenti arcte cohaeret, sicuti sensus verborum, et v. *tanta* docet, ita ut uterque simul prodierit, necesse sit. Nexus autem utriusque versus hic est: Proponit poeta, se bella plus quam civilia narraturum esse, quod ex more suo variat dicens bella ubi populus in sua viscera conversus, ubi cognatae acies et certamen in commune nefas. Quibus dictis, ut solet, concitatus et commotus, in querelas et indignationem exit: *Quis furor* etc., ita ut vers. octavus suam causam in praecedentibus habeat, et vi *tanta* non nisi proposita ista re dici possit. Deinde prooemium proponit, quae poeta narraturus erat, *bella civilia*, non solum bellum inter Pompeium et Caesarem, non solam Pharsaliam, sed bella per *Emathios campos*, certe pugnam Bruti ad Philippos, unde eius fit saepius mentio, cf. I, 694. VII, 591. Quae res cum aliis Pharsaliae locis comparata, ubi plura, quae poeta tractaturus erat, innuuntur, probare videtur prooemium prius elaboratum esse, quam Pharsalia scribi coepta sit. Nam si post Lucani obitum alius sine dubio non tale exordium, quale nunc habemus, sed aliud, in quo Pharsaliae nunc superstitis argumentum propositum foret, exhibuisset.

Denique recte monet Clerquius, exordium ingenio Lucani bene convenire, stilumque auctoris manifeste prodere. Sive enim sensum verborum sive ipsa verba eorumque structuram spectes, nihil est, quod Lucano indignum sit. Variat autem ex more suo poeta, atque unam eandemque sententiam pluribus exponit in vers. 6 et 7; coniungit per polysyndeton, ut in v. 2. 4. 6. 7; captat acumen, ut in v. 1 *plus quam civilia; ius datum sceleri; in sua viscera conversum*; alia singula saepius leguntur, ut *scelus, foedus regni, nefas*; eodem modo *certatum* pro *certamen*, cf. I, 70; coniuncti diversi casus, ut *signa signis, pila pilis*.

Nihilominus mirum videri debet, unde illa de Seneca fabula nata sit, et cur Scholiastae eam nobis

tradiderint. Apparet enim in hac re non posse non veri quid latere, quod nobis fortasse facile inventu foret, si quid de Seneca illo eiusque aetate constaret. Sed Scholiastae ipsi nihil certi praebent; quorum unus in verbis *Seneca dicitur addidisse, ut quidam volunt, avunculus Lucani*, ostendit, se de re ipsa dubitasse. Patruum Lucani autem hos versus addidisse, multo minus verisimile est, cum Seneca prius vita excessisset, ut ex Tacito constat; neque ratio adsit, cur Lucanus haec a patruo mutuatus esset. De alio autem Seneca, Lucani cognato, qui post poetae obitum vixerit versusque addere potuerit, nihil constat. Immo, ut dicam quod sentio, fuit aliquis Seneca, qui fortasse non multum post Lucani tempora operam in restituendis atque supplendis veterum scriptis, maxime in poetis posuit; quae depravata essent, corrigebat; deperdita restaurabat, et quocunque modo veterum scripta restituebat, ita ut, si opus esset, singulos interdum versus de suo interponeret. Hinc factum est, ut saepius eius in Mss. fiat mentio, cf. Heyn. ad Tibull. Praef. p. XXVIII. Huschke in Praefat. ad Tibull. p. XIV sqq. et Wernsdorf. Poett. Latt. Minn. T. V, P. III, p. 1466. Idem fortasse Seneca argumenta vel singulorum librorum, vel totius Pharsaliae scripsit, quae vel singulis libris vel initio Pharsaliae praefixa nobis adhuc supersunt. Glossator aliquis ad finem argumenti ab initio Pharsaliae positi scripserat: *Huc usque Seneca, modo Lucanus*, ut in pluribus Codd., sed ad vers. septimum legitur. Alius autem, argumento omisso, verba fortasse illa servaverat, quae alius denique, cum non intellexisset, quid sibi ab initio operis vellent, ad vers. septimum adscripsit. Ita, quemadmodum saepissime in Mss. factum videmus, verba non modo locum suum mutarunt, sed etiam adaucta sunt; unde illa in Mss. *hos versus primos septem Seneca dicitur addidisse, ut quidam volunt, avunculus Lucani*, quia nomen Senecae nonnullos movisset, ut hunc pro Lucani patruo haberent. Possis quoque suspicari, Senecae alicuius scripta cum Lucani Pharsalia in uno eodemque Codice coniuncta fuisse, verbaque illa ex isto in alium Codicem transiisse, qui solam Pharsaliam exhiberet. Sed quocunque modo nota illa orta sit: de his se-

Digitized by Google

ptem versibus, Lucani ingenio dignissimis et Pharsaliae aptissimis, nulla esse debet dubitatio.

Alterum exemplum, ubi versus spurii eorumque auctor aperte indicantur, legitur I, 436—440.

Pictones immunes subigunt sua rura; neo ultra
Instabiles Turonas circumsita castra coercent.
In nebulis, Meduana, tuis marcere perosus
Andus iam placida Ligeris recreatur ab unda,
Inclyta Caesareis Genabos dissolvitur alis.

Versus Mss. omnes, excepto Thuan. primo, cuius in margine, et Hulsio, in quo post v. 443 leguntur, damnant. Traditur autem (cf. Guieti ad h. l. notam et Menag. ad Laërt. p. 27.) Marbodus, Episcopus Rhedonensis, eorum auctor fuisse. Qui si vere Andinus fuit, ut alii volunt, aperte hos versus in honorem patriae addidit, cum a Lucano nullam Galliae Lugdunensis mentionem factam esse animadvertisset; quod verisimilius fit, si vers. 438 et 439 consideramus, qui descriptionem *Andi* continent, h. l. minime aptam. Sed sunt alia quoque, quae interpolationem horum versuum pro certo evincunt, ut editores partim iam monuerunt. Etenim offendit ordo populorum, praesertim quum, Aquitania iam v. 422 commemorata, non satis appareat, cur rursus eius meminerit, nisi forte Pictonibus alias sedes tribuere velis; deinde nunquam fit *Meduanae* fluvii mentio apud veteres, sed ex solo hoc loco et ex alio Theodulfi Aurelianensis constat in Gallia Lugdunensi fuisse. Forma autem *Andus*, excepto loco Caes. Gall. VII, 4, ubi nonnulli accusativum *Andos* habent, nusquam legitur; semper enim *Andes*, cf. Caes. Gall. II, 35. III, 7. et ita in superiori quoque loco legi debet. Denique singula ne satis quidem latina sunt, certe non ex usu Lucaneo. Displicet *immunes* non admodum poeticum; eodem modo *instabiles; circumsita* neque in Lucano legitur, neque omnino est vox proba; ita quoque *dissolvitur*, quod, ex vers. 402 male haustum, ibi locum suum habet; sed *dissolvi alis* dici non memini.

Digitized by Google

Alia est ratio, uti supra monuimus, si versus verbo vel signo aliquo in Mss. notantur, cuiusmodi exempla plura in Lucano leguntur. Sic lib. VI, 186 — 188.

Iamque hebes et crasso non asper sanguine mucro
Percussum Scaevae frangit, non vulnerat hostem:
Perdidit ensis opus, frangit sine vulnere membra.

ubi teste Grotio in Ms. Put. annotatum est versum 187 *abundare*. Quod verbum, indicans versum salvo sensu abesse posse, in medio tamen relinquit, utrum spurius sit, an ex penu ipsius poetae profectus. Suspicionem motam auget Msstorum inconstantia, quorum nonnulli v. 187 omittunt, ut 2 Thuan.; alii v. 188 in margine habent, ut Voss. 2.; alius ap. Cortium ordinem variat; alii alio modo. Ms. Germ. et Voss. 4 utrumque versum in unum coniungunt, quorum ille: *percussum Scaevae frangit sine vulnere membra*; hic in margine cum praeced. versu *Perdidit ensis opus, frangit non vulnerat hostem* habet, quod ex lapsu librarii, in verbo *frangit* repetito errantis, explicari possit. Sed alii quoque Voss. 5 et Lips. a utrumque versum in margine habent, ille a recentiori manu, hic sine nota. Accedunt Scholiastae, quorum unus apud Oudend. priorem tantum versum explicat, vel ut mei, qui nihil de utroque versu monent. Magis tamen sensus utriusque versus et verba commovere debent: sensus, qui plane idem est *frangit, non vulnerat hostem*, et *frangit sine vulnere membra*, ita ut alter versus alterius explicatio videri possit; deinde offendunt vv. repetita *frangit; vulnerat* et *vulnere* vs. 187 et 188; v. *hostem* vs. 185. 187; displicet repetita negatio v. 186 *non asper* et v. 187 *non vulnerat*. Quae verborum repetitio, etsi in Lucano, ut alio loco videbimus, saepius redit, h. l. tamen, ubi plura eademque repetuntur, nullo modo excusari potest. Quare restat, ut alterutrum horum versuum deleamus. Possis suspicari, utrumque esse Lucani atque ortum, ut posterior versus, loco prioris substitutus, alterius sit recensionis, a poeta ipso institutae, quod Grotius, Guietus, Burmannus et Bentleius arbitrantur; vel ut uterque scriptus sit, *ut poeta*

Digitized by Google

deinceps accuratius perpenderet, uter magis placeret, quod Oudend. ad h. l. contendit. De tertio enim, ut sit ἀναπφαλαίωσις, quae tam putide eadem verba sine causa repetat, cogitari non debet. Quod ad alteram Lucani recensionem attinet, de qua Grotius pluribus locis monet, ad h. l. ad v. 20, 556, VII, 746, et Bentlei. ad VI, 556, ea neque testimoniis veterum nititur, neque re ipsa probatur. Locus enim, qui hanc in rem laudatur, vitae Lucani, vulgo Suetonio tributae: *Impetrato autem mortis libero arbitrio, codicillos ad patrem corrigendis* (ita enim ex Cod. Bouher. scribendum) *quibusdam versibus suis exaravit*, nihil ostendit, nisi quod poeta versus quosdam, non totum opus a patre correctum voluerit. Cui loco alius vitae Lucani e commentario antiquissimo coniungi possit, *reliqui enim VII belli civilis libri locum calumniantibus, tanquam mendosi, non darent, qui tametsi sub vero* [male h. l. Barth. in Advers. XXIII, c. 5 p. 1122 *sub vano* vel *sub irrito* tentavit contra mentem auctoris, ut particula *tametsi* et sensus loci docet] *crimine non egent patrocinio; de iisdem dici, quod in Ovidii libris praescribitur, potest: Emendaturus, si licuisset, erat.* Quo ex loco coniiciunt, tres priores libros a Lucano denuo limatos fuisse, et comparant locum Sidon. Epp. II, 10 p. 54 Sirm. *reminiscere, quod saepe versum Corinna cum suo Nasone complevit, Lesbia cum Catullo, Cesennia cum Getulico, Argentaria cum Lucano*, unde alii, Pompon. Infortunatus, Petr. Crinitus, et Oudend. in Praef. p. 2 Argentariam uxorem tres priores libros correxisse male et sine causa contendunt. Loca laudata si accuratius perpendimus, de duplici recensione nihil continent, neque Pharsalia ipsa hoc probat; etenim tria vel quatuor loca, de quibus postea videbimus, ad hanc rem demonstrandam non sufficiunt. Ubinam autem versus, qui aperte hoc doceant? ubi variae lectiones, excepto uno alterove loco, in quibus corrigentis et emendantis auctoris manum cognoscere possis? Ut taceam de eo, quod Lucanus, qui Pharsaliam perficere non potuit, secundam eius recensionem non facile instituerit, et quod multa loca sine dubio emendaturus fuisset, cum quod ad rem parum probabilia et apta sint, vel propter verba displiceant.

Digitized by Google

v. e. ubi idem verbum saepius repetitur, et eiusmodi alia. Quare quum de altera recensione res non sit verisimilis, restat ut, repudiata Grotii aliorumque sententia, verba *codicillos—exaravit* de poeta intelligamus, qui fortasse odio incensus extremum vitae spatium adhibuerit, ut quae de Nerone maxime ab initio Pharsaliae dixisset, a patre delerentur et mutarentur; verba autem de reliquis septem libris ita accipiamus, ut Lucanum in elaborandis et perpoliendis tribus prioribus libris maius et accuratius studium, quam in reliquis septem, iniquo fato intercedente, posuisse indicent; sed ne sic quidem alteram recensionem curasse, ut res aperte docet. Neque magis placent, quae Oudend. ad h. l., ad vs. 556. X, 123 et accuratius ad IV, 760 disputat, de versibus pluribus a poeta ita elaboratis, ut iterata tractatione meliorem electurus fuisset. Nam loca ab Oudend. laudata poetam potius foecundum et exundantem ostendunt, minime talem, qui versus eo fine fecerit, ut hic vel ille postea deleretur; quod per se iam non admodum verisimile videtur. Sed etiamsi vera essent, quae disputat Oudend., h. l. tamen neutiquam quadrarent, ubi verba aperte docent, alterutrum horum versuum alienae esse manus. Uter eorum spurius sit, et qua ratione irrepserit, nunc videamus. Versus 188 haustus videtur ex alio poeta comparandi causa; versus 187 autem ortus ex glossa in numeros redacta. Comparandi causa versum 188 additum esse non est verisimile, licet versus generalem quandam sententiam contineat, ubi v. *ensis* nominativo casu intelligi deberet. Verum cur eiusmodi sententia comparata sit, non satis apparet; praeterea Scholiastae aliquid, ut arbitror, de hac re monuissent. Quare priorem potius versum ex interpretatione versus seq. natum censeo, quod Heins. quoque in Advers. I, 14 p. 146 innuisse videtur. Iam supra monui offensioni esse in vs. 187. repetitionem v. *hostem* ex vs. 185, et negationis *non asper*, *non vulnerat*; accedunt alia, quae interpretationem arguunt, ut v. *percussum*, quod v. *frangit*, nec non vv. *non vulnerat*, quae vv. *sine vulnere* explicant; tum displicet h. l. *Scaevae hostis*; postremo arctius cohaerere videntur vv. *mucro perdidit ensis opus*, quam *mucro percussum hostem*

Digitized by Google

frangit. Versum 188 certe ex interpretatione non ortum esse, quod Barth. Advers. 16, 17 p. 840 vult, probant vv. *perdidit ensis opus*, et *frangit membra sine vulnere*, quae doctiora sunt, quam ut a glossatore profecta esse possint. Quam facile tamen ex verbis interpretis alicuius *percussit Scaeva, non vulnerat hostem*, vel *percussum Scaeva frangit, non vulnerat hostem* versus 187 mutato *Scaeva* in *Scaevae* ortus esse possit, apertum est. Quod variae lectiones quoque quodammodo probare videntur, *quatit* in Voss. et *premit* in Hamb. a manu sec. pro *frangit.* Quam ob rem neque Cortii ratio placet, audacter coniungentis *perd.* — *frangit non vuln. hostem*, ut in Voss. 4 legitur, neque Oudendorpii, qui vss. 186 — 188 deletos vult, fortasse auctoritate Voss. 4 permotus. Negari quidem non potest, offendere coniuncta vv. *hebes* et *non asper*, quum idem significent; sed Lucanus vel maxime synonyma coniungere solet, cf. Burm. ad I, 101. IX, 349, quibus adde I, 247 *tacito mutos volvunt sub pectore questus*; 260 *tacet sine murmure pontus*; II, 365 *lugubria moesti cultus*; IV, 11. *colle tumet modico leniquе excrevit* - - *tumulo*; VI, 517 *gravatus* - - *onerata.* Simile aliquid habes V, 250 *non ex stabili, sed tremulo culmine.*

Aliud exemplum observatae a Scholiastis interpolationis in eodem libro vs. 554. 555 legitur:

Nec cessant a caede manus, si sanguine vivo
Est opus, erumpat iugulo qui primus aperto.

ubi Cortio teste in vetustissimis membranis adnotatum erat, spurios esse. Utinam v. d. nobis indicasset, qua ratione adnotatum fuerit, praesertim quum ipse, hac re commotus, ut videtur, versus damnet, et sane adsit, cur suspicio interpolationis moveri possit. Sententia enim eadem redit vs. 556, eadem vel similia vv. repetuntur *nec cessant* — *nec refugit*; *a caede* — *caedes*; *si sanguine vivo* — *vivum si cruorem*; *est opus* — *poscunt*; accedit auctoritas Cd. Puteanei veterrimi, in quo vss. 556 et 557 desunt. Sed ratio, cur ab alio additi sint, non apparet; deinde omnes Mss. hos et praecedentes versus habent, ita ut

potius ex librarii lapsu, in v. *Nec* ab initio versus errantis, omissi videantur. Grotius hoc quoque loco, assentiente Bentleio, secundas curas agnovit, et Oudend. sententiam suam, de qua supra diximus, hoc exemplo confirmatam esse vult; sed contra mentem poetae, qui, si recte a me intellectus est, amplificata hac sententia et repetitis iisdem verbis crudelitatem Erichthus descripsit. Illa enim saeva et immanis Thessalis, inquit, non solum corpora mortuorum dilaniat; sed ipsos vivos aggreditur, eorumque sanguine utitur. Variat igitur ex suo more, et quae vs. 554 et 555 generaliter dixerat, *si opus est sanguine vivo, utitur*, ea nunc vs. 556 per singula de sacris foedis et feralibus illius repetit. Similia saepius in Lucano leguntur; etenim quae Burm. versus defendens de domesticis et publicis miseriis habet, neutiquam in vv. insunt. Denique quod maxime offensioni est, iteratum v. *vivum* vs. 554 et 556 removeri potest receptio, quod pro varia lectione in Lips. c. et in textu Reg. sec., Voss. sexti et 4 Cdd. Burm. legitur, *fusum* pro *vivum* vs. 556; cuius loco alius *effusum*, Hulsii Cd. *iuvenem* fortasse ex glossa habet; nisi quis *vivum* mecum defendere velit, repetitum ob sententiam ipsam. Quod de v. *caedes* quoque valet. *Funereas mensas* autem bene explicat Oudend., quas poeta v. 432 *tristes sacris feralibus aras* et vs. 525 *funereas flammas* dixit.

His addam duo alia exempla, praeter illud supra a me indicatum II, 294, ubi Scholiastes v. *vacare* utitur, quod duplicem sensum habere posse supra ostendi. Alterum legitur VII, 200 *Solis in obscuro pugnam pallore notavit.* Cortii Scholiastes *vacare hanc lineam* iudicat; sed meus in Cod. Lips. a ita explicat: *Seu et aliquem deum vidit stare in aethere, sive et in pallore solis hoc notavit.* Versus suspectus est; repetitur enim v. *notavit* ex vs. 197 et vs. 203 in eadem sede. Suspicionem augent tres Mss., qui versum omittunt, unus Oiselianus et duo Cortii, si diversi sunt ab Oisel.; denique non apparet, quomodo vv. bene coniungenda sint. In Burmanni ratione, v. *Solis* cum vv. *lumen maestum* nectentis, displicet *lumen solis in aethere*; cur enim *in aethe-*

re? an in terra quoque? Unde Wakef. ad Lucret. IV, 106 sed nimis audacter *aequore* pro *aethere*, *lumen* pro *numen* et *inobscuro* uno verbo pro *in obscuro* tentavit. Recte sine dubio Oudend. restituto v. *numen* ex optimis et plurimis Mss. locum explicat; *notavit* enim alio sensu minus offendit, verbaque apte cohaerent. Comparari cum his possunt I, 234. 35. III, 36. VII, 1—5; et *moestum numen* cum I, 186 *imago Clara per obscuram vultu moestissima notem.* Excidit versus, ut multi, quia sensus sine eo constitit, librarius autem errorem suum non animadvertisset; quod v. *vacare* quoque in Cort. Scholiaste indicare videtur.

Alterum exemplum est IX, 499, ubi plures Mss. versus:

Exarsitque dies iam mundi spissior ignis,
Iam plaga, quam nullam Superi mortalibus ultra
A medio fecere die, calcatur, et humor
In Noton omnis abit, manant sudoribus artus:

ab Aldo in Editionem illatos, sed a Grotio recte eiectos, ex vers. 604 sqq. male repetunt. Agnoscit eos quoque Ms. Lips. c, adposito tamen v. *vacat*, quod infartos esse notat. Locus a sciolo quodam fortasse adscriptus fuit, ut similitudinem, quae inter vers. 498 — 501, et 604 — 608 intercedit, ostenderet; hinc in textum irrepsit, additis et mutatis nonnullis, quae metrum flagitabat. Inde scriptum est *Exarsit* pro *Incensus*, quod defenditur alio loco Lucani I, 68 *Incendere diem nubes oriente remotae;* inde additum est v. *mundi*, quod hoc loco nihil ad rem faciens auctorem suum prodit; inde illata vv. *et humor in Noton omnis abit*, quae respondent vv. *et unda rarior*, fortasse ex Ovid. Metam. XV, 246 hausta: *Tenuatus in auras Aëraque humor abit.* — Sed totus locus aperte huc non quadrat, nexum sententiarum et verborum turbat, neque infra deesse debet.

At non solum verbis, ut vidimus, sed etiam signis versus spurii in Mss. notantur, quae tamen minus, quam fieri debebat, a Criticis in Mss. collatio-

Digitized by Google

nibus observata sunt. Quae inter signum # pertinet, quo in Cod. Lips. c versus, de quibus modo disserui, notati sunt; pertinet lineola, qua in Cod. Lips. b versus post V, 321 *Si non feminei vultus, linguaeque tumultus* obductus est. Agnoscitur a Voss. duobus, MSS. pluribus ap. Cortium, tribus Burmanni, et aliis; cf. Epist. Mart. Lagun. p. XVIII. Edit. II.: sed a monacho profectus est, quod iam similis exitus in vv. *vultus* et *tumultus* ostendit. Lucanus quidem in versibus componendis minus diligens, quam Virgilius, saepius similia admisit, quae tamen fere semper excusari possunt. Quod enim in versibus Leoninis maxime displicet, est similis exitus in caesura, quam sensus verborum iubet, et in fine versus, ut in illo: *Post coenam stabis, seu passus mille meabis.* Exempla aliorum attulit Wolf. Anal. T. I. p. 167. In Lucano quae leguntur, haec sunt: in arsi tertii pedis, I, 329 *Altus caesorum pavit cruor armentorum.* III, 161. 621. IV, 375. VI, 450. 632. 809. VII, 555. VIII, 73. 279. X, 286; in quibus tamen verba arctissime cohaerent, ita ut caesura non in arsi tertii pedis sit, ingratusque sonus minus feriat aures. Excusatur similis exitus in eadem sede, ubi interpunctio vel in praecedenti vel sequenti pede; sic VIII, 121 *Accipe templorum cultus, aurumque deorum;* vel ubi per elisionem variatur, sic V, 668 *Conscia votorum es, me; quamvis plenus honorum.* Similis exitus in thesi tertii pedis, qui excusatur interpunctione sequentis pedis, est IV, 587 *Poenituit tolerasse sitim, frustraque rogasse.* cf. IX, 685. 1053. Similis exitus in arsi quarti pedis I, 354 *Quamquam caede feras mentes, animasque tumentes*, habet cur displiceat; alia, ubi similis est exitus in thesi, excusantur, vel quod caesura praecessit, sic I, 521 *Danda tamen venia est tantorum danda pavorum*, cf. I, 630. IV, 91. 93. 212. 368. V, 481. VII, 410. 754. X, 228; vel propter elisionem, ut VI, 431 *Detestanda deis saevorum arcana magorum*, cf. VII, 599. VIII, 143. Vidimus, excepto uno loco I, 354, nullum exemplum similis soni in arsi quarti pedis legi, quae res rationem suam habet; in arsi enim quarti pedis, praesertim si caesura accedit, multo magis similis sonus offendit, quam in arsi tertii pedis, quae longius ab exitu ver-

Digitized by Google

sua remota est. Notandum est denique, similem sonum, uno exemplo VII, 754 excepto, in trisyllabis verbis, maxime in genitivis adiectivorum et substantivorum esse, quae, arcte propter sensum coniuncta, minus quam alia verba ingrato sono aures offendere videntur. Verum ut redeam ad nostrum locum; non modo similis ille sonus in vv. *vultus* et *tumultus*, sed etiam alia versum spurium indicant. Sententia enim per se iam displicet, neque, quid sibi h. l. velit, intelligi potest; deinde vv. *linguae tumultus* cum vv. *seditio nil fortiter ausa* non satis apte cohaerent, et auctorem suum produnt. Tum *si non* displicet, cuius loco alia copula exspectatur; denique *vultus* repetitur, quod iam bis vs. 317 et 319 legitur. Merito igitur plurimi et meliores Cdd. versum non habent a sciolo quodam illatum, qui, uti saepius factum est, sententiam communem de seditione amplificavit.

Idem signum, quod in praecedenti loco versum spurium indicavit, aliam habet significationem X, 407.

Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur.

In Cod. Lips. d versus lineola subducta propter sententiam communem notatus est; sensus enim et verba singula aperte versum Lucani esse docent.

Aliud signum (-⊖-) VII, 715 observavi, quo versus

Obvia ceu laeto promittunt munera flentes

in Cod. Lips. a notatur, et suspicionem interpolationis movet. Accedit, quod versus salvo sensu abesse possit, qui tamen genuinus est; signum enim illud locum versus, in inferiori margine scripti, ut in Lips. c IX, 519—21, indicat, neglecti a librario, quia sensus sine eo constabat. Ceterum, quod singula attinet, male Burm. *Omnia*, quod ex v. *omnibus* vs. 713 ortum in Lips. a, Langerm. et pro var. lect. in Voss. sec. legitur, pro *obvia* recepit. Cur enim *omnia munera?* iam satis est, si *munera* promittunt. Deinde *ceu laeto* non suo loco foret; cur enim *munera ceu laeto* promitterent? sed recte *obvia ceu laeto*, ut in Schol. Lips. a quoque legitur: *quamvis esset victus*,

Digitized by Google

tamen veniunt ei obviam omnes. Quod praecedentia quoque verba *effudit totas per moenia vires* flagitare videntur; effudit enim Larissa vires, ut obviam irent cives. Denique quae Burm. ex Caesare Civ. III, 96 de nocturno itinere monuit, rem non decidunt; quis enim Lucanum idem voluisse inde probaturus est? Nonne, etiamsi nocturnum tempus concedamus, nuncius Larissaeos de adventu Pompeii certiores fecisse potest, ita ut urbe relicta obviam iverint. Recte vero *promittunt*, quod in omnibus fere Mss. legitur, modo interpunctionem maiorem, ut ab Oudend. factum est, post v. *laeto* ponamus. *Promittunt* defenditur praeterea sequente verbo *flentes*, quod ad v. *promittunt* minus quadrat, neque verbo *pandunt* connexum satis placet. Postremo v. *munera* male a Bentl. correctum est in *nomina*, rarissime in libris cum illo confusum, et h. l. ne aptum quidem, ubi eadem sententia in vv. seqq. *socios — optant.* Recte autem *munera*, quo in universum Larissaeorum amor notatur, ita ut sqq. *pandunt* etc. bene cohaereant.

Eodem modo aliud signum —÷ ÷—, quod ad IX, 73. 74

Nunc tamen hic longe qui fulget luce maligna
Ignis, adhuc aliquid Phario de litore surgens,

in Cod. Lips. a reperi, suspicionem interpolationis movet, praesertim quum prior versus ab uno Ms. Cortii absit, et salvo sensu abesse possit. Hoc ipsum tamen negligentiae librarii in transscribendo Cod. ansam praebuit, ita ut signa illa ex eadem ratione, quam paulo ante VII, 715 animadvertimus, orta videantur, neque versus interpolatos notent, quos sententia, singula verba et nexus cum reliquis defendunt.

Quae quum ita habeant, in hac quoque re cauti esse debemus, ne ea, quae genuina sint, signo aliquo perducti, Lucano abiudicemus; quod optime effugere licet, si omnia, quae infartos et alienos versus vario modo prodant, iudicio duce consideramus.

Diximus supra de ea ratione, ubi Scholiastae et Glossatores apertis verbis vel signis quibusdam spu-

rios versus indicassent; quacum alia sed e contrario consentit ratio, ubi ex Scholiastarum silentio versus aliquis, quippe qui ab iis non explicetur, cuiusque nullum vestigium in scholiis appareat, pro spurio haberi possit. Cavendum tamen est, ne nimium huic rei tribuas, quum variae adesse possint causae, quae Scholiastas versum aliquem non interpretari moverint. Itaque ante omnia de Scholiasta ipso, cuius auctoritate in hac re utimur, quaerendum videtur, utrum sit vetus, an recens? utrum verba eius transscripta sint ex alio Codice, an in Codice ipso primum orta? deinde quid explicet, utrum omnia, an, quod plerumque fit, singula tantum loca? tum, quomodo loca illa comparata sint, an difficiliora? an eiusmodi, ubi res vel facta narrentur? an talia, quae grammatica explicatione egeant? Postremo ratio explicandi consideranda est, utrum Scholiastes verba auctoris, quae explicet, suis praeponat nec ne? utrum singula singulis verbis interpretetur, an plura in unum coniungat, ita ut singulis verbis singuli versus indicentur, vel explicentur? utrum verba auctoris accurate an negligenter exponat? Haec omnia aperte docebunt, quid Scholiastae, in subsidium vocato, prouti aetas eius, id quod explicet, et ratio eius explicandi postulent, tribui debeat. At praeterquam quod facillimus sit in his rebus error, quum verba Scholiastae e. g. vel a librariis omissa, vel a nobis ipsis neglecta, vel inter verba auctoris relata esse possint, ut infra V, 795 videbimus, hoc quoque tenendum est, silentium Scholiastarum ad damnandum aliquem versum, nisi aliae causae accedant, non sufficere, neque ipsis in locis, ubi omnes adeo consentiant, aliquid probare, nisi quod in Codd. eorum versus aliquis non exstiterit.

De Scholiastis Lucani adhuc sub iudice lis est; latent enim in Codd., minus quam fieri debebat in rem adhibiti, vel omnino neglecti, vel per excerpta tantum cogniti. Oudendorpii Scholiastes partim recens, partim satis vetus videtur, et fere omnia explicat, quae explicationem requirere videantur; res et verba auctoris satis accurate, singula singulis verbis, ita ut mirum esse debeat, si qua praetermissa sint. Sed utinam Oudend. omnia eius verba, non excerpta tantum nobis dedisset, cf. Oudend. ad I, 1.

Digitized by Google

Scholiastes meus, qui legitur in marg. Lips. a, item satis vetus, transscriptus, ut supra diximus, ex alio Cod., commentarium amplum et prolixum exhibet; spectat magis res quam verba Lucani, neque omnia accurate explicat, sed, pluribus et saepius difficilioribus omissis, alia uno tantum verbo innuit, alia coniungit, ita ut sensum totius loci, neque tamen singula verba ostendat. Singulare autem hoc habet, quod verba Lucani vel suis explicationibus praeponat, vel in explicatione utatur, unde plura rectius constitui posse infra videbimus. Alter Scholiastes in eodem Cod. pauca, sed non parvi momenti, habet inter versus et ad marginem Cod. scripta, quae verba Lucani, maxime cum verbis Virgilii comparata, explicant, ita ut in censum venire non possit.

Plures Scholiastae in Cod. Lips. b leguntur, qui in rebus et verbis auctoris explicandis saepius, ut fit, sibi repugnant, et scholia sua, ut videtur, in legendo Lucano, excepto fortasse uno, adsperserunt. Quare iis non multum in hac re tribuerim, licet interdum verba auctoris praebeant, et fere omnia loca difficiliora interpretentur.

Eodem modo in Cod. Lips. c scholia plurium leguntur, ita ut raro versus sine scholio sit. Plura allata sunt ex Schol. Lips. a; alia, licet pauciora, ex Scholiasta Oudend.; sed non multi momenti et recentioris aevi, ut videtur, saepius sensum Lucani male explicant; eodemque modo ut in Lips. b orta parum fidei in hac re merentur.

Scholiastes denique, qui in Cod. Lips. d legitur, parvi momenti, et recentioris aevi, plura ex Oudend. Scholiasta et Isidoro laudat, sed tam pauca, ut de silentio eius colligi aliquid non debeat.

Hi sunt Scholiastae, quorum auctoritate in diiudicandis versibus uti licet; sed facile quisque videt, eos, excepto uno Oudendorpii et Cod. Lips. a, hanc in rem afferri non posse. Imo hi duo quoque magna cum cautela in hac re usurpari debent.

Sic in Scholiasta Oudend. nullum vestigium versus IV, 251 *Et scelerum turba, rapiuntur colla pa-*

Digitized by Google

rentum apparet. Versus praeterea suspectus est, quum in pluribus Codd. Cortii, 4 Voss., Bouher., Witt., Cod. Trinit. et plurimis Burm. absit; in aliis a recentiori manu additus sit; in Cod. Amstel. post versum 252, in uno Cod. Bersm. post vs. 253 sequatur, et in membr. abrasa Lips. d legatur. Damnatur a Bentleio, Oudendorpio aliisque, quorum ille *turba scelerum* inrenuste, praesertim quum *scelus* seq. versu redeat, *rapiuntur colla parentum* autem indocte dicta vult; alter Caesaris milites in hoc tumultu occisos, non decollatos esse contendit, parentes autem a filiis sedato tumultu interfectos esse negat. Mihi maxime displicet *parentum*; cur enim *colla parentum*? an erant omnes Caesariani, qui castra Pompeii intrabant, parentes? cur *parentum* tantum colla, neque aliorum? Quae tamen omnia versum non damnant a pluribus Mss. probatum; a glossatore Lips. h adscripto v. *a* ad v. *turba*, et a scholio Lips. c ad v. *parentum*, quod ita habet: *cognatorum, fratrum, patrum capita ducis conspectu* (leg. *conspectui*) *praesentabant, credentes perire scelus, si occultaretur*. De Scholiasta Lips. a monere aliquid non possum, quum demum a vs. 520 libri quarti incipiat. Deinde non video causam, quae librarium moverit addere hunc versum; ratio autem, qua omissus sit, apparet. Etenim librarius in vers. 251 et 252 lapsus est, vel quia uterque a v. *Ac* incepisset, quod pro *Et* in Cod. Lips. b, Amstel., Voss. 1 et in var. lect. Stephani legitur, vel quia vs. 251 salvo sensu omitti poterat, librario oscitantiam suam non sentiente. Sensus autem verborum et verba singula minime interpolatorem indicant, imo haec Lucano restituenda esse, ut iam Burm. fecit, ostendunt. Recte enim probatur *scelerum turba*, quod elegantius dictum est, quam ut a librario profectum esse possit, de multis sceleribus, quae milites Petreii patrassent, cf. Burm. ad h. l. Neque offendere debamus in repetito v. *scelus*; talia enim Lucanus non curat. Eodem modo bene a Burm. defenditur *rapiuntur colla*; *rapi* enim ita dicitur de rebus, quae truncantur, caeduntur, cf. quae laudat Burm. ad h. l. Quod maxime displicet, est v. *parentum*, a Burmanno in *paventum* ex satis leni coniectura mutatum; sed cur *colla paventum*? neque

locus Caes. Civ. I, 76 coniecturam probat. Praeterea *paventum* h. l. abundat, neque ad rem aliquid facit. Fortasse aliquis *parentum* defenderit, ut significet *cognatos*, *affines*, gallice *les parents*, quae significatio pluribus veterum locis probari potest; sed sunt seriorum auctorum, neque in Lucano leguntur. *Parentum* sine dubio h. l. propria significatione intelligi debet. Lucanus, nefas et scelera in castris Petreii facta, ut solet, exaggerans, inter Caesaris milites parentes fuisse fingit. Fit caedes; scelera cuiuscunque modi patrantur, aucta ab ipsis militibus, qui non solum caedunt, sed capita suorum, ipsorum parentum, carissimorum rapiunt. E *scelerum turba* unum et maximum scelus describit *rapta colla parentum*; et sic saepius a Lucano parentum fit mentio, ut sceleris magnitudo appareat, I, 576. III, 526. IV, 565. VII, 628. et qui locus optime cum nostro comparari potest II, 150 *Certatum est, cervix cui caesa parentis cederet.* Scelera tanta et talia facta sunt, inquit, ut capita ipsorum parentum raperentur. Quae verba sequentibus, deleto puncto post v. *parentum*, coniungenda sunt; pergens enim poeta in oratione, de capitibus singulorum parentum ad *omnia monstra* transit. Ita optime verba cohaerent, et iam hanc ob causam defendi debent. Scholiastes Oudend. nihil probat, nisi quod in Cod. suo versum non habuerit.

Rectius sine dubio idem Scholiastes alium Lucani locum, qui legitur VI, 207

Par pelagi monstris. Libycae sic bellua terrae

non interpretatur, ita ut silentium eius in ponderando hoc versu aliquid valeat. Meus quoque in Lips. a nihil de versu habet, sed in Lips. b addita est glossa *et* ad v. *Gaetulus*, quasi *bellua Libyca* alia esset, quam *Gaetulus elephas*. Neque placent quae Schol. Lips. c. habet *par i. e. non curans de morte, sicut monstrum non curat de interficere homines* (leg. *hominem*) *vel monstro i. echinis, piscibus habentibus undique spinas* (l. *spinas*), *sic hic habebat undique cola. Pelagi monstris* quid sibi h. l. velit, non intelligitur, cum *monstra pelagi* in universum omnia

animalia notent, quae mare nutriat, cf. Virg. Aen. VI, 729. VII, 780. De echinis, ut Schol. vult, sermo esse non potest, ubi inepta comparatio Scaevae cum elephante ineptior foret. Deinde non apparet, quid Lucanus comparet; utrum *silvam densam*, an, quod positio verborum indicare videtur, *in quem cadat, eligit hostem*. Tum poeta non amat comparationes duas diversarum rerum ita coniungere, ut h. l. factum est, licet unam eandemque rem duobus vel pluribus modis interdum comparet, cf. VI, 65. VII, 777. X, 445; unde male Heins. in Advers. I, c. 14 p. 146 hunc versum servandum, sed sequentem amovendum censet. Porro displicet repetitio vv. *Libycae sic bellua terrae*, et *sic Libycus elephas*, unde corrector aliquis dedit *Gaetulus*, quod in Lips. c margine legitur. Denique abest versus a vetustissimis et optimis libris Oudendorpii, Cortii et Burmanni; in aliis ad marginem scriptus, vel a recentiori manu additus est; in Richel. sequitur versum 205, in Lips. d. versum 208. Ortus autem videtur a sciolo, qui elephantem Libycum per vv. *bellua Libycae terrae* explicasset, quibus alius comparationem *par monstris Pelagi* addidit, ut *par* et *bellua* sibi responderent.

Eodem modo alium locum, qui legitur VII, 820 — 822

Tu, cui dant poenas inhumato funere gentes,
Quid fugis hanc cladem, quid olentes deseris agros?
Has trahe Caesar aquas: hoc, si potes, utere coelo,

Scholiastes Oudend. non explicat. Absunt praeterea versus a Cod. Bouher., Reg. primo et quatuor Burm.; in aliis margini tantum adscripti sunt, unde in Cod. Langerm. transpositio vers. 820. 21. 18. 19. contra nexum totius loci orta videtur. In aliis autem et optimis quidem leguntur, neque a Scholiastis meis damnantur, qua re, cur deleri debeant, non video causam. Inest enim ironia Lucano propria, quae in toto hoc loco cognoscitur; neque sensus et verba singula incommodi quid habent. Deinde vers. 823 versus

praecedentes flagitat, ut oppositio inter Caesarem fugientem et populos Pharsalica rura tenentes doceat, unde particula *Sed*, quae sine illis scripta esse non posset. Denique ratio, quae interpolatorem haec addere moverit, non apparet; facile autem omitti poterant, quum sensus sine iis quodammodo constaret.

Quae de Scholiastis Lucani diximus, eadem de Grammaticis quoque aliisque auctoribus valent, si quem poetae versum inter plures alios non laudant, vel alia licet minus aperta ratione, aut singulis verbis aut serie orationis se versum aliquem non legisse testantes, suspicionem interpolationis movent. Qua in re ante omnia quaerendum videtur, quis sit, qui versum aliquem non laudaverit. Apparet enim, si quis negligens fuerit in laudandis locis, vel versum aliquem laudare noluerit, nullam eius esse in hac re auctoritatem. Facile autem fieri poterat, ut singuli versus in laudando aliquo loco praetermitterentur, quia totus locus rei alicui probandae non aptus vel non necessarius fuisset. Itaque, ne in errorem hac re inducamur, observandum quoque est, quomodo versus laudati sint. Ex quo non modo cognoscemus, quam in rem aliquis eos excitaverit, et utrum totum aliquem locum, an singulas eius partes laudare voluerit; sed etiam, utrum memoria duce, an e Cod.: si memoria duce, facile aliquid omittere poterat, neque fidem in hac re meretur; si e Codice, Codex corruptus esse, vel alio modo errori ansam praebuisse poterat, neque locus aliquid probat. Praeterea scripta quoque eius, qui locum aliquem afferat, depravata et mutilata esse possunt. Sed adeo ubi nulla est eiusmodi ratio, versus, nisi aliae accedunt causae, hanc ob rem pro spurio haberi non debet; sequitur enim inde nihil, nisi locum in Msto eius, qui laudaverit, aliter scriptum fuisse.

Inter multa Lucani loca, quae a Servio, Prisciano, Isidoro, Nonio, Donato, Lutatio, Scholiastis Horatii, Iuvenalis, Persii, aliisque laudantur, unum exemplum afferam.

VI, 689—93

Latratus habet illa canum, gemitusque luporum.

Digitized by Google

Quod trepidus bubo, quod strix nocturna queruntur,
Quod strident ululantque ferae, quod sibilat ingues,
Exprimit, et planctus illisae cautibus undae,
Silvarumque sonum, fractaeque tonitrua nubis.
Tot rerum vox una fuit.

Laudat locum Serv. ad Virgil. Aen. 6, 247 omisso versu 689 et verbis *illisae — sonum*, vs. 691, cf. Taubm. l. l. p. 702. Possis itaque de loco dubitare; accedit, quod facil. negotio nonnulla hic addi poterant; praeterea totum locum vers. 689 — 94 non agnoscit Oxon. I; denique non admodum placet repetitum *Quod* ab initio et in medio versus. Nihilo minus versus probari debent; Oxon. enim Codicis librarius saepius errat, et hic causam erroris in repetito v. *linguae* et *lingua* vs. 688 et vs. 694 habuit. Servius ipse autem verbo *planctus*, quod necessario verbis *illisae cautt. undae*, ut reliqua ostendunt, coniungi debet, neque absolute positum h. l. quadraret, versum 691 probat. *Planctus undae* est sonus, ictus aquae litora pulsantis; inde ap. Virg. G. I, 354 *Nunc nemora ingenti vento, nunc litora plangunt*; Lucret. II, 1155 *Nec mare, nec fluctus plangentes saxa crearunt*, cf. Oudend. ad h. l.; sic *latratus* de undis, cf. Intpp. ad Sil. III, 471. Versus 689 autem a Scholiasta ad Horat. Epod. V, 20 laudatur, et a Scholiasta Lips. a ita explicatur: *His omnibus collectis emisit vocem, et* (del. *et*, vel lacunam statuas) *magis attrahentem deos ad se, quam omnes herbae facerent; quae vox multum* (leg. *multorum*) *fuit imprimis terribilis, nam exprimit et gemitus luporum et illud i. illam vocem, quam bubo* etc. Neque singula denique versus damnant; *gemitusque*, cuius loco in aliis Mss. legitur *gemitumque*, recte habet, ut *latratus* et paulo post *planctus*. Neque scripserim *frenitus*, quocum passim confunditur in libris; cf. Burm. ad VII, 482 et Drakenborch. in loco infra laudando; etenim *gemitus* et *gemere* saepissime de iracundis et rabidis animalibus dicitur, cf. Drak. et Rupp. ad Sil. Ital. I, 425. *Quod* autem ex usu Lucani saepius, ubi plura cumulantur,

vel ab initio versus vel in medio repetitur, cf. I, 344. III, 85. 157. IV, 64. 183. VII, 660 — 64. X, 155. *Strix nocturna* deinde recte, non *nocitura*, ut est in Bersm. I, quae commutantur in libris, cf. Bentl. ad IV, 329. *Nocturna strix* dicitur, ut in Horat. Epod. V, 20 *Plumamque* nocturnae strigis; et Ovid. Fast. VI, 135 de strigibus, Nocte *volant*, *puerosque petunt*, ubi vid. Intpp. et 140 *horrendum stridere* nocte *solent*, cf. Dempst. ad Rosin. Antiq. V, 39 p. 653. In versu 691 autem male Cortius, interpunctione mutata, *et* pro *etiam* accipit; poeta enim simpliciter per copulam nectere solet, ubi plura coniunguntur, ita ut *et* h. l. respondeat v. *que* in *Silvarumque* et *fractaeque*, et sit polysyndeton, quod Lucanus amat, cf. paulo post vs. 695 sq.; I, 155 sq.; 181 sq.; 196 sq.; 527 sq.; 558 sq.; 600 sq.; deinde *gemitusque luporum* et *quod trepidus bubo* propter relativum quoque bene coniungi non possunt. *Illisae* denique corrigi non debet; *illisa* enim *unda* et *illisum aequor* dicitur, ubi fluctus in scopulo vel ripa frangitur; cf. Virg. G. III, 261 scopulis illisa *reclamant* aequora; Sil. Ital. 17, 246 Illisu scopulus *tremit omnis* aquarum, et Oudend. ad Lucan. VI, 24. Rebus ita comparatis apparet, Servium in laudando Lucani loco vel depravatum Codicem usurpasse, vel, quod malim, ipsum mutilatum ad nostra tempora pervenisse. Facile enim vers. 689 propter *quod* in seq. vers. repetitum excidere poterat; v. *planctus* autem locum corruptum esse aperte docet.

Haec de Scholiastarum et Grammaticorum silentio in perpendendis locis dicta vice versa, licet paucis mutatis, ibi quoque valent, ubi versus aliquis ab iis vel laudatus vel explicatus pro genuino probari debet; qua de re nunc non est quod dicam.

CAPUT II.

DE MSS. AUCTORITATE IN SPURIIS VERSIBUS.

Secundum locum in ponderandis spuriis versibus, quod externa argumenta attinet, Mss. obtinent. Ver-

ipsa aliquis suspectus est, si in Ms. vel uno vel pluribus non legitur; sed quum neque omnes Mss. aeque boni sint, neque numerus eorum in hac re momenti aliquid habeat, lex a nobis proposita valet non ubique. Quis enim, quum constet, quod res ipsa et MSS. docent, omnes Codd. ex uno vel paucis tantum libris haustos et transscriptos esse, quis numero eorum recte aliquid tribuat, licet in Lucano sit tantus, ut fortasse, si unum Virgilium excipias, nullius poetae? Hoc ipsum autem nos monet, Codd. Lucani non numerandos, quod a Burm. aliisque factum est, sed ponderandos esse, ita ut ante omnia videamus, quis sit Codd. nexus, et quaenam eorum familia. Apparet enim, Codicis eius, qui transscriptus sit, auctoritatem, si priorem Codicem nacti sumus, paene nullam esse. Itaque nostrum est Codd. nexum indagare, et cuiusque Codicis constituere auctoritatem. Lucanum quod attinet, res difficilior est, quum multi eius Codd. exstent, quorum recens collata lectionum varietas interdum nexum aliquem ipsorum, saepius tamen singulos ostendit, qui, quod versus spurios maxime attinet; suam quisque rationem sequuntur. Quae quidem res magno nobis detrimento foret, nisi aliis ex rebus librorum auctoritas constitui posset. Constat enim, illos plerumque depravatos et corruptos esse, ita ut auctoritati eorum, sive versum aliquem agnoscant, sive minus, vel parum vel nihil tribuendum sit, sicuti in Cod. Lips. c. factum est, qui, ex depravato Cod., ut videtur, transscriptus, maculas plurimas, quos nactus est, correctorum prae se fert. Alia causa, cur nexum et familiam Codd. Lucani indicare difficillimum sit, posita est in eo, quod excepto Oudendorpio nullus editorum in hac re satis diligens fuerit. Non raro enim ex uno vel altero loco, ubi error aliquis a librario admissus, ubi aliquid mutatum et correctum est, colligere possumus, unde Cod. aliquis haustus sit, quemnam sui similem, et quantam auctoritatem habeat. Quare h. l. non nisi de iis dici potest, qui ab Oudend. et a me collati sunt, et ne de his quidem eadem cum fide. Constat enim, Oudendorpium non omnium quos laudavit Codicum collationem accuratam dedisse, sive noluerit, sive non potuerit. Quantum autem ex his Codd. liquet, primam fami-

liam constituere videntur Voss. 1. 2. 3. Witt., Reg. pr. et Bouherianus, ita ut saepius omnes consentiant, interdum tamen unus vel alter variet, cf. IV, 251. VI, 152. 207. VII, 257. 796. 820. IX, 83. X, 123. Aliam familiam constituunt Voss. 4. 5. 6. Marpurg., Huls. et Oudend., quos inter Voss. 4 primum locum obtinere videtur, cf. IV, 78. 171. VI, 207. 684. VII, 103. 257. 461. 747. 796. 820. 858. IX, 159. 494. 664. 805. 924. X, 8. 123. Ad quos Amstel., Florent. et Reg. sec. quoque accedunt, ita tamen ut pluribus in locis ab iis recedant. Quod Lipsienses attinet, Lips. a et b cum priori familia coniuncti videntur, cf. IV, 171. VI, 186. VII, 461. IX, 265. X, 123. 296; aliis tamen in locis ab ea discedunt, cf. VII, 103. IX, 83. Lipsienses c et d autem maiorem nexum cum altera familia habent, cf. IV, 171. VI, 152. IX, 253. De Oxoniensi utroque et de Cantabrigiensibus mihi non liquet, quum Oudend. eorum non ubique accurate meminerit.

Hic duabus Codicum familiis constitutis, non admodum difficile dictu puto, quibusnam Codd. maior auctoritas tribui debeat, quod alterum est, de quo in hac re quaerendum. Nititur vero librorum auctoritas aut praestantia aut pravitate eorum, quae cognoscitur partim in ipso Cod., si aut diligenter aut negligenter et sine cura scriptus, vel correctorum manus passus est, partim ex singulis locis, ubi melior lecto meliorem, prava lectio pravum Cod. ostendit. Quae si vera sunt, apertum est, quum Voss. primus fere semper optimas praebeat lectiones, versus spurios indicet, genuinos servet, et in aliis quoque rebus se meliorem praebeat, huic et toti eius familiae hac in re plurimum tribuendum esse. Nihilo secius meminisse iuvat, interdum in melioribus libris prava, et in pravis libris optima inveniri. Nostram rem quod attinet, ubi plura in libris interdum omittuntur, in aliis leguntur, ante omnia quaerendum videtur, casune versus an, quod saepius observatur, causa aliqua exciderint. Causa enim negligentiae reperta, apparet, quantum auctoritatis vel optimo Codici in eiusmodi locis tribui debeat. At vel illic, ubi causa non appareat, tenendum est, Codicum auctoritatem ad da-

Digitized by Google

mnandum aliquem versum non sufficere, et pluribus argumentis opus esse, quae plerumque in sensu versus, nexu eiusque verbis insint; de quibus postea dicemus. Exempla versuum omissorum, aut quia spurii sint, aut ex negligentia librariorum, offendi plurima, quorum ea, quae recte omissa videantur, primo loco commemorabo. Sunt autem praeter loca iam supra a me laudata haec.

VII, 461-64.

Parva tellure diremti
Inde manus spectant, vultusque agnoscere quaerunt,
Quo sua pila cadant, aut qua sibi fata minentur.
Inde manum spectant, tempus quo noscere possent,
Facturi quae monstra forent.

Paucis meam sententiam de hoc loco exponam, relictis in medio, quae Interpretes satis copiose neque tamen recte h. l. attulerint. Nemo non offendit in versibus, qui incipiunt a vbb. *Inde manum* vel *manus*, sive spectes sententiam, sive verba sine vi ac pondere repetita. Lucanus ita scribere non poterat, nisi inepte; neque Oudendorpii sententia de binis versibus, quae, uti supra vidimus, certis argumentis non nititur, hic locum habet. Cur enim poeta duos versus hic fecerit? cur tales, quorum prior pars iisdem verbis constat? Alteruter horum versuum sine dubio spurius est; sed uter, hoc quaerendum. Msti h. l. nihil demonstrant; discrepant enim ita ut, utrum versum deleveris, Codd. in tuam sententiam afferre possis. Quare ad interna argumenta redeundum est, neque difficile puto viam, qua locus sanari possit, indicare. Versus 464 enim facilius quam vs. 462 natus esse potest ex verbis *tempus — possunt* explicandi gratia vel ad *agnoscere quaerunt*, vel ad *videre — parentes* additis et, quum exitum versus fortuito praebuissent, ab alio in hexametri numeros redactis. Accedit quod positio verborum et structura satis dura sit, sive *tempus* absolute sumas, (quod noster non

amat, cf. VIII, 467) sive coniungas verbo *facturi*, de quo dubito, quum aliam habeat significationem ap. Ovid. Trist. III, 12, 4. Denique verba non multum ad rem faciunt; cur enim opus scitu tempus fuisse, quo monstra nosci possent? Quanto melius illa *agnoscere quaerunt*, quae cur interpolator addiderit, non apparet; sed recte poeta, ut furorem militum rabiemque ostendat. Praeterea melius haec praecedentibus et sequentibus coniunguntur; cohaerent enim non solum *agnoscere quaerunt*, et *facturi monstra*; sed respondent etiam sibi *manus spectant* et *vultus agnoscere possunt* coniuncta sequentibus *videre parentes*. Accedit postremo Scholiastes Lips. a, qui vers. 462 interpretatur, versu 464 praetermisso. Habet enim ita: *Procurrunt agmina pari cursu, et illud spatium ideo medium cito percurrerunt*; (ita pro *feurerunt*) *et ut hoc factum fuit, ab illo loco iam proximo spectant manus, in quas cadant aut quae in eos cadant, et hoc dicit: aut quam manum fata* (ita pro *facta*) *minentur sibi*. Qui si *tempus quo noscere possent* legisset, locum sine dubio, ut glossator Lips. b, exposuisset. Plura autem e Scholiastae verbis in nostro loco rectius constitui debent; vs. 463 pro *quo*, *qua*, *quae*, ut in aliis libris, legendum est *quam*, quod probatur auctoritate Lips. a. b. c. d. Flor. a. man. sec. aliisque Pulm. et Bersm. Posito illo *quam*, necessario *manum* versu proximo sequi debet; quare locum ita scribe:

parva tellure diremti.
Quo sua pila cadant, aut quam sibi fata minentur,
Inde manum spectant, vultusque agnoscere quaerunt,
Facturi, quae monstra forent.

Qui versuum ordo firmatur auctoritate Cod. Florent. Ita omnia optime cohaerent, non solum illa *quam* et *manum spectant*, quod noster dicere amat, praepositio relativo, cf. Oudendorp. ad VI, 683 et Burm. ad IX, 841; sed etiam, quod maxime h. l. placet, *agnoscere quaerunt facturi monstra*. Praeterea ita apparet, quomodo tanta librorum varietas orta sit;

Digitized by Google

scripserat enim sciolus ille verba *fuit tempus, quo noscere possent* vel *possunt* inter lineas vs. 463 et 464; e quibus alius versum formavit, repetitis vv. *Inde — spectant;* alius in simili versu offensus vel priorem vel posteriorem versum omisit, aut in margine scripsit, unde postea, mutato ordine, in locum alienum migravit. Utrumque versum eiici iubet Heins. in Advers. I, 16 p. 162.

VIII, 124.

Accipe, ne Caesar rapiat; tu victus habeto.

Versus abest a vetustissimis et optimis MSS., cf. Heins. Advers. I, 16 p. 165, nec non ab Editt. vett.; legitur tantum in Reg. I, Marp., Voss. 6, in marg. Witt. a man. rec. et in nonnullis Pulmanni atque Burmanni. Sine dubio spurius est et textui illatus, vel ex notula ortus ad v. *accipe*, quae ita habebat: *accipe, ne Caesar rapiat* vel *habeat*, unde alius versum mutilatum, additis vv. *tu victus habeto*, supplevit; vel, quod ego malim, sciolus aliquis sententiam amplificavit et Lucanum de suo ditatum voluit, quod indicare videtur v. *Accipe* ab initio positum et positio totius versus. Etenim anaphora neque apta in hac sententia, neque, si foret Lucani, post verba *tota — Lesbo*, quibus sententia clauditur, sequeretur. Praeterea displicet sententia totius versus; denique verba cum sqq. non satis apte cohaerent, quae melius prioribus coniunguntur. Deleamus igitur versum, quem consensus fere omnium Codd. damnat, neque Scholiastae explicant.

IX, 83.

Linquere si qua fides Pelusia litora nolo.

In loco turpissime a librariis inquinato, cf. Intpp. ad 73. 80. 87. 100, non mirum est, si spurium versum expellimus, auxiliantibus MSS.: quorum multi ap. Cortium, Heinsium in Advers. I, 18 p. 185 et Burm. nec non Reg. 1, Oxon. 1, Voss. 3 et Bouher. versum omnino non agnoscunt; alii in margine manu alia scriptum habent, ut Lips. a; alii sedem eius mutant, ut nonnulli Oudendorpii atque Cortii, et duo

Digitized by Google

Bersm., qui vs. 83 ante vs. 78, vel, ut alii apud Burm., ante vs. 80, vel, ut Florentinus et Lips. c. d, post vs. 80 ponunt. Quae omnia versum merito suspectum faciunt; accedit quod a Schol. Lips. a non explicatur. Magis vero quam haec versus ipse originem suam testatur. Turbat enim, quamcunque ei sedem tribuas, structuram reliquorum; sensus eius h. l. languidus et otiosus est, ut recte Oudendorp. vidit; singula autem vv. inepta sunt. Cur enim haec, *si qua fides*, repetita ex II, 550, quae nihil ad rem faciunt? Versus sine dubio explicationis loco margini additus, ut sensum totius loci exponeret, inde textui illatus est. Hinc incerta eius sedes et varia lectio *Pelusinaque*, quod in Lips. c et Flor. mendose legitur, spuriaque verbis auctoris coniungit.

At non ubique MSS., ut supra diximus, auctoritatem in hac re habent, neque omnes versus, quos unus vel alter Cod. non agnoscit, ideo damnari debent. Quis enim incuriam et stuporem librariorum in describendis libris non noverit? Qui saepissime versus omiserunt vel in errorem auctoris verbis inducti, vel omnino, quia ebrii et oscitantes auctorem non magnopere curabant. Quare ante omnia videndum est, si qua causa fuerit, cur versus aliquis neglectus sit, qua reperta in Codice non est, cur versum damnemus. Variae autem sunt eiusmodi causae; primo loco eam ponamus, ubi librarii consulto versus deleerint, quia vel sensum ineptum praeberent, vel deum et morum praecepta offenderent. Cuius rei exempla duo inveni.

VII, 725.

Plurimaque in saevos populi convicia divos.

Offenderat librarius Cod. Bouher. in *conviciis deorum*, et versum ex nimia pietate erga deos delevit. Sed nostrum tam impium esse, ex librarii sententia, ut similia in deos dicat, multa docent exempla, cf. IX, 187

Omne quod in superos audet convicia volgus,

et II, 44

Effundunt iustas in numina saeva querelas.

Sic pater deorum hominumque dr. *saevus* II, 59 et dii III, 743.

Alterum exemplum legitur VII, 796.

Fortunam superosque suos in sanguine cernis.

Quem locum superstitiosus aliquis monachus omisit, cum intelligere non posset, quid sit *deos in sanguine esse.* Quare factum est, ut versus non legatur in 2 Burm. Reg. 1 et Bouher., in quo antea simile quid observavimus; in Lips. a autem a man. sec. et in Voss. 2. 5. et Witt. ad marginem scriptus sit. Accedit quod displicet v. *cernit* ex vs. 794 repetitum, structura turbata praecedentis v. *iuvat*, quod infinitivum flagitat, et versus salvo sensu abesse potest. Quae tamen omnia versum non efficiunt spurium; etenim, quid librarium aliquid hic addere moverit, non apparet; deinde Codd. ab Oudendorp. laudati unam familiam constituunt, ita ut consensus eorum, praesertim quum Voss. prim. versum agnoscat, non magni sit momenti. Tum sensum verborum quod attinet, is optime habet, Schol. Lips. a docente: *Qualis erga eum Fortuna fuit, et quam propitii illi fuerunt Superi, in ipso sanguine cernit.* Talis versus nullo modo a librariis, sed ab ipso Lucano profectus est, qui eandem sententiam, ut solet, variat pluribusque exponit. Saepe autem *Fortuna* Caesaris a nostro laudatur, cf. V, 510. VII, 547. IX, 244; recte deinde *sui superi*, de quibus supra vs. 168 sqq. dixerat: — *quos scelerum superos? quos rite vocasti, Eumenidas, Caesar? Stygii quae numina regni?* Neque structura turbatur, modo punctum post v. *latentes* ponamus, sic ut haec cum vers. 797, non cum praecedenti coniuncta sint.

Alia causa, cur versus saepius excciderint, latet in eodem vel simili verbo ab initio proximorum versuum repetito, quod librarium ita fefellit, ut unum vel plures versus, oculis aberrantibus, praetermiserit, cf. Burm. ad IX, 907; Weichert Dissert. de spur. vers. p. 109, cuius rei exempla in Lucano haec habeo:

I, 245.

Et celsus medio conspectus in agmine Caesar.

Versum Hamb. 3 male omittit; errori ansam praebuit initium huius et praecedentis versus, ita ut librarius vel in *Et*, vel in *Ut*, quod in codice, quem transscribebat, pro *Et* ut in Voss. 1 legebatur, aberrarit. Versus, ut apparet, optimus est, licet salvo sensu abesse possit, quod effecit, ut librarius errorem suum non sentiret. Quod singula attinet, *Ut* in Voss. 1 displicet, anaphora enim h. l. non apta est; *celsus* autem, quid significet de homine, explicat Duk. ad Liv. XXX, 32 *Celsus haec corpore vultuque ita laeto, ut vicisse iam crederes, dicebat*; cf. Sil. Ital. IX, 234 *Celsus media ipse coercet Agmina.* Ceterum Barth. in Advers. 27, 13 p. 1300 nostro et alio loco Lucani probat, ducibus fere semper medium locum in agmine concessum fuisse; cf. eundem ad Grat. Cyneg. 297 et Dempst. ad Rosin. Antiqq. V, 30 p. 547.

VII, 103.

Si modo virtutis stimulis iraeque calore.

Versus non legitur in Bouher., Richel. et tantum a manu sec. in Oisel. et Voss. 2, unde Heinsius in Advers. I, 16 p. 159, sequentibus *Ligna petunt* per interrogationem acceptis, eum deletum vult; sed male. Cdd. enim illi non multum auctoritatis habent, exceptis Voss. 2 et Bouher., praesertim quum causa erroris in eadem syllaba ab initio huius et sequentis versus repetita *Si* appareat, atque versus salvo sensu abesse possit. Deinde non video, quid talem versum addere librarium moverit, quem omnes praeterea Scholiastae explicant: Lips. a ita: *Superius vocaverunt eum segnem, et hoc destruit: Si essem segnis, non effecissem, ut etiam tiro esset ita ardens ad pugnam, sicuti nunc est, et hoc aequipollenter i. Magna pars belli civilis totius est peracta his exercitatibus* (leg. *exercitationibus*), *quibus effectum est, ne etiam tiro paveret; effectum est dico, si etiam stimulo virtutis etc., quod minime credo vos ex virtute facere; nam potius ex timore, sicuti solet fieri.* Et

Digitized by Google

Schol. Lips. b: *Ac si dicat, distrahendo bellum magnam partem victoriae confecimus, cum miles noster bellum sibi optet, si tamen hoc ex virtute petit, non timore, nam timore multi petunt.* Et man. al.: *Si modo i. aliquando aliqui signa petunt pro virtute, quidam etiam solent petere pro timore, et ideo nescio, quomodo vos petatis.* — Coniungi debent *si modo* etc. sine dubio prioribus, quum nexus inter ea et seqq. nullus sit, neque verba per se intelligi possint, ut sit *utinam petant signa.* Respondet autem Pompeius iis, quae vs. 45—47 narrata atque a Cicerone vs. 77 et 82 exposita sunt, et laudans quae prospere ab ipso iam facta sint, cf. vs. 107, inter haec quoque refert, quod miles tiro nunc impavidus sit: si revera virtute et ira incitati pugnam petat, de quo dubitari posse. Particulae, *si modo, si tamen*, ut Graecorum εἴπερ, indicant rem quae esse sumitur, sed ita ut, utrum iure sumas nec ne, non dicatur: indicativo coniunctae, Cic. ad Att. 13, 19 *Ea diligenter a me expressa acumen habent Antiochi, nitorem orationis nostrum,* si modo is est *aliquis in nobis*, et Cic. Orat. 2, 38 *In hac arte*, si modo haec est ars, *nullum est praeceptum;* coniunctivo iunctae, Virg. A. IV, 109 Si modo, *quod memoras, factum fortuna sequatur.* Respondent igitur *si modo* h. l. verbis *quibus effectum est*, et possis *petant* ex Cod. Reg. 1 et Amstel. scribere, quod maiori cum dubio dictum Pompeio aptius fortasse videtur. Indicativus vero recte habet, quo simul indicatur Ciceroni persuasum fuisse milites virtute et ira commotos signa petisse; coniunctivus enim h. l. rem ex sola cogitatione pendentem exprimeret. Quod ad singula attinet, *stimulus* metaphorice de *virtute* saepius, cf. I, 120; VIII, 329; *furoris* V, 118; *irarum* II, 324, ubi *calor* quoque eodem modo, cf. II, 493 *calida prolatus* ab ira. — Neque offendere debemus in mutatione numeri *tiro paveret* et *petunt*; solet enim noster post substantiva collectiva in singulari et plurali variare, cf. I, 240 seq.; 353 seq. et Burm. ad I, 468.

VII, 197.

Seu tonitrus ac tela Iovis praesaga notavit.

Digitized by Google

Inserit post hunc versum Oxon. prim. et unus Cortii, si diversus ab illo est, haec:

Seu diras vidit volucres concurrere rostris,

verba per se satis bona et loco apta, ubi de Augure sermo est; praeterea apparet ratio cur exciderint in v. *Seu* ab initio vs. 197 posito. In singulis autem quid offendere possit non video; *concurrere* enim repetitum ex vs. 196 in nostro excusari debet. Similem deinde locum habes I, 558 *dirasque diem foedasse volucres Accipimus*, et amat poeta eiusmodi plura conferre; denique Oxon. prim. si non inter optimos, certe inter meliores referri debet, quare non est, quod de hoc loco dubites.

VII, 257. 58.

Haec eadem est, hodie quae pignora, quaeque Penates
Reddat, et emerito faciat vos Marte colonos.

Versus desunt in Voss. pr. a man. pr.; in Voss. 2., Reg. 1., Oisel. et novem vetustissimis Cortii, si diversi sunt ab illis; praeterea neque a meo Lips. a, neque ab Oudendorp. Scholiasta explicantur. Deinde languere videntur, ubi de Caesare, non de milite, sermo est; denique v. *hodie*, ut dictum est, displicet. Quare versus damnat Oudend., nec non Cortius, nisi *hodie* corrigas. Male tamen uterque; licet enim meliores sint libri, qui versum utrumque non agnoscunt, h. l., ubi verba librarii negligentia aperte interciderunt, nullam habent auctoritatem. Fefellit enim librarium v. *Haec* ab initio vs. 254. 257. 259 repetitum; unde ex eadem causa in Thuan. 1. sequentia a vers. 259 usque ad vers. 261 non leguntur. Neque Scholiastae aliquid probant; satis antiquus enim error fuisse videtur, ita ut in plures libros manarit. Deinde ratio non intelligitur, qua hi versus ab interpolatore diti sint; nam propter v. *triumphum* additos esse non verisimile est. Sensus autem verborum Lucano dignissimus est; plura enim h. l. per anaphoram coniuncta sunt, ut infra, qui locus huic respondere videtur, *credite* 369. 371. 374. Caesar milites admonet, sibi ab iis promissam esse diem, quae triumphum

Digitized by Google

praeberet; sed magis eos commovere debere, quod victoria recuperata quisque suos revisurus et rura acceptur sit. Id quod prae ceteris h. l. commemorari debebat, cum Caesar flagitantibus militibus praemia iam prius concessisset, cf. I, 340 sqq.; V, 270 sq.; 305; 350. Sequentia quoque haec probare videntur; redit enim poeta ad vers. 254 sqq. in vers. 261, et ad vs. 257 sqq. in vs. 264, varians ex more suo eandem sententiam maxime in orationibus, ubi rhetorem agit. — Restat illud *hodie*, quod sane, ut nunc scribitur, displicet, et a Burm. licet nimis audacter tentatur. Possis fortasse *socii*, ut I, 299 suos alloquitur; sed recte habet *hodie*, modo per se sumatur, inter commata positum, ut sit per epexegesin additum illis, *haec eadem est*, quod interdum factum videmus. Reliqua denique aptissima et poeta digna sunt; recte *penates*, quod optimi Cdd. habent; sic infr. 346; II, 729 et IX, 230 *penates* et *nati* coniunguntur. *Emerito Marte* autem, quod in Edit. Burm. aberrante calamo vel typotheta in *immerito* male mutatum est, ab Oudendorp. bene defenditur: *emeritus Mars* i. e. peractus, confectus, cf. Liv. 39, 19 *Ut P. Aebutio* emerita stipendia *essent*. Suet. Cal. 44 *Commoda* emeritae militiae, et quae Oudendorp. et Burm. ad h. l. laudant. *Faciet* denique pro *faciat* legitur in Voss. 1 fortasse non male; futurum enim melius convenit Caesari certa praemia promittenti, quam coniunctivus, et saepius noster praesens atque futurum coniungit, cf. I, 349 quae rura *dabuntur — aret*; eadem ex causa I, 379 *faciet*, non *faciat*, scripserim.

VII, 709.

Adspice securus vultu non supplice reges.

Verbum *Adspice* ab initio huius et versus proximi positum effecit, ut librarius Oxon. 1, saepius in hac re peccans, hoc quoque loco errarit; sensus autem reliquorum verborum perfectus, ut errorem suum non sentiret. Versus optimus est, multumque ad hunc locum facit, ubi Lucanus Pompeium tranquillo et quieto animo esse iubet, solatio petito ex eo, quod mundus eum adhuc adoret. Itaque sine dubio *securus* legi

Digitized by Google

debet, non *securos*, quod in Reg. 1 a m. pr.; cur enim *securi reges?* imo *securus Pompeius*, ut ex ratione totius loci apparet; eodem modo supra vs. 613 Domitius: *Liber ad umbras et securus eo.* Anaphora denique, quam noster amat, loco maxime convenit, et poetae animum commotum prodit, itaque iam antea vs. 703 et 4 *Quidquid* et vs. 705 *Crede* repetitum est.

VII, 740.

Quod sibi quisque dabit. cunctis en plena metallis.

Versus non legitur in uno Cortii; omissus fortasse, quia v. *quam*, quod pro *quod* in Cod. quoque Hulsii est, repetitum e vers. 739 errori ansam praebuerat, et sensus reliquorum verborum sine his satis iustus erat. Nulla autem adest ratio, cur haec a librario addita putem, imo sunt Lucani, ut cetera; vv. enim *quod — dabit* recte a Caesare dicta sunt, militi suo morem gerente; in reliquis vero poeta, ut saepius, generaliter proponit, quae per singula deinde exequitur. Quare minime probaverim coniecturam Heinsii *fulvis* pro *cunctis* corrigentis, quae verba, quantum scio, nunquam in libris commutantur.

VIII, 695.

Et regum cineres exstructo monte quiescant.

Verb. *cum* ab initio vers. 694 et 696 repetitum causa fuit, ut librarius Cod. unius apud Cortium haec omiserit; salvus autem sine his sensus, ut error eum lateret. Versus sine dubio genuinus est, quod quodammodo iam *cum* vs. 696 repetitum ostendit, alias per anaphoram a poeta non positum; deinde ratio interpolandi non apparet. In singulis autem *exstructo* bene dictum est, ut II, 158. VI, 825. *Monte* denique, quod a glossa Lips. c per *prae magnitudine tumulorum* explicatur, male a Cort. in *mole* mutatum est; per *montem* enim non montem quendam certi nominis notat, sed tumulos illos, sepulcra illa regum, quae montis instar ab Aegyptiis exstructa erant, atque a poeta, ut solet, per singula, per Pyramidas et Mau-

Digitized by Google

solea in sqq. exponuntur, cf. IX, 155. Virg. Aen. XI, 849. Dempst. ad Rosin. Antiqq. V, 59 p. 631. 634.

IX, 733.

Nec vobis opus est ad noxia fata veneno.

Versus desideratur in uno Bersm. in pluribus apud Guietum, et salvo sensu abesse potest; sed hoc ipsum, sicuti v. *Nec* ab initio vs. 732 et 733 positum, causam praebuit, ut librarius erraret, neque errorem sentiret. Sensus est, dracones non veneno, sed magnitudine sua, viribus suis, quae amplexi sint, necare.

IX, 907. *Psyllus habet*

usque ad v. 910 *nocentia monstra* in Cod. Richel. exciderunt, quia v. *Psyllus*, repetitum ab initio vers. 911, librarium in errorem induxerat, ut recte Burm. ad h. l. notat. Nexus aperte ostendit, haec nullo modo abesse posse; altera enim comparationis pars exspectatur, neque vv. *pignora gentis* et *Psyllus adest populis* cohaerent; reliqua autem optime dicta sunt. *Tactos* mutari non debet, cum notionem primariam habeat; *diros* autem ex correctione ortum videtur. Cur denique vv. *si quis* transponi debeant, quae paulo post in eadem sede sunt, non video; maiori cum veri specie Cortius *contenta sua gens illa* pro *g. il. sua cont.* fortasse propter *a* iteratum dedit; sed talia noster non curat, ut infra videbimus.

X, 340.

Poenaque civilis belli et vindicta senatus.

Unus Cortii Cod. versum omittit, quo recte carere non possumus; excidit, cum librarius in vv. similibus *Poenaque* vs. 340 et *Paene* vs. 344 aberrasset. Singula bene iam ab Oudendorp. constituta sunt, deletó *et*, quod in nullo, quantum scio, Ms. legitur, ita ut *vindicta* sit appositum ad v. *poena*. Displicet *et* jam propter elisionem vocalis *i* et *e*, quamquam noster in hac re non admodum diligens est, cf. I, 605.

Digitized by Google

V, 79. 257. 493, sed semper in arsi; minus bene seq. *et*, ut I, 595.

Eodem modo eadem vel similia verba et syllabae in mediis versibus ansam praebuerunt, ut duo vel plura hemistichia exciderent, cuius rei exempla in Lucano haec sunt. In praeclara illa Caesaris cum fulmine comparatione omittit librarius Amstel. versum

I, 153.

Rupitque diem populosque paventes
Terruit,

inductus verbis *Emicuit* et *Terruit*, similiter exeuntibus, in eadem sede versus et in fine sententiae; sed quis de versu genuino dubitet, licet *Emicuit* facile in *Emicat* corrigi possit? nonne tota comparatio sine his manca foret? ut nihil de singulis dicam, quae optime habent. *Rupit diem* glossator Lips. c per *obscuravit* explicat; sed cf. Sil. It. I, 135 *quaenam subitis horrescit turbida nimbis Tempestas*, ruptoque polo *micat igneus aether*; et Drakenb. ad Sil. III, 196, qui *rumpere*, *scindere coelum*, *polum* saepius dici docet.

IX, 1031. 32.

Plus te nobis debere fateris,
Quod scelus.

Desunt in Cod. Bernensi, ita ut reliqua sine his instum metrum partim excedant, nisi deleveris v. *est*, partim intelligi non possint; accedit, quod causa erroris aperte latet in v. *scelus*, in medio vs. 1031 et 1032 repetito. — Sensum glossa Lips. a ita explicat: *quia innocentem te fecimus*. Quod singula attinet, in Cod. Oudendorp. verborum ordo mutatur; legitur enim *nobis plus te*, probante Oudendorp., sed male; etenim non *nobis* h. l. vim habet, sed v. *plus*, quod ad praeceden tia refertur. Neque *te* et *nobis* iuxta posita offendunt, ita enim saepius in nostro, neque sine vi, cf. I, 203. 279. II, 560. III, 24.

Ex eadem ratione idem vel simile, quod ad litteras attinet, vocabulum in fine versus causa fuit, ut

Digitized by Google

librarii verba genuina interdum omitterent, cuiusmodi loca in Lucano praeter alia, in hac dissertatione passim notata, haec habui:

I, 569. 70.

Tum fragor armorum magnaeque per avia voces
Audita nemorum, et venientes comminus umbrae.

Amstelod. Cod., passim in hac re vitiosus, hos quoque versus non agnoscit, neque fortasse immerito, cum similis sententia infra vs. 578—583 redeat, et facile in huiusmodi locis Lucanus commaculatus esse possit. At apertus est fons erroris in v. *umbrae*, quod cum v. *urnae* vs. 568 confusum inde quoque pro *urnae* inepte legitur. Neque quae sequuntur versibus officiunt; poeta enim in talibus variandis sibi maxime placet, ita ut interdum ineptiat, cf. VII, 151 seqq. Laudatis variis caeli, maris et terrae visis, ad ea transit, quae auditu horrenda et sinistri augurii, cf. Dempst. ad Rosin. Antiq. III, 10 p. 286, et ad umbras ipsas, omnia, ut solet, varians. Quare hic *fragor armorum*, infra vs. 578 *Insonuere tubae;* h. l. *venientes comminus umbrae*, infra vs. 581. 82. *Sullani manes et Marius.* Similia leguntur VII, 175 *Edere nocturnas belli Pharsalia voces visa est*, et ib. 179 *Defunctosque patres et cunctas sanguinis umbras Ante oculos volitare suos.* Deinde sequentia arcte cum his cohaerent; etenim fragore armorum audito, et umbris comminus conspectis accolae diffugiunt. Neque verba singula cur displiceant habent, paucis exceptis. *Tum*, cuius loco in aliis *tunc* est, h. l. melius videtur. Bene quidem scio, discrimen inter haec a Lucano non servatum esse, neque vera esse, quae Oudendorp. ad V, 625 disserit, licet constet, *tum* respondere v. *quum*, ut *tam* v. *quam*, ibique poni, ubi tempus simpliciter notetur, *tunc* vero semper oppositum aliquod habere et, cum vi quadam dictum, quod verbum ipsum ostendat, semper primum locum obtinere; sed ubi *tunc* vel *tum* a Lucano in enumerandis rebus usurpatur, ita ut bis terve positum sit, non puto ab eo variatum esse. Quare h. quoque l. rectius *tum* scribes, quum vs. 561. 565 meliorum Codd. auctoritas *tum* confirmet, cf. V, 190. 92, ubi *tunc* scribendum; VI, 155. 56,

ubi *tum* meliores libri agnoscunt; VII, 475. 77. Deinde pro *magnae* nonnulli Codd. *variae* praebent, minus bene; *ingens* enim *vox*, ut Virg. G. I, 476 *Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentii Ingens*, in hac re solennis est. Seqq. *venientes — umbrae* Burmanno non satis placent, qui *venientis* genitivum, ut videtur, propter v. *nemorum* volebat, sed singularis h. l. non satis quadrat; pluralis autem optime v. *auditae* coniungitur: *voces sunt auditae per avia, et umbrae comminus venientes*, i. e. ad urbem accedentes, ut infra 581 *Tristia Sullanis cecinere oracula manes.* Denique libri in scriptura v. *cominus* et *comminus* fluctuant; meliores Codd. Voss. 1. 2. 3 h. l. recte *comminus* habent; ortum enim est ex *cum*, *com*, et *manus*; sic *eminus* ex *e* et *manus*, cf. Fronto p. 1529 Gothofr. *Comminus et eminus de iaculis, quod illud a manibus non recedit, hoc e manibus emittitur.*

In descriptione Sullanae caedis versus

II, 144

Sed quum iam soli possent superesse nocentes

a Cod. Thuan. 3 abest, librario v. *nocentes*, quod in fine vs. 143 legitur, in errorem inducto. Burmannus, auctoritate huius Cod. fretus, versum deletum vult, sed interpolatione non satis probata. Offendere enim non debet, quod proximi versus in idem verbum exeunt, cum Lucanus in perpoliendis versibus non admodum diligens talia passim admittat, cf. III, 631. 33 *pontum — ponto*; IV, 406. 27 *undas*; 435. 36, 38 *undae — undas — undae*; 546. 48 *cornu*; 570. 71 *pontus — ponti*; VI, 683. 85 *herbas — herbis*, ubi cf. Oudendorp. et simile verbum IV, 128. 29 *colles — calles.* Accedit, quod verb. *nocentes* h. l. cum vi aliqua repetitum sit, ut in Ovid. Met. IX, 487. 88; Iuvenal. 13, 33, neque aliam sedem habere possit, quod Lucanus ipse multis locis docet. Deinde nego verborum sensum sine his recte habere; illa certe *periere nocentes* ab his demum, quibus respondent, vim suam accipiunt. Poeta, ut solet, ironiam in his ostendit, non probans, quae Burm. de studiis nostri in Sullam

Digitized by Google

monet, cf. infra 207. 221. Possis denique de nexu verborum dubitare; sed omnibus recte consideratis apparet, versum ad priora referri debere, ita ut sequens *tum* novi quid indicet. Sensus autem hic est: Venit Sulla post scelera et caedem Marii, qui quidem noxios morte punivit, cum nocentes tantum superfuissent; sed sine commodo reipublicae. Alio modo Schol. Lips. b *periere nocentes i. Marii fautores vel familiares, sed tunc periere, cum exhausta urbe soli possent superesse; vel* (sic scrib. pro *ut*) *ita p. n. et bene quod periere nocentes, sed cum soli nocentes possent superesse i. sufficere crudelitati illorum, tunc data est libertas odiis. Nocentes* vs. 144 sunt qui a Sullae partibus stant; et *quidem*, ut saepius, sequente *sed* vel alia particula adversativa, omissum est, v. Sanct. Minerv. IV, cf. 7. T. II, p. 319. Bauer.

II, 325.

Excitat in nimios belli civilis amores.

Oudendorp. Cod. versum non agnoscit; suspicionem interpolationis auget similis exitus in *calorem* et *amores*, praesens *excitat* post praeteritum *movit*, denique sensus post v. *calorem* perfectus, praesertim si *furorem* ex Voss. 1 pro *calorem* legitur. Sed fefellit librarium, quem saepius in hac re errasse deprehendimus, similis exitus v. *calorem* et *amores*, ut nihil dicam, quid interpolatorem hunc versum addere moverit. Deinde similis versuum exitus non est causa, cur aliquid damnari debeat; talia enim saepius in Nostro reperiuntur, cf. I, 169. 70 *ligones — colonis*; III, 54. 55 *amores — favoris*. Recte quidem Burm. de versibus homoeoteleutis disputat ad I, 115; II, 144; III, 15; sed in eo errat, quod omnia exempla corrigi vult, cf. II, 288. 89 *nocentem — cadentem*; IV, 326. 27 *rigatus — meatus*; 661. 62 *locorum — priorum*; V, 639. 40 *trementes — tumentes*; 660. 61 *peregi — subegi*; 665. 66 *meorum — honorum*; 730. 31 *fata — parata*; VI, 101. 2 *vivis — civis*; 438. 39 *nocentes — canentes*; VII, 678. 79 *paventem — ferentem*; 750. 51 *patentes — nocentes*; 763. 64 *nocentes — furentes*; VIII, 600. 1. 2 *putasset — vacasset — fugasses*, ubi meliores libri *vacaret* habent; (Versus

602 autem immerito Gueto suspectus a Lucano additus est, ut sensum praecedentis variando exponeret, neque recte abesse potest, quod seq. vers. 605 docet.) IX, 398. 99 *bibentem — petentem*; 650. 51 *colentes — gentes*. Denique male Bentl. v. *excitat* in *excit* correxit; ponitur enim praesens una cum perfecto, ubi duae actiones ita coniunctae sunt, ut altera praesens sit et restet, altera praeterita, ut h. l. Cato enim *movit stimulos irarum* oratione sua, quae actio est praeterita, sed illam alia sequitur *excitat calorem iuvenis*, sic ut amor belli civilis in iuvene permaneat, cf. IV, 435 Noluit *tentare ratem celeresque carina* Continet, *et temere ingressos repetendum* invitat *ad aequor*; V, 792 Exsiluit *stratis amens, tormentaque nulla* Vult *differre mora*. Eodem modo praesens a praeterito excipitur, ut IV, 11 *Colle* tumet *modico lenique* excrevit *in altum Pingue solum tumulo*. Alia est res, ubi praesens ita praeterito coniungitur, ut praesens actionem per temporis spatium durantem, praeteritum autem actionem aoristicam notet; sic IV, 30 *Dum primae* perstant *acies*, circumdedit *agmina fossa*; cf. IV, 260—62; 288. 89; VIII, 583. 84; alia est ratio, ubi utraque actio est aoristica, ut I, 488. 89 *Sedibus* exiluere *patres invisaque belli Consulibus fugiens* mandat *decreta senatus*, cf. V, 47. 49; denique alia est res, ubi plures actiones ita coniunctae sunt in oratione commotiori, ut poeta in temporibus commutatis varians res mox pro praesentibus mox pro praeteritis describat; sic I, 154 de fulmine: Emicuit rupitque *diem populosque paventes* Terruit — *In sua templa* ferit — Dat *stragem late sparsosque* recolligit *ignes*; 239 *iuventus* Deripuit *sacris adfixa penatibus arma* — Invadunt *clypeos* (ita enim meliores Cdd. pro *deripiunt* habent); cf. II, 50 — 53. IV, 197 — 200.

VI, 684. 85.

Addidit et quidquid mundo dedit ipsa veneni;
Tunc vox Lethaeos cunctis pollentior herbis.

Versum utrumque omittit Reg. 1, passim in hac re peccans; priorem Oxon. 1 non multo melior Regio, et h. l. prae ceteris mutilatus, atque Amstel. a m.

Digitized by Google

pr., quem saepius in hac re notavimus. Sensus sine priori versu, nam alterum omitti non posse nexus verborum et res docet, quodammodo constat; sed hoc in causa fuit, ut librarius errorem, in quem repetitis in fine versus 683 et 685 verbis *herbas* et *herbis* inductus esset, non sentiret. Apparet autem toto ex loco versum 684 genuinum esse; respondet enim vs. 670 *Huc quidquid fetu genuit natura sinistro Miscetur*; quibus singulis enumeratis recte opponit venena a Thessalide ipsa data mundo. Neque auctoritas illorum Codd. tanta est, quae versum delere possit, optimis MSS. ac Scholiastis Oudendorp. et Lips. a probatum. Singula offendere non debent: *et*, quod in Lips. b man. alia additum est, facile propter syllabam proximam in *Addidit* negligi poterat, ut saepius factum videmus; abiit in seq. verbum, cf. Oudendorp. in var. lect. ad I, 601; III, 489; haustum est a praecedenti syllaba, III, 84 *que et*; IV, 238 *ferae et*; 281 *um et*; 471 *ti et*; omissum est omnino I, 408; III, 187; 492. Neque corrigi debet *Addidit* in *Adiicit*, quod Heins. Advers. I, 14, p. 150 voluit, nimirum ob seq. *dedit*; in nostro enim interdum verbum compositum et simplex coniuncta reperiuntur, cf. I, 45 *acta — peracta*; V, 660. 61 *peregi — subegi*; VII, 308 *cura — secura*.

VII, 162 — 64.

Vixque revulsa solo, maiori pondere pressum
Signiferi mersere caput, rorantia fletu,
Usque ad Thessaliam Romana et publica signa.

Versus non leguntur in uno Bersm., pluribus Guieti et Oxon. pr. a man. prima; fefellerat enim librarium v. *signa* in fine versus 161 et 164 repetitum. Sententia et verba suspicionem interpolationis minime movent, sed optime habent, excepto v. *mersere*, quod ab Oudendorp. aliisque per *inclinavere*, *depressere* explicatur, ut *signiferi* nominativus sit; nam signa caput alius mergere hac significatione dici non possunt. Verum ita vv. *rorantia — signa* nimis abrupte posita sunt, et, novo subiecto *signiferi* intercedente, non modo nexus turbatur, sed repetitio etiam

Digitized by Google

v. *signa* vs. 161. 164 vim suam amittit. Deinde displicet *pressum*; quid enim h. l. *pressum caput?* num forte a signis? sed quomodo signa caput premere recte dicantur? Quapropter scribendum est ex facili coniectura *pressa* pro *pressum*, deleto commate post v. *caput*, et posito post v. *pressa* hoc sensu: Signa vix evelli poterant, quum maiori pondere, quam solitum esset, fixa et in humo depressa starent. Sic *pressa* quodammodo explicat vv. *vix revulsa*, quod noster amat. Seqq. deinde ita: Signa, quae rorabant fletu, mersere caput signiferi i. e. condebant, cooperiebant guttis caput; lacrimas effundebant, ita ut caput signiferi obtegeretur, obrueretur. — Sic *mergere* de aqua ipsa dicitur V, 75 *fluctu terras mergente*; Ovid. Ibis 344. Neque offendere debet, quod poeta *signa* dicit; addit enim *rorantia fletu*, et fingit signa militum flevisse, ut saepius simulacra sudasse et flevisse dicuntur, cf. I, 536 sq.; Virg. G. I, 480; Senec. Thyest. 703. Denique recte Burm. *Romana et publica signa* explicat; *et* enim positum est pro *et quidem*.

VII, 212. 13.

Attonitique omnes veluti venientia fata
Non transmissa legent, et adhuc tibi, Magne, favebunt.

Desunt versus in Oxon. pr., Codice negligenter scripto, ut saepius iam indicavimus; erraverat autem librarius in syllabis iisdem verbi *movebunt* vs. 211 et verbi *favebunt* vs. 213, neque errorem senserat, cum nova sententia in sqq. incepisset, atque praecedentia sensum sine his habuissent. Possunt versus salvo sensu abesse, sed, cum adsint, melius defenduntur ex more Lucani, eandem sententiam variare amantis, et fere semper Pompeii partibus studentis. Sin verba a Scholiasta Lips. a non explicantur, qui difficiliora loca explicare solet, inde nihil sequitur. Neque denique singula, ut repetita vv. *venientia* et *venient* vs. 208; *fata* et *fatis* vs. 206; *legent* et *legentur* vs. 210, in Lucano versus suspectos reddunt, ut infra videbimus. Alia quoque bene habent; *attoniti* ii dicuntur, quorum mens belli civilis novitate et magnitudine per-

Digitized by Google

culsa stupet, quorum animus commotus et turbatus est, sic VIII, 780 de Codro attonitus *latebras in litore quaerit*, et VII, 134 *sua quisque pericula nescit* Attonitus maiore metu; IV, 474 Attonitam *venturaque fata paventem Rexit — cohortem. Fata* autem recte scribitur pro *facta*, quod a pr. m. in Cod. Lips. b legitur, ex solenni commutatione, cf. Burm. ad I, 121 et Duker. ad Flor. Prooem. 2. *Facta* enim h. l. minus poetice dictum foret, et *fata* verbo *fatis* vs. 206. quodammodo probatur. *Non praetermissa* glossa Lips. a bene per *nondum acta* interpretatur, i. e. non praeterita, non peracta, transacta, cf. Stat. Silv. I, 4, 124 *Nemo modum* transmissi *computet aevi*; Claudian. Cons. Mal. Theod. 141 *Nec tibi sufficiat* transmissae *gloria* vitae. *Adhuc* denique dicit, quia lectoribus omnia sunt futura, quia lectores exitum infelicis pugnae nondum sciunt.

VIII, 253. 54.

Exhaustaeque domus populis; maiorque carinae
Quam tua turba fuit. tendens hinc carbasa rursus.

Similitudo verborum *rarus* et *rursus* in fine vers. 252 et 254 effecit, ut librarius Cod. Reg. prim. vers. 253 et 54 omiserit. Qui sanissimi salvo sensu abesse non possunt, nisi legas *Tum* pro *Iam*, qua tamen coniectura non opus est, cum in versibus non insit, cur Lucano recte abiudicentur. Quod singula attinet, bene legitur *hinc* ex optimis libris, cuius loco alii *hic*, Lips. c *huc* habent; *hinc* i. e. *inde*, quod ex more poetarum, qui in hac re motum, non quietem notare amant, defendi debet, cf. IX, 41.

IX, 36. 37.

Dorida tunc Malean et apertam Taenaron umbris,
Inde Cythera petit: Boreaque urgente carinas.

Uterque versus deest in uno Cod. Bersm., nonnullis Guieti, et legitur in marg. Lips. a man. rec.; sed recte abesse non potest, cum vv. *Creta fugit* absolute posita mire dicta forent, atque reliqua sine his

Digitized by Google

omni nexu carerent. Causa erroris fuit v. *carinas* in fine vs. 35 et vers. 37 repetitum. In verbis singulis nonnulla considerari debent: pro *Malean* in aliis vitiose *Maleon*, in Lips. c *Maleam* legitur; amat noster graecam formam in nominibus propriis, cf. Oudendorp. ad VIII, 431; IX, 159; Burm. ad I, 577 et X, 181. Habet quoque alteram formam in *am*, qua utitur, numero eam postulante. Formam *an* fere semper in arsi posuit, ut IV, 61; V, 543; 705; VIII, 183; IX, 695; X, 280; alteram formam *am* iis in locis, ubi consonans sequitur, cui praecedens *m* melius convenit, sic III, 636 *Lycidam* seq. *m*; VII, 711 *Libyamque*; eodem modo in fine versus, sed VII, 449 *Oeten*; X, 350 *Achillam*, licet 523 *Achillea*. In seqq. male vv. ll. Steph. *per apertam* pro *et apertam* habent; in poetis enim, ut Burm. recte notat, locorum ordo non semper iustus est; praeterea *per*, ortum sine dubio ex proxima syllaba *per* in *apertam*, h. l. scribi non potest. Neutrum *apertum* denique, quod legitur in Thuan. 2, pluribus exemplis probatur, cf. Sen. Troad. 402; sicut forma masculina *Taenarus*, cf. Senec. Herc. Fur. 663; Valer. Flacc. I, 365 *patentem*; sed omnes libri tuentur femininum *apertam*, quod licet uno tantum exemplo confirmari possit, Apulei. Met. I, init. *Taenaros Laconica*, tamen in nostro, qui rariora captat, retinendum videtur, fortasse positum, ut regionem Taenari notaret.

IX, 86. 87.

Pompeius vobis in nostra condita cura:
Me cum fatalis leti damnaverit hora.

Prior versus, suspectus Cortio, expungitur a Burm. cum languidus sit; sed ab omnibus MSS. servatur, licet salvo sensu abesse possit. Lucanus autem saepius in eiusmodi rebus sibi indulget; neque abundat versus, cum Cornelia, filium adhortatura, recte addat, sibi haec credita esse a Pompeio. ut seqq. vs. 98 *exsolvi — peregi* et vs. 100 *commissas voces* quodam modo rem confirmare videntur. Quod singula attinet, bene *vobis* legitur ex optimis Codd., quum *nobis nostro* ingratum sit, neque h. l. quadret; illa enim mandata filios Pompeii, non Corneliam attinent. Deni-

Digitized by Google

que in formula loquendi: *condita in cura nostra* non haerendum est, cum sit poetica, et pluribus exemplis probari possit, cf. Bentl. ad h. l. — Versus 87 non legitur in Cod. Putean., duobus Cortii, in margine tantum Cod. Bouher. et potest salvo sensu abesse; sed ratio addendi neque in illo, neque in hoc apparet, imo causa, cur exciderit. Fefellit enim librarium similitudo verborum *cura* et *hora* in fine utriusque versus; singula autem verba optime habent. *Me* recte ab initio versus ponitur, cum vim h. l. habeat; sic I, 340; VII, 254. *Fatalis hora* (ita enim scribendum est, Codd. omnibus suffragantibus, cum *fatali* propter proximum *leto* ortum sit,) eadem est, quam poeta VIII, 610 *extremam* dixit, et mortem secundum leges naturae et fati significat. Denique *damnaverit*, cuius loco Cod. S. Germ. male *dignaverit* habet, dictum est ut VIII, 485 *Ausus Pompeium* leto damnare Pothinus, cf. ib. 570 et II, 733, ubi eadem est lectionis varietas.

IX, 319—21

Ut primum remis actum mare propulit omne
Classis onus; densis fremuit niger imbribus Auster,
In sua regna furens: tentatum classibus aequor.

Leguntur in margine inferiori Lips. d, et desiderantur in duobus Cortii, si diversi sunt ab illo; in tribus aliis Cortii omittitur versus ultimus; sed neque duos priores, neque ultimus salvo sensu abesse possunt. Poeta enim, Syrtibus descriptis, Catonem eas intrasse, et quomodo eas intraverit dicere debet, ut factum est vs. 319 et 20; deinde *turbine defendit* prioribus sine his recte coniungi non possunt, quum id quod Auster defenderit requiratur. Denique, ut nihil dicam de optimis libris et Scholiastis, qui hos versus agnoscunt, non apparet, qua ratione a librario orti et inculcati sint, qui, si qui alii, poeta nostro dignissimi sunt, et iam propter vv. *in sua regna furens* defendi debent. Versus sine dubio exciderunt negligentia librarii, errantis in v. *aequor*, quod in fine vs. 318 et 321 positum est, vel, si versum 321

Digitized by Google

solum spectas, in similitudine vv. *Auster* et *aequor* in fine huius et praecedentis versus. Quod singula attinet, plura h. l. notanda sunt. Variant libri in vv. *actum* et *ictum*, nam reliqua ex errore orta sunt; Bentl. probat *ictum* de mari, cf. II, 458, cum *acta* semper sit navis, cf. II, 683. III, 536; sed *actum* de mari quoque dici, probant Oudendorp. et Burm. ad h. l. Discrimen illud omnino falsum et ex Lucano tantum haustum videtur, utrumque enim dicitur *ictum mare* et *icta navis*, cf. Ovid. Met. XI, 507 de nave *saepe dat ingentem fluctu latus icta fragorem;* Trist. I, 10, 8; Burm. ad Valer. Flacc. IV, 48; Heins. Advers. I, 18 p. 186. Male autem Oudendorp. *mare* accusativo casu accipit, quum positio verborum verba *omne* et *classis onus* nominativos esse aperte doceat; neque exempla ab Oudendorp. laudata officiunt. Recte enim h. l. additur *remis actum mare*, ut sit remis propellitur classis, cf. VII, 789; neque causam, cur dici non possit, quod natura undarum probet, video. *Propulit* vero recte, cf. Burm. ad Propert. I, 8, 13, quum *protulit* ita non dicatur, neque *pertulit* Hulsii h. l. quadret. Denique in v. *classibus* vs. 321 et in vv. *classis onus* vs. 320 variat Lucanus, qui mox pluralem, mox singularem ponit, cf. II, 707; 711; III, 1; 47; V, 408; 458.

IX, 515 — 18.

Non illic Libycae posuerunt ditia gentes
Templa; nec Eois splendent donaria gemmis.
Quamvis Aethiopum populis, Arabumque beatis
Gentibus, atque Indis unus sit Iupiter Hammon.

Cod. Oudendorp., quem saepius in hac re notavimus, hos quoque versus salvo reliquorum sensu omittit; accedit quod locus talis est, quo librarii sua addere soleant; praeterea sufficiunt, quae infra vs. 519 sequuntur. Nihilo minus versus damnare non ausim, quorum verba optima, neque Lucano, qui pluribus eandem rem variare amat, indigna sunt. Deinde vv. *pauper adhuc deus est* melius versui 517 quam vs. 514 coniunguntur; denique, quod maxime h. l. valet, causa adest, cur versus exciderint; erravit enim li-

Digitized by Google

brarius in v. *Hammon*, quod in fine vs. 514 et 518 legitur. In singulis nonnulla rectius constitui debent; male Cort. *illi Libyae gentes* correxit, *illi* fortasse propter vs. 512, ubi est eadem vox; sed saepius ita in nostro, neque dativus h. l. satis placet, ubi templi situs describitur. *Libyae*, quod in uno tantum Hamb. et Edit. Venet. legitur, loco IV, 669 defendi possit, ubi sine dubio *Libyae* ex melioribus libris reponendum est; sed adversantibus Mss. optimis nihil muto, praesertim quum forma adiectivi *Libycus* saepissime in nostro legatur, nisi a Cortio mutata, cf. supra 511 et infra 707; 805. Altera contra forma *Libyus*, quam Cortius, ut videtur, h. l. et infra 537 et 547 volebat, neque simili adiectivorum forma, neque aliorum exemplis probari potest, quum *Libya terra* IX, 420 et similia alio modo explicari debeant, cf. Oudendorp. l. l. Quare malim *Libya*, adiective positum, in aliis locis per metonymiam explicare, vel alteram formam in *eus* ut h. l. restituere. Pro *nec* vs. 516 Lips. d *neque* habet, quod in nostro plerumque vocali sequente ponitur; sed in fine versuum vel ubi crasis minus bona foret *nec*; in fine versus *nec umquam* III, 288; *nec ipso* III, 389, ubi male alii *neque* reponunt; *nec ignes* X, 463; et in medio versu VII, 588 *nec humanam*. Eodem modo Editt. quaedam vs. 518 *ac* pro *atque* praebent; sed, quantum memini, in nostro numquam *ac* ante vocalem, sed semper *atque* legitur, cf. VII, 184; 488; 559. — Denique Brios. in Epist. ad Palmer. p. 964 Edit. Oudendorp. Lucanum cum Curtio et Diodoro Siculo de Hammone diversa tradentibus conciliare studet; puto frustra et opera perdita, quum alia h. l. sit ratio Lucani, cur pauperem fecerit Iovem, ac Diodori et Curtii.

Eodem modo sensus verborum librarii errori suffragatus est, ita ut versus, quia sine aperto totius sententiae detrimento abesse poterant, interdum exciderint. Cuius rei, praeter alia passim commemorata, haec habeo exempla:

I, 268. 69.

Hos iam mota ducis, vicinaque signa petentes
Audax venali comitatur Curio lingua.

Digitized by Google

Prior versus ab uno Cortii abest; librarius enim verbo *tribunos* ex vers. 266 ad v. *comitatur* intellecto, versum 268 salvo sensu omittere poterat. Verum neque in sensu, neque in verbis singulis video, quid locum suspectum reddere possit, recte ab Ascensio et Burm. explicatum. Loco verbi *mota* Lips. c *fata* habet, sed recte *mota*, ut v. *iam* docet, ita ut *iam mota* et *vicina* sibi respondeant, et alterum ex more nostri alterum explicet; multo minus quadrat *nota* ex Rottend. *Hanc* autem pro *Hos* propter v. *Curia* ortum est.

I, 612.

Cornua succincti premerent quum torva ministri.

Deest versus in Marp. et excidit, quia reliqua sine eo sensum satis aptum praebebant; sed quum omen infaustum sit tauri antea impatientis, nunc a ministris pressi sua sponte collum praebentis, verba damnari non debent. Alia tamen fortasse offendunt; v. *torva*, quod de rebus sensus et effectus capacibus tantum dictum a Bentl. in *vara*, ab Heins. in idem vel in *torta* (cf. IX, 514) corrigitur; sed coniectura non opus est. Dicitur *torvus* interdum quoque de rebus inanimatis, neque in verbo inest, cur fieri non possit, notat enim omne, quod terreat, terribile visu sit, ferociam aliquam prae se ferat; quare de *facie* Virg. A. VII, 415; de *forma* Ovid. Pont. II, 8, 22; de *oculis* Ovid. Met. V, 92; de *fronte* Virg. A. III, 636 et Burm. ad Claudian. IV Honor. 518; de *ore leonis* Claudian. I. Cons. Stil. II, 460, ubi Burm.; de *cupresso* Plin. H. N. XVI, 33: imo *cornua torva*, licet in re musica, Pers. I, 99. Quare de *cornubus bovis* quoque, cum cornua eius terribilia adspectu sint, unde bos ipse *torvus*. Epitheton quidem non multum ad locum facit; sed Lucanus exemplum Homeri secutus talia epitheta amat, cf. I, 183; 185; 473; 655.

II, 265.

Quamvis alieno vulnere labens,
Et scelus esse tuum.

Cod. Bernens. verba non agnoscit, quae salvo sensu,

Digitized by Google

neque tamen salvo metro, abesse possunt; sed haec ipsa causa fuit, cur librarius in errorem lapsus esset. Singula verba bene habent; *alieno vulnere labens* i. e. etsi iam vulnere accepto, a tua tamen manu mori volet. Quis nolet esse scelus tuum? etenim non intelligendum est *vult* ex *nolet*, ut Burm. putat, et in Cod. Thuan. 4 pro glossa legitur; sed *nolet* haec ipsa regit, quare signum interrogationis post v. *tuum*, non, ut Burm. fecit, post v. *mori* ponas; sic coniectura non opus est. *Scelus* autem h. l. non causam sceleris significat, ut Burm. et alii volunt, sed propriam suam significationem habet; cives enim, a Catone interfecti, ipsa sunt scelera Catonis. Sic scelus saepissime in nostro de caede civium, cf. II, 208 *Spectator sceleris*; IV, 252 *velut occultum pereat scelus*; V, 248 *scelere imbutos enses*.

Interdum hanc negligentiam observavi, ubi plures res simpliciter per copulam *et* vel sine copula coniunctae sunt, ita ut unus vel alter versus facile omitti potuerit.

II, 362

Balteus haud fluxos gemmis adstrinxit amictus.

Versus in Cod. Amstel., cuius incuriam iam supra notavimus, salvo reliquorum sensu omissus facile interpolatoris esse potest, qui, quum plura h. l. in re nuptiali commemorata vidisset, haec addenda existimaret; sed noster in eiusmodi rebus adeo diligens, ut interdum nobis taedium moveat, non facile *balteum*, rem in nuptiis primariam, omiserit; praeterea singula verba poeta digna sunt. *Aut* sine dubio scribendum est, quod saepissime cum *haud* in libris commutatur, cf. Oudendorp. ad I, 506; VIII, 378; Arntzen. ad Caton. p. 101. *Haud* h. l. non quadrat, ut positio verbi, usus loquendi post *non*, et v. *fluxos*, quocum secundum nuptiarum ritus coniungi non potest, docent. *Non* autem ex praecedentibus subintelligi debet, ut supra vs. 354 sqq., ubi *que* sequitur et vs. 363, cf. Heyn. ad Virg. A. III, 42 et Oudendorp. ad II, 373; V, 547; Bentl. ad Horat. Serm. I, 6, 68. — Denique rectius *adstringit*, quod propter praece-

Digitized by Google

dens *velarunt*, ut saepius factum est, in *adstrinxit* mutatum videtur, licet praeteritum quoque h. l. defendi possit. Sed praesens ponitur, ut vs. 355 sqq. et vs. 364.

II, 409

Eridanus fractas devolvit in aequora silvas.

In Cod. Bernensi negligentia librarii versus excidit, qui salvo reliquorum sensu fortasse abesse possit; amant enim poetae nomen alicuius rei per ambages indicare, ut vs. 408 sqq. factum videtur; sed Cod. ille non est optimae notae; deinde non apparet, unde talia orta et addita sint; denique verba *Hesperienque* etc. vs. 410 non satis apte sine his cum prioribus cohaererent. Ceterum *fractas devolvit* recte legitur, probatum ab omnibus fere Mss., licet *fractasque evolvit* defendi possit; copula enim h. l., ubi describitur, non opus est. Quare Waddelii quoque coniecturam *qui volvit* scribentis improbo, qua priora tantum explicarentur. *Devolvere* autem de fluvio bene dicitur, ut infra vs. 422 *delabitur* de Volturno; IV, 101 *palus detulit*; VI, 77 *descendit Tybris*: VIII, 438 *nostra cadavera Tigris Detulit in terras* et 466 *In vada* decurrit *Pelusia septimus amnis*, cf. Burm. ad Phaedr. I, 1, 8. Inde quoque altera lectio *in aequora* ex plurimis Cdd. pro *in aequore* probari debet, quippe quae melius ad v. *devolvere* quadret, cf. ll. ll., ubi *in* accusativo coniunctum motum vel directionem notat.

III, 122

Victorem clara testatur voce Tribunus.

Versus in Cod. Bern. excidit, quum sensus reliquorum sine eo salvus fuisset. Anacoluthon tamen, quod omisso versu oritur in vv. *prohibensque rapina*, non admodum placet, licet interdum v. *ait* desit, cf. II, 522 *Et secum*; V, 539 *tum pauper Amyclas*; IX, 123. 125 *contra talia frater*; et rectius ubi orationis vis et vehementia notatur, cf. II, 493 *calida prolatus ab ira*, quae etiam si h. l. adsit, tamen obficere videtur structurae. Restant alia. Bentl. enim *ductorem* pro *victorem* vult, sicuti infra vs. 133. *ductor*

Digitized by Google

ex nonnullis libris. Saepissime *ductor* et *victor* commutantur in Mss., cf. Burm. ad IV, 47; sed h. l. omnes libri *victorem* agnoscunt; deinde *victor* fere semper Caesar eiusque exercitus nominatur, cf. I, 339 *quod non victrices aquilas deponere iussus Paruerim*; et 347 *Tollite iam pridem victricia, tollite signa.* Haec propter victoriam in Gallia paratam, sed qui solus in Italia stat, fugato Pompeio, nonne erat *victor?* Quod noster ipse aliis in locis aperte indicat, II, 708 *Heu pudor! exigua est fugiens victoria Magnus*; III, 48 *non illum gloria* pulsi *Laetificat* Magni, et 51 *nec* vincere *tanti, Ut bellum differret erat*; 79 *Perdidit o qualem* vincendo *plura triumphum!* Quare rectius quoque III, 71 *victor* ex pluribus libris legitur, praesertim quum *ductor* ibi minus aptum videatur, neque Tribunus audax intercedendo victoriam Caesari eripuerit. *Testatur* denique verbo *victorem* a Bentl. bene coniungitur, positum h. l. pro testem Caesarem adhibet, ut VII, 690 Testare deos, *nullum qui perstet in armis Iam tibi, Magne, mori*; Virg. Aen. IV, 357 Testor *utrumque caput*. Similiter Virg. Aen. VI, 619 *Admonet et* magna testatur voce *per umbras.*

III, 155

Protinus abducto patuerunt templa Metello.

Versus a Cod. Puteaneo, qui raro versus omittit, abest; sed quum in seq. versu nova incipiat sententia, salvo sensu excidere poterat, qui tamen melius adest. Indicari enim debebat, quid cum Metello factum sit, et abducto demum Metello, qui audax pro aerario pugnasset, fores revulsas esse. Singula autem verba Lucano non indigna sunt.

IV, 66

Sol patitur, quidquid coeli fuscator Eoi.

Oudendorp. Cod. versum non habet; coniunxerat enim librarius *quidquid concrescere primus Intulerat* (ita legitur in Cod. Oudendorp.) *Corus*, quae salvo sensu pro librariorum captu coniungi poterant; accedit, quod in Cod. Hulsii versus 65 mutato ordine

Digitized by Google

versum 67 sequitur. Utrumque male et sine sensu; quomodo enim haec cohaereant? quid sibi velit *primus Corus?* Sed recte dicitur *Sol patitur concrescere nebulas*, cf. supra vs. 53 *Non duraturae conspecto sole pruinae*, et *sol primus*, ut X, 435, est sol oriens, aurora. Deinde non apparet, unde versus in textum venerit; denique verba singula minime interpolatorem arguunt. *Fuscator* enim, cuius loco male in Bersm. Cod. legitur *frustrator*, est *Corus*, *quia*, ut Schol. Lips. b dicit, *ab occidente flat, et nubes impellit ad orientem;* quia coelum nubibus obducit, obnubilat, cf. Intpp. ad Valer. Flacc. I, 396.

Eadem incuria effecit, ut librarius Cod. Reg. 2, in quo rarissime genuina desunt, versum IV, 88

Caesaris arma natant, impulsaque gurgite multo,

qui nullum interpolationis signum habet, omiserit; cohaerere enim putaverat *naufraga campo castra labant;* sed quomodo *naufraga castra?* et si *naufraga*, cur *labant?* Haec librarius nos doceat velim. Recte *impulsa castra labare* dicuntur, cf. infra 302 Impulsa *levi turbatur glaria vena*, et 331 *imbres quorum modo cuncta natabant* Impulsu. Thuan. 4 *impulsa sine que* habet, fortasse verbo *arma* coniungendum, si leges metri addicerent; saepissime autem *que* in libris Mss. omittitur et additur, cf. Oudendorp. Var. Lect. ad I, 28; 155; 213; 239, ubi omissum, et ad I, 76; 81; 88; 170, ubi additum est.

IV, 171

Et fratres natosque suos videre patresque.

Damnatur versus ab Oudendorp. et Burm. auctoritate Cod. Thuan. 3, in quo non legitur, et Cod. Bouh., Voss. 3 et Thuan. pr., quibus a sec. man. additus est; accedit varietas lectionis, quae interpolationis suspicionem auget. In Voss. 1, 2, Lips. d et 6 Burm. legitur *Hic* pro *Et;* in Rottend. 1 *Et natosque fratresque*, claudicante metro; *videreque patres* in uno apud Cort.; *parentes* pro *patresque* in Marp., Ou-

Digitized by Google

dendorp., tribus Burmanni et 5 Cortii, si diversi sunt; *petentes* in Voss. 1.; denique verba, ut nunc leguntur, Oudendorpio notante, humile quid spirant. Nihilo minus versum defendendum arbitror, qui quidem a melioribus Codd. abest; sed ab aliis iisque pluribus agnoscitur; praeterea non intelligitur, unde versus spurius ortus sit, nisi forte per explicationem vv. *lumina conspicuos vultus habuere*, quod tamen non est verisimile; facilius autem omitti poterat, quum sensus reliquorum sine eo salvus esset. Deinde varietas lectionis talis est, quae minime explicationem in metra redactam ostendat, sed omnibus fere locis reperiatur; ab initio versuum enim saepe verba commutantur. *Patresque* autem facile in *parentes* abire poterat, vel in *patres*, omisso *que*, unde alius, versu claudicante, *videreque patres* tentavit. Denique sententia ipsa non habet humile quid vel Lucano indignum. Imo poeta ex more suo priorem sententiam, Caesarianis et Pompeianis copiam mutuo intuendi factam esse, explicat, et scelus postea commissum ostendens recte addit, quemque suos, natos, fratres, patres conspexisse; quae optime clauduntur in seqq. *deprensum est civile nefas* (ita enim lege pro *depressum*, quod sensum satis aptum non praebet) i. e. tunc demum, postquam parentes et fratres conspexerant suos, intellectum est, quantum nefas, quantum scelus sit bellum civile. Haec, deleto illo versu, minus recte starent; praeterea hanc sententiam Lucano admodum placuisse, probant similia I, 376; III, 326. 27; IV, 563; VII, 320—25; 453. Recte vero singula Oudendorpium offendunt; cur enim *videre* de *luminibus* post illa *conspicuos habuerunt vultus?* deinde quid *lumina videre natos suos, fratres, patres?* Attamen neque secando, neque corrigendo h. l. opus est; putabam ego quoque oppositionem quandam h. l. inesse, ut vs. 563, et varia tentabam; sed omnia optime habent, modo meminerimus, Lucanum, ut infra VII, 154 videbimus, interposito alio subiecto, ad prius interdum redire. Sic hoc quoque loco factum est, ut poeta ad subiectum v. *locant* redeat, et in seq. *tenuere* pergat. Nunc *suos*, quod in his et similibus fere semper omittitur, locum suum habet, ut I, 563 *matremque suus conterruit infans*, ubi

minus recte *suam* in Voss. 2 et Qudendorp. Ms. legitur.

IV, 383

Victori miles spoliato pectore tutus.

Verba desiderantur in Fragm. S. Germ., quum sensus, qui sine his quodammodo constat, librarium in errorem induxisset; sed ne recte quidem abesse possunt, quia subiectum ad v. *relinquens* requiritur. Versus ipse bene habet et Lucano dignus est, ut iam ὀξύμωρον vv. *tutus spoliato pectore* ostendit, (quare *nudus* pro *tutus* ex Richel. non probarim,) nec non sententia prioris versus in hoc variata et explicata.

IV, 562

Et iugulis pressere manum cum sorte cruenta.

Deest versus in duobus Vossianis, et varietate lectionis suspectus est; legitur enim *Nec* pro *Et* in Langerm. a man. sec.; *iuguli* in Voss. 4; *iugulo* in Witt., Oxon. uno, Lips. a, d; *iugulos* in Langerm., Rottend. 2 a man. sec.; *manus* in plurimis; *manu* in Rottend. 2 a man. sec. et Langerm.; *sic* pro *cum* in multis. Sed neque sensus verborum, neque verba singula, modo recte scribantur, displicent; praeterea ratio, qua versus ab interpolatore ortus sit, non apparet; imo excidit, quia sensus reliquorum sine eo constabat. Scribendum autem est *iugulo pressere manum;* amat enim Lucanus in his et similibus singularem, ubi pluralis exspectatur, cf. antea *vulnus* et *percussum est pectore ferrum*, et Burm. ad II, 57. *Iugulo pressere manum* est urgente et obnitente iugulo manum percutientis sive ensem immittere et recipere, ut iam Burm. explicavit, cf. Seneca Theb. 173 Dexteram *introrsus* preme, *magisque merge.* Inde *ensis pressus* ap. Nostr. VII, 562 *Quae* presso *tremat* ense *manus*, et Sil. It. II, 615 Pressit *ovans* capulum *cunctantemque impulit ensem. Cum* denique, cuius loco alii sed male *tunc*, ut Amstel., vel *sic* ex glossa *si* ortum exhibent, neque *quando* h. l. significare potest propter seq. *incurrant*, neque *quamvis*, ubi nexus cum superioribus non admodum pla-

Digitized by Google

cet. Positum est pro *etiam si*, *adeo si*, ut ratio totius loci et seq. *tamen* docent; indicat enim sententiam, praecedente superiorem et potiorem, atque recte coniunctivo iungitur.

IV, 677. 78.

Semperque paratus
Inculto Gaetulus equo.

Absunt verba a Cod. Richeliano, qui interdum, et a Regio pr., qui saepius versus genuinos omittit. Locus quidem talis est, quo librarii sua addere soleant; sed versum, quem optimi et plurimi Mss. agnoscunt, et cuius in verbis nihil Lucano indignum video, damnare non ausim, praesertim quum ratio, cur exciderit, appareat. Etenim non propter seq. vs. 682, ubi eadem fere repetuntur, librarius versum delevit, quod Burm. putat, sed aberravit, quum sensus reliquorum sine eo salvus esset. Quod singula attinet, *perustus* pro *paratus* ex vs. 679 ortum est; *incultus equus* autem non modo de stratis intelligo, sed etiam de frenis, quod solenne est in hac re, cf. Sil. I, 215 *Hic passim exultant Nomades, gens* inscia freni; et II, 64 *nullaque levis Gaetulus habena*, ubi *levis* quodammodo vv. *semper paratus* respondet.

IV, 747

Undique completis clauserunt montibus agmen.

Versum non habet Reg. sec. rarissime vitiosus in hac re; sed h. l. librarius aperte in errorem delatus est, coniungendo *patuere doli* et *Numidae fugaces*. Vv. *patuere doli* autem ex more poetae versu 747 explicantur, ita ut eo carere non possimus; deinde quae praecedunt vs. 741, et quae sequuntur vs. 773, locum nostrum potius fulciunt. Neque varia lectio Cod. Rottend. 1 *Undique circumdant completis* interpolationem arguit; quis enim non videt, *circumdant* ex glossa ad vv. *clauserunt agmen* ortum esse? Sed restat alia difficultas in v. *completis*, quod Burmanno h. l. male dictum videtur. Heinsius in quibusdam *repletis* invenerat, quod in Thuan. 4 quoque legitur. *Re* in verbis compositis, ubi muta cum liquida se-

Digitized by Google

quitur, certe ante *cl*, *fl*, *pl* in Lucano fere semper corripitur, exceptis duobus locis III, 630 *Ad summos* repleta *foros*, ubi tamen Cod. Bersm. habet *completa*, et IX, 998, si genuinus est, *Constituam sparsas arces*, replebo *ruinas*; in aliis autem poetis v. *replere* primam productam habet, cf. Intpp. ad Ovid. Met. VII, 628. Quare h. l. *repletis* recipere nolim, licet per arsin melius quam in thesi stare possit. *Completis* recte habet; poeta enim per *Numidas fugaces* Iubae et Saburae copias coniunctas intelligit, ita ut partem montes complevisse, partem Romanorum agmen a tergo cinxisse dicat. *Completi montes* itaque sunt montes militibus, multitudine militum completi; et dicitur absolute, cf. I, 468 de Caesare, *vicinaque moenia complet*. *Complexi*, quod Burm. voluit, in v. *clauserunt* quodammodo inest; *undique completis* vero magnum hostium numerum, cf. supra v. 676, simul et dolum eorum notat.

IV, 803

Ante iaces quam dira duces Pharsalia confert.

Amstel. Codex, quem saepius in hac re notavimus, versum omittit; negligenti enim librario sensus sine eo perfectus erat, licet ratio totius loci, et seq. *spectandumque* errorem admissum potuerit docere. Versus ironice dictus est, ut multa in nostro, neque auctoritate Cod. peioris damnari debet. Pro *iaces* legitur in Witt. corruptum *acies*; *iacere* proprie de mortuis dicitur, cf. VII, 793; VIII, 102; IX, 229, et Burm. ad IV, 358. Denique Rottend. pr. *dura* pro *dira* habet, quae saepissime in libris confunduntur, cf. Oudendorp. var. lect. ad III, 312; V, 372; IX, 820; sed, quamvis *durus* de bello dicitur, cf. V, 265; 723., h. l. tamen non probarim, praesertim quum noster de bello civili et maxime de pugna Pharsalia epitheton *dirus* amet, cf. I, 38; III, 150; VII, 689.

V, 515

Rectorem dominumque ratis secura tenebat.

Deest versus in Thuan. sec., qui saepius in hac re errabat; sensus verborum quae sequuntur, intelle-

Digitized by Google

cto v. *erat* ad v. *domus* sine his perfectus, effecit, ut librarius omissum versum non senserit, quem, quum non appareat, qua ratione ab interpolatore ortus sit, suo restituimus auctori. Quod singula attinet, bene Burm. *rectorem* defendit, cf. infra vs. 568. *Tenere* autem saepius de locis dicitur, ubi aliquis commoratur, cf. II, 479 *At te Corfini validis circumdata muris* Tecta tenent, et Heins. Advers. IV, 6 p. 608.

VI, 388

Aspera te Pholoës frangentem, Monyche, saxa.

Versus abest a Cod. Thuan. sec.; excidit, quum sensus sine eo salvus librarium de errore suo non monuisset. *Monychos* Centaurus satis clarus est, cf. Ovid. Met. XII, 499; Iuvenal. I, 11; Valer. Flacc. I, 146, ubi v. Burm.; neque, cur, quum poeta reliquorum mentionem faciat, hunc non commemoraverit, apparet. Deinde verba singula optima et Lucano digna sunt; *frangentem* non est *vomere proscindentem*, ut glossator Lips. c vult, sed est *rumpere*, *confringere*, quo verbo Lucanus utitur, ut ingentes Monychi vires describat.

VI, 816

Quas iubeat vitare plagas, quae sidera mundi.

Versum non habet Cod. Bouher. saepius in hac re peccans; sed nulla adest causa, cur versus damnari debeat, neque apparet, unde venerit. Lucanus ex more suo praecedentia variat et exponit; sensus autem perfectus effecit, ut error librarium fugerit. Unum est, quod fortasse offendere possit, in vv. *quae sidera mundi*, quum idem exprimat, quod praecedentia *quas plagas*. Praeterea vs. 815 oppositionem quandam flagitare videtur, verbi causa *quas plagas vitare*, *quas petere* vel *quo fugere*; sed, ut iam diximus, quum noster in hoc versu variet, coniectura non opus est. Simile quid vide VII, 189 *Sub quocunque* die, *quocunque est* sidere *mundi*, ubi *dies* et *sidus mundi* coniunguntur; V, 24 *Vel* plaga *qua torrens*, *claususque vaporibus* axis. — Schol. Lips. a *Per plagas notat quaslibet partes terrae, per sidera coeli notat*

illas quatuor partes, quae quibusdam sideribus distinguuntur.

VII, 154

Inque oculis hominum fregerunt fulmina nubes.

Damnatur versus ab Intpp., et sane habet, cur displicere possit; turbat enim structuram, quum in vs. 155 ex vs. 153 *aether* subiectum repeti debeat. Deinde sequitur vs. 157 *atque oculos ingesto fulmine clausit* similis, ut videtur, sententia; tum displicet locutio *in oculis hominum;* denique MS. unus Cortii vetustus et probus, et Rottend. 2, si alius est ac Cortii, versum non agnoscunt, neque Voss. unus, nisi in margine. Nihilo minus versus defendi debet. Turbatur quidem structura interposito v. *fulmina*, versusque melius abesset; sed poeta, ut plura eius loca ostendunt, structura mutata interdum ad priora redit, quod, qui Lucani ingenium bene noverit, et Pharsaliam imperfectum esse opus meminerit, facile explicabit. Fit autem plerumque, ubi res aliqua notio est primaria, et poetae mentem obtinet. Quod quum Intpp. non intellexissent, plura loca male damnarunt, quae minime spuria sunt, IV, 73 *vetitae* ex vs. 68 *nubes;* IV, 171, ubi poeta in verbo *videre*, interposito subiecto *lumina* vs. 170, ad prius in *locant* redit; VI, 530 *infodit*, quod verbis *gaudet* et *rapuit* vs. 526 coniungi debet, licet inter ea sit subiectum *superi* vs. 527; IX, 490 *tulit*, quo redit ad vs. 486 *operit*, interiecto *miles* subiecto; X, 289 *is rectus* et 292 *Te vident — feris* et inter ea vs. 290 *cursus torquetur;* X, 516 *Distulit* ex vs. 509 *cepit*, interpositis *insula — permisit.* Sic hoc quoque loco notio *aetheris* primaria est, ad quam poeta, posito altero subiecto *fulmina*, redit; quare scribas comma post v. *aether.* Deinde diversi sunt versus 154 et 157, ita ut alter alterius explicatio esse non possit, quod Cortius existimat; in illo enim dicitur fulmina venientibus ex adverso ruisse, neque de eorum vi in oculos aliquid legitur, quam poeta infra, alio signo posito, describit; nam fulgura toti coelo ita ingesta fuisse, ut oculi eorum vim sustinere non potuerint. Sic igitur novum quid additur; neque sententia et verba inter-

Digitized by Google

pretem produnt. Quis enim per *frangere nubes fulmina* exposuerit *ingestum fulgur*? Dicitur autem saepissime *frangere nubes* de *fulminibus* a poetis, cf. VI, 692 *fractaeque tonitrua nubis*; Ovid. Met. I, 154 *misso* perfregit Olympum fulmine, et Sil. It. VI, 608. Imo ipse Lucanus in his, sed variando, ut solet, vv. *obstitit aether* explicat, cf. Wakef. ad Lucret., V, 473. Neque offendere debent *in oculis hominum*, quae Burm. magis audacter quam vere mutavit; exprimit *in oculis* i. q. ante oculos, exadversum oculos, et ita saepius, cf. Ovid. Trist. II, 526 Inque oculis *facinus barbara mater habet*; Heroid. 21, 82 Inque meis oculis *candida Delos erat*; Virg. Aen. X, 515 *Pallas*, *Evander*, in ipsis *Omnia sunt* oculis. Respondent sibi vero quodammodo v. *obstitit* et v. *adversas* seq. vers. Denique Rottend. 2, de quo iudicare tantum licet, auctoritatem in hac re non habet, praesertim quum versus salvo sensu abesse possit. Agnoscunt praeterea versum omnes Scholiastae mei.

VII, 504. 5

Nec Fortuna diu rerum tot pondera vergens
Abstulit ingentes fato torrente ruinas.

Versus non leguntur in Amstelod. Cod., qui saepius in hac re errat. Sensus verborum optimus est, neque apparet causa, quae interpolatorem hic aliquid addere moverit; deinde possunt quidem verba salvo sensu abesse, id quod librarium quoque fefellit, sed melius adsunt, ut praecedentia docent; nexus enim hic est: Caesar praeceps magnam cladem fecit, neque Fortuna, Caesaris comes, diu cessavit, quin eam adiuvaret. Caesar et Fortuna saepius a nostro coniunguntur; praeterea a sequentibus quoque haec probantur; amat Lucanus in universum dicta per singula exponere. Sensum autem verborum Schol. Lips. a ita explicat: „*Et Fortuna non diu vertens tot ponderosas res abstulit a Caesarianis, tulit ad se i. vertit omnia in casum, dando ingentes ruinas Pompeianis, fato vertente illas ingentes ruinas, vel ut dicatur, abstulit a Caesarianis dando Pompeianis ingentes ruinas.*“ Singula verba accuratius considerari de-

Digitized by Google

bent. *Vergens* pro *vertens* in pluribus Codd. legitur, cf. Heins. Advers. I, 16 p. 162, nec male; saepius enim *pondera* et *vergere* coniunguntur, cf. Heins. ad Valer. Flacc. I, 289, et *vergere* h. l. vim suam habet, quum omnia in summo discrimine fuisse, et Fortunam Pompeii et Caesaris res librasse, indicet. Sunt quidem, qui verbi *vergere* activam significationem negent, nisi ubi sit *fundere liquorem*, cf. Burm. ad IV, 525; sed aperte in pluribus locis legitur; in aliis dubia lectio ex solenni errore vv. *vergere*, *mergere*, *vertere* orta est, vel ex correctione, quia *vergere* active positum librariorum captui non accommodatum fuit. Praeterea plura sunt eiusmodi verba, quae mox neutralem, mox activam habeant significationem; deinde cur *vergere* activam significationem in certo ritu, in liquoribus fundendis tantum, neque in aliis rebus habeat, nulla adest causa; sed cf. Gifan. in Ind. Lucret. s. v. *vergere*; Heins. ad Ovid. Pont. I, 9, 52, et qui optime de hac re disputavit, Gronov. Observat. II, 7 p. 204 Lips., quibus adde alium locum a Burm. ex Gruteri Suspicion. ad Propert. I, 16, 28 laudatum. Apulei. Met. VIII, p. 159 *Thrasyllus pergit linguae sauciantis susurros improbos* invergere. Optime demonstrat verbi *vergere* activam significationem locus Senec. Oedip. 889, ab Heins. in Advers. II, 10 p. 280 laudatus:

Lenis ac modicum fluens
Aura, nec vergens latus,
Ducat intrepidam ratem;

ubi, quantum scio, nulla est lectionis varietas. — Deinde *abstulit*, a Bentl. et Burm. male tentatum, de Fortuna recte dicitur pro *abducere, trahere secum*; coniungi enim debent, quod totus locus et v. *Nec* ostendit, vv. *Nec diu abstulit*, posito commate post v. *diu*, ut sensus sit, Fortuna non diu ruinas removit, secum tulit, respondens superioribus *Praecipiti cursu* etc. vs. 496. Ita *auferre* similiter de Fortuna legitur VI, 141; VIII, 207. — Denique *torrente fato*, non *torquente fato*, ut Bentlei. voluit; *torquere* de fato dici non puto; sed recte *torrere*, licet singularis huius verbi sit usus; ponitur

Digitized by Google

enim h. l. pro *ruere, praecipitare*, metaphora sumta a rapido flumine, quod *torrens* dicitur. Similiter de orationis impetu Auson. Epigr. 146, 9 Torrente lingua *perstrepo*; Iuvenal. 10, 128 torrentem, *quem mirabantur Athenae*.

VII, 851, 52

Quae seges infecta surget non decolor herba,
Quo non Romanos violabis vomere manes.

Omissi sunt versus in Hamb. pr., qui, quantum ex Burm. colligi potest, rarissime in hac re peccat; accedit quod hausti videantur ex inferior. vs. 861 et 865, ubi similis sententia. Verum noster eandem sententiam variat, maxime iis in locis, ubi animo commotiori, ut h. l., loquitur; deinde facillimo negotio haec omitti poterant, quum sensus sine iis salvus esset. In singulis autem non est haerendum, nisi in v. *infecta*, cuius loco alii *infesta* et *infracta* habent; utrumque male. *Infecta*, quod Schol. Lips. a explicat *venit ab inficere, quod prope est corrumpere*, (ita enim pro corrupto cerrāpere) est id quod *tincta, imbuta, fucata*, et ita saepius in nostro legitur, cf. I, 619; V, 564. Deinde *Quos* pro *Quo*, ut in Lips. a, defendi posset, et ingentem cadaverum numerum exprimeret; sed ortum est propter v. *Romanos*, ut saepius factum videmus. *Quo* ad v. *vomere* indicat nullum esse locum Thessaliae, qui Romanis manibus careat, quod, ubi de terra Thessalica sermo est, melius videtur.

VIII, 785

Cogit pietas imponere finem
Officio.

Cod. Lips. b, qui spuria potius servare quam omittere solet, caret hoc versu genuino, de quo non modo non constat, qua ratione ortus sit, sed a seqq. etiam flagitatur. Vv. enim *semiusta capit* verbis *posce caput*, in quibus nullus est transitus, satis recte coniungi non possunt. In praecedentibus sepulchrum orta die interruptum fuisse poeta dixerat, cf. VII, 779; quare bene nunc addit: Quamvis ordinem sepulchri

Digitized by Google

metus turbasset, pietate tamen Codrum serius coactum esse, ut sepulchrum finiret, ossa raperet etc.

IX, 100

Ne mihi commissas auferrem perfida voces.

Deest versus in Regio primo, legitur in marg. Bouher. a mâu. sec., additus est ante vs. 99 in Voss. 4, et abest a tribus Cortii, si diversi sunt ab iis. Sensus quodammodo sine eo stare posset, sed hoc ipsum librarios in errorem induxit, ut, quum praecedentia non recte perpendissent, versum omitterent; cur enim illa *decepta vixi*? neque ratio adest, cur interpolator aliquid hic addiderit. Singula autem optime habent, quorum sensus ab Oudendorp. bene explicatur. *Auferre* sine dubio intelligi debet, ut Burm. ex locis allatis probat.

IX, 253. 54

Actum Romanis fuerat de rebus, et omnis
Indiga servitii fervebat litore plebes.

Multi Codd. utrumque versum damnant, plures Cortii, 1 Bersm., 3 Pulm., nonnulli Modii, cf. Grut. Lamp. T. V p. 305, plures Bentleii, Voss. tert., Lips. a, b; alii in marg. manu rec. additos habent, ut Bouher., Witt., Marp., Lips. d, sed ab eadem manu; alii vs. 253, alii vs. 254 omittunt. Nihilo minus utrumque versum defendendum existimo, qui ab aliis iisdemque optimis MSS. agnoscuntur, sicuti a Schol. Lips. c *Actum i. finitum videbatur esse de Romano imperio; nam omnis plebs fervebat in litore indiga servitii, i. cupida ut serviat Caesari.* Deinde causa interpolationis non apparet; facile vero versus omitti poterant, quum sensus reliquorum verborum sine iis constaret. Denique sensus loci et singula verba Lucano dignissima sunt, qui partim in seditiosos invehitur, indigos servitii eos appellans, partim Catonem celebrat, qui tantum effecerit, ut Romanas res servarit, haud trepidus fremente castrorum discordia. Neque quae poeta antea vs. 217 et 225 dixit, officiunt; repetit enim noster quae nexus poscat. Quod singula attinet, *fuerat* h. l. non quadrat; cur

Digitized by Google

enim plusquamperfectum? Imo *fuit* dici debebat et ne hoc quidem satis recte, licet defendi possit; nondum enim actum fuit de Romanis, nam plebes adhuc fervebat; sed actum fuisset, nisi Cato amorem patriae et libertatis oratione sua reduxisset. Quare haec sequentibus coniungas, posito semicolo post v. *plebes*, et *fuerit* pro *fuerat* scribe sensu aperto. *Fuerit* in *fuerat* abiit propter seq. *et — fervebat;* sed recte *fervebat*, quia actio infecta indicatur; *et* autem eleganter h. l. dictum est pro *sic* vel *nam*. *Indiga* bene explicat Schol. Líps. c et Burm.; *pubes* denique pro *plebes* ex Cod., ut videtur, dedit Bentl. sed male; saepius enim *plebes* de militibus, qui, ut h. l., ducibus vel aliis opponuntur, cf. VI, 144; VII, 598; 760; X, 403.

IX, 375

Armorum fidens et terra cingere Syrtim.

Versus in uno Cortii non legitur, qui, quum cetera quodammodo constarent, facile omitti poterat, sed accuratius consideranti versus necessarius videbitur. Requiritur enim, quid Cato su dente hieme facturus sit, neque sufficiunt illa *in ignotas ag. c. gentes;* deinde ratio interpolandi h. l. non apparet; denique vv. ipsa proba et Lucano digna sunt. Quod singula attinet, Heins. male semicolon post *fidens* ponit, ut reliqua cohaereant; coniungi debent *audet committere* et *cingere Syrtim*, quod sensus verborum et mos Lucani, sententiam aliquam explicare amantis, postulant. Denique Cort. hoc quoque loco *Syrtin* pro *Syrtim*, repugnantibus omnibus MSS. scribit, ubique formam graecam in nostro reponens; sed, quod accusativum *im* et *in* attinet, Lucanus priori forma utitur non solum in v. *Syrtis*, cf. I, 686; VIII, 184; sed, in aliis quoque, ut meliores Mss. docent. Sic *Isim* VIII, 831; IX, 158; *Osirim* VIII, 833; IX, 159; *Ararim* I, 434; *Sicorim* IV, 335; *Tybrim* II, 421; *Tigrim* III, 261; VII, 433; VIII, 214; (in Oudendorp. Edit. error est typographi *Tigrin*) *Tanaim* VIII, 319; IX, 751, exceptis nominibus graecis *Erinnyn* VI, 747, et *Tethyn* IV, 73; VI, 479; X, 204; ita plurimi libri.

Digitized by Google

IX, 716

Ammodytes spinaque vagi torquente Cerastae.

In catalogo anguium non mirum, si qui versus, ut numerus anguium integer esset, interpolati sint; sed omissa sunt potius nonnulla, ut in Voss. uno factum videmus, in quo versus 716, sine dubio genuinus, non legitur. Error librarii inde natus est, quod sensus verborum sine his quodammodo constaret, quamvis accuratius consideranti necessaria apparebunt. Etenim *concolor — arenis* ad Ophiten parvis maculis tinctum non quadrant, sed novum anguium genus describunt; denique causam non video, cur poeta *Cerastas* nobiles praetermiserit, infra vs. 581 et VI, 679 commemoratos. Coniunctio autem deest, saepius a nostro in pluribus rebus enumerandis omissa, cf. III, 174; 179; 184; 215, et Oudendorp. ad I, 155. Ceterum de Cerastis cf. Plin. H. N. VIII, 25; de Ammodyte Solin. c. 27, (al. 40) ubi Salmas.

IX, 805

Sed maiora parant Libycae spectacula pestes.

Versus deest in Regio primo, legitur in margine Bouher. et post vs. 807 in Voss. tertio. Librarii sine dubio h. l. errarunt; possunt enim reliqua sine eo constare, sed versu servato multo melior fit nexus, quum transitus a vs. 804 ad vs. 806 non optimus sit. Deinde ratio interpolandi non apparet, et Codd., qui eiusdem sunt familiae, ipsi ostendunt, quomodo haec omissa sint; denique singula vv. bona et Lucano digna sunt. Pro *pestes* Voss. 1 habet *mortes* ex glossa; *pestes*, magis poeticum, saepius a nostro in hac re dicitur, cf. supra 734; 744; 779; 787; infra 844; 950.

X, 138

Nec sceptris contenta suis, nec fratre marito.

Versus, quem Cod. Oudendorp. non habet, salvo sensu abesse possit; sed ratio interpolandi non apparet, neque versus poetae ingenio indignus est. Lucanus enim saepissime in Cleopatram invehitur, regni

Digitized by Google

cupiditate flagrantem, cf. supra 64; 65, et aliena connubia petentem 60; 68; 106; 574. Coniungi autem debent *immodice fucata* et *nec contenta* etc., ita ut in vs. 138 causa insit, cur Cleopatra immodice fucata sit, nempe regnum Romanum et maritum Caesarem affectans. Haec, ut solet noster, per singula in seqq. exponit. Pro *sceptris* in uno Bersm. et Voss. pr. legitur *sceptro*; sed *sceptra* in plurali numero poetarum est, neque memini in Lucano *sceptrum* legere.

X, 342

Crimen, ut haec Bruto cervix absente secetur.

Desideratur versus in Cod. Reg. 1, et salvo sensu abesse potest; *hoc* enim versu 341 ad praecedentia spectaret. Praeterea ex interpretatione facile ortus esse possit; sed quod Cod. Reg. attinet, iam saepius eius negligentiam in omittendis versibus notavimus, neque hic auctoritatem habet. Excidit versus, quia verba reliqua sensum satis bonum praebebant. Amat autem noster talia innuere, cf. VII, 586—96; VIII, 610, quibus ex locis, cum aliis comparatis, colligi licet, ubi Lucanus operi suo finem fuerit facturus.

Alia est ratio, ubi temporum iniuria vel casu infelici, a quo nihil tutum est, singulae partes in uno alterove Cod. interciderunt, ut in Cod. Bern. factum est, in quo Pharsalia versu X, 539 finitur, quod Guieti sententiam vers. 542 et sqq. damnantis stabiliret, licet verba singula eorumque sensus Lucano minime indigna sint. Opus imperfectum autem magis imperfectum reddere non licet, praesertim quum causa, quae Guietum, ut versus expungeret, commovisse videatur, non iusta sit; etenim nullo modo sibi repugnant, quae de Scaeva hic et supra VI, 251 seqq. narrantur. Scaeva non mortuus est, quod plures opinantur, sed adhuc vivit, ut recte Oudendorp. ad VI, 200 monet. Cod. Bern. vero in fine mutilatus et truncatus videtur, neque hic aliquid probat.

Vidimus loca, ubi ratio, qua versus exciderint, in verbis Lucani vel in casu infelici fuerit; sed sunt

Digitized by Google

alia, ubi librarii, quia ebrii et oscitantes vel laboris taedio capti erant, versus omisisse videntur, ut in his:

I, 238

Non pia concinuit cum rauco classica cornu.

Versus in MS. S. German. non legitur, et sane, cur displicere possit, habet: offendit enim *non pia*; cur *classica non pia?* cur non *impia?* Quod Guietum quoque movisse videtur, ut versum deleret, intellecto v. *fuit* vel *auditus fuit* ad praecedentia; sed neque *audire* bene abesse potest, neque *fuit* omissum h. l. placet. Verbum aliquod expectatur vel per se positum, vel sequentibus coniunctum *clangor tubae rupit quietem populi*, quod in versu nostro inest, oscitantia librarii omisso. Lucanus ex more suo sententia amplificata per lituos, tubas et cornua varia militum genera notat: verba autem *non pia*, quorum loco Heins. *concita* vel *obvia*, Bentl. *Martia* et Oudendorp. in Ep. II. ad Schrad. *nuncia* tentarunt, corrigi non debent. Recte enim *classica non pia*, quia Caesar contra ius et fas bellum suscepisset, cf. VII, 171 *Impia tam saeve gesturus bella litasti*; ib. 838 *super — impia signa*, et apte h. l., ubi initium fit belli impii et nefandi. Recte deinde *non pia*, quod noster in hoc et aliis verbis pro compositis per *in* amat, cf. II, 176; V, 58; IX, 945; unde Cort. pluribus in locis, sed male *non* correxit, cf. III, 427; V, 121. Adest sine dubio discrimen aliquod, neque tamen quod Bentl. h. l. statuit, quocum non facit quod legitur III, 156 de censu: *Eruitur templo multis non tactus ab annis*, ubi scribendum foret *intactus*, ut III, 427 de silva: *belloque intacta priore Inter nudatos stabat densissima montes*; praeterea utrumque in scriptoribus legitur. Differunt autem, ut videtur, in eo, quod composita per *in* gravius quid sonant, quam simplicia cum negatione; negatio enim adiectivo coniuncta unam efficit notionem, unde unum verbum et tonus in syllaba *in*; verbum simplex, adposita negatione, tonum retinet, quia negatio non est primaria, nisi ubi oppositio fit, ut in illo Cic. Off. III, 25, 95 *Sic multa, quae honesta natura videntur esse, temporibus fiunt non honesta.* Interdum

Digitized by Google

tamen hoc discrimen neglectum est; sed saepe *in* et *n̄* i. e. *non* in libris confunduntur, cf. Burm. ad Lucan. III, 156. Denique *concinuit* recte habet, proprie in hac re dictum, cf. Liv. IX, 32 *clamor ab Etruscis oritur*, concinuntque tubae *et signa inferuntur*. Ms. Bersm. et plures apud Cort. male *concinnunt*, fortasse pro *concinnant*, i. e. *facere*, *conficere* secundum Nonium. c. 1 nr. 207, ubi plura unum aliquod efficere, plura in unum colligi dicuntur; sed h. l. melius *concinuit*, i. e. simul cecinit, simul sonuit, quod Lucanus ex more suo duobus substantivis coniunxit, cf. Oudendorp. ad I, 422, Burm. ad IV, 619 et Bentl. ad IX, 781.

I, 462

Mortis: et ignavum rediturae parcere vitae.

Versus a Thuan. sec., Codice non optimae notae, abest, et librarii negligentia excidit. *Animae capaces* vel *rapaces*, ut alii volunt, sine v. *Mortis* intelligi non possunt, neque reliqua verba offendunt. Burm. pro *et* maluit *at*, quod tamen h. l. non quadrat, ubi haec et praecedentia simpliciter cohaerent. Rectius ab omnibus *est* post v. *ignavum* omittitur, ex glossa sine dubio in Voss. 1 ortum; unde in Lips. b quoque: *est illis*. Licet enim Lucanus raro adiectivi neutrum sine verbo substantivo *est* ponat, cf. I, 366 *Usque adeo miserum est civili vincere bello?* et V, 570 *Zephyros intendat an Austros, Incertum est*; amat tamen in his et similibus locis, ubi duo vel plura substantiva coniungantur, v. *est* omittere, cf. V, 442 *Saeva quies pelagi, moestoque ignava profundo Stagna iacentis aquae*, et ib. 806 *viduo tum primum frigida lecto, Atque insueta quies uni, nudumque marito Non haerente latus.*

Idem Cod. Thuan. versum
I, 489

Consulibus fugiens mandat decreta senatus

omittit, quem nexus sententiarum et verba recte abesse non patiuntur.

Digitized by Google

Eodem modo Amstel. Codex versum II, 629

Nec licet ad duros Martem convertere Iberos,

omittit, quem abesse non posse aperte sequentia docent: neque in verbis singulis, quid offendat, video; *duros Iberos* dicitur, ut VI, 258; VIII, 223 *sequerer duros aeterni Martis Alanos;* IX, 439 *Nasamon gens* dura, de hominibus laborum et malorum patientibus. Neque quae Burm. monet, versum damnant; saepius enim Lucanus in singulis a vero recedit, quod qua ratione et ubi fecerit, alio loco videbimus.

VI, 488 — 91

Ore fovent blando: gelidos his explicat orbes,
Inque pruinoso coluber distenditur arvo.
Viperei coeunt abrupto corpore nodi:
Humanoque cadit serpens adflata veneno.

Cod. S. Germ., raro in hac re vitiosus, versus non habet, quod aperte ex negligentia librarii factum esse, sensus totius loci sine his mancus ostendit; sed in singulis verbis nonnulla rectius constituenda sunt. *Fovet* pro *fovent* 3 Burm., Lips. d et Bersm. 1 habent; sed hi vulgatam scripturam movere non possunt, neque quae Oudendorp. de usu nostri ad I, 422 monuit. Lucanus enim non ubique regulam de singulari verbi post pluralem et singularem substantivi sequitur, cf. I, 37 Scelera ipsa nefasque *Hac mercede* placent. Quare h. l., ubi meliores Codd. pluralem exhibent, probatum praeterea numero in vv. *ira nobilis leonum*, i. e. irati nobiles leones, pluralem *fovent* defendo. Seqq. Schol. Lips. a ita explicat: *Coluber explicat orbes i.* (leg. *et*) *distenditur in pruinoso arvo, ac si dicat: Nunquam erit tantum frigus, quin faciat eos distendi, et si mortua est vipera, facit convenire nodos, qui sunt in dorso, et quod serpens solet facere, homines scilicet ut interficiat veneno, hoc faciunt illae eis, et hoc est quod dicit Humanoque cadit etc.* Pro *arvo* Bersm. 1 et Lips. c in membr. erasa habent *antro*, ex solenni

Digitized by Google

permutatione, cf. Burm. ad VI, 408; sed h. l. *arvo* melius videtur propter v. *pruinoso*, quod non facile de *antro*, sed de *arvis* dicitur, cf. Virg. G. IV, 518 Arvaque *Rhipaeis nunquam viduata* pruinis. Recte deinde *nodi*, defendente Oudendorp., cf. Manil. I, 333 de serpente: *corpus* Explicat et nodos, *sinuataque terga per orbem*, et Heins. Advers. I, 7 p. 77. Denique in Richel. *cadis* legitur, eleganter, ut Burm. censet; et amat Lucanus in enarrandis rebus allocutionem, cf. I, 430; 441; 447; III, 205; 247; IV, 23; sed h. l. neque apta videtur, neque Codd. auctoritate satis firmatur.

VII, 658

Coelicolas, volvitque sui solatia casus.

Ex eadem incuria, quam saepius deprehendimus, factum est, ut hic quoque versus in Amstel. Cod. desit, sine quo sensus verborum praecedentium, nisi *divos* pro *dignos* legas, quod tamen verisimile non est, non constat. In verbis nihil est, quod offendere possit, excepto *volvitque*, cuius loco plures Cortii, 3 Burmanni, Reg. primus, Voss. prim. Wittian. et Lips. c ex glossa *vovit* praebent, ea significatione ut sit *optare*, cf. Ovid. Met. 14, 35 *Ut tua sim*, voveo; sed h. l. neque ad orationem sequentem, neque ad v. *solatia* quadrare videtur, unde Heinsii quoque coniectura in Advers. I, 16 p. 164 *fovit* pro *volvit* scribentis probari non debet. Cur enim *solatia optare* de Pompeio? qui, ut a nostro describitur, solatia sui casus habet. Quare recte *volvit*, quod Schol. Lips. a ita explicat: *Et volvit secum solatia sui casus i. cogitat secum posse restaurare* (leg. *restaurari*) *adhuc priorem fortunam. Volvere* autem ita dicitur adiecto alio verbo, quod interiora notat, cf. quae Oudendorp. ad h. l. habet, quibus addi possunt I, 247 volvunt pectore *sub tacito mutos questus*; 272 *ducem varias* volventem pectore *curas*; et absolute II, 239 *Invenit insomni* volventem *publica cura Fata virum*; cf. Virg. A. I, 305. — Neque opus est *ait* in *iam* mutato, quod Oudendorp., Codicum nonnullorum auctoritate fretus, voluit; saepius enim noster verbo, quod orationem indicet, iam posito, in ora-

Digitized by Google

tione ipsa v. *ait* vel simile quid repetit, cf. V, 150; VI, 605; VIII, 186; IX, 189.

VII, 747

Impulit amentes, aurique cupidine caecos.

Interdum vel in optimis Mss. librarii incuria unum alterumve versum excidisse, docent h. l. Voss. 1 et 2 a man. pr., qui versum a Bentl. et Oudendorp. damnatum omittunt. Ego languorem sentire non possum, et versum necessarium arbitror, quum sine eo structura reliqq. verborum turbata sit. Infinitivus *ire* enim in seqq. verbum rectum flagitat; anacoluthon autem h. l. defendi non potest; deinde versus ex more Lucani probandus est, Caesarianos ita describere amantis, cf. V, 246; 271; 305; VII, 300; 303. *Caecos* denique dicit, ut de triumviris I, 87 *nimiaque cupidine* caeci.

VII, 841

Sic quoque non omnis populus pervenit ad ossa.

Versus, quem sensus totius loci et seqq. verba abesse non patiuntur, excidit incuria librarii, quam saepius in Cod. Richel. deprehendimus. Neque variae lectiones versum suspectum reddunt, quum *hic*, *si*, *sic* saepius confundantur. *Sic quoque* autem sequentia prioribus bene coniungunt, cf. IX, 528. Sensum loci obscuriorem explicat Schol. Lips. b *Sic quoque i. per tantam multitudinem ferarum et volucrum totus populus non pervenit ad ossa, i. non consumtus est usque ad ossa, vel non potuit numerari per ossa, quum a tot bestiis distractus esset.* Prior explicatio sine dubio vera est; neque cur *pervenit* mutari debeat causam video, quum *pervenire ad ossa* rectissime dicatur pro *transire*, *mutari in ossa* de iis, quorum ossa, devorata carne, relicta sint; sic *venire ad nihilum* et similia.

X, 11

Sed fremitu vulgi fasces et iura querentis.

Desideratur versus in Cod. Amstel., sed salvo reli-

Digitized by Google

quorum verborum sensu abesse non potest, ut vel primus intuitus docet; cohaerent enim *securus fertur et sed sensit*. In versu ipso nihil difficultatis inest, posito commate post v. *vulgi*, ut vv. *fasces — suis* cohaereant, et apposita sint. In Voss. pr. est *signa* pro *iura*, repetitum sine dubio ex vs. praecedenti; praeterea *fasces* et *iura* saepius coniunguntur, cf. Sil. It. XI, 152 *Ceu famulis* fasces aequataque iura *negantis*.

Alius est iniuriae modus, ubi librarii, duobus foliis pro uno conversis vel oculis in tota aliqua pagina aberrantibus, plures versus omiserunt, cf. Weichert. Diss. de Spur. vers. p. 112. Ita in Cod. Reg. 1 factum est, qui versus 48 inde a Lib. VIII, 266. *Ingentes* — usque ad vs. 314 *Quae feci* — non habet, quamquam nexus verborum atque sententiarum errorem facile indicare poterat.

Ita quoque factum videmus IX, 334, ubi in Cod. Lips. c versus 92 inde a versu 335 usque ad vs. 427 desiderantur. Quae a librario negligenter omissa ab alio in folio uno cum dimidia parte addita sunt.

Eodem modo in Cod. Voss. tertio verba inde a Lib. VI, 104 usque ad VII, 500 non leguntur, quae partim a librario eiusdem Codicis, ut videtur, partim ab alio postea adiecta sunt.

His, quae de Codicibus Lucani disputavimus, nonnulla de Editionibus in hac re usurpandis addere placuit, quum auctoritas earum in his quoque rebus negari non possit. Quemadmodum autem Codices, ita Editiones familias quasdam constituunt, quae a Criticis indicari et percenseri debent. ut a doctissimo Mart. Laguna in Epist. de Editt. Lucani saec. XV. Lips. 1795, 8 Edit. alt. factum videmus. Itaque eae tantum, ut apparet, hic sub censum venire possunt, quae, ut Editio Romana princeps 1469, Veneta 1477 et Veneta 1498 ex Codicibus haustae et impressae Codicum loco haberi debeant, nisi MSS. ipsi, ex quibus descriptae sunt, nobis supersint. Differunt enim ab aliis, quarum textus a viris doctis iam correctus

Digitized by Google

et interpolatus non eandem auctoritatem ac Codices habere possit. Illis igitur praetermissis, de iis tantum dicam, quae manum virorum doctorum non passae, unum vel alterum versum auctoritate Mss. quos sequebantur, non habeant.

Valet autem de iis idem, quod supra de Mss. contendimus, versum, quia in Editione aliqua desit, damnari non debere, praesertim si ratio, cur exciderit, appareat. Accedit quod in Editionibus, quum ars imprimendorum librorum nondum satis exculta esset, versus a typothetis facile omitti poterant; quam rem a viris doctis in expendendis Editionibus earumque familiis accuratius notatam et consideratam esse vellem.

Sic Editio princeps Romae 1469 et Parmens. 1483, quae saepius consentiunt, cf. Mart. Laguna p. 17 (p. 28 Ed. II) et p. 32 (p. 49 Ed. II) versum non habent

I, 162

Praedaque et hostiles luxum suasere rapinae,

quem omnes Mss., quantum scio, agnoscunt. Apparet versum excidisse, quum sensus loci sine eo constaret; sed utrum typographus, an, quod verisimilius videtur, librarius Codicis, ex quo Editio Rom. ducta est, erraverit, incertum est: neque in sententia, neque in verbis aliquid inest, quod Lucano indignum sit. *Suasere*, cuius loco Amstel. *suadere* habet, corrigi non debet; saepissime enim *suadere* de rebus inanimis dicitur, cf. infra vs. 173 *et quod* suasisset *egestas*, et IX, 574 *Haec eadem* suadebat *hiems*.

IX, 27

Gessit civilia bella

Nec servire timens.

Editio Brix. 1486 et Mediol. 1491 versum omittunt; sed quum utraque Editio sequatur Venetam 1477, cf. Mart. Lagun. p. 18 (p. 29 Ed. II) p. 33 (p. 63 Ed. II.)

Digitized by Google

et versus neque in Edit. Veneta, (nisi ab Oudendorp. h. l. negligenter collata est, cf. Mart. Lagun. p. 14 p. 21 Ed. II) quod tamen ex var. lect. *Non* pro *Nec* non verisimile,) neque in ullo Codice, quod sciam, desit, typographi negligentiae hoc tribuerim, qui, sensu reliquorum verborum, posito *Non regno* pro *Nec regno*, satis salvo, errorem non animadverterat. Deinde non intelligitur, qua ratione versus interpolatus sit, qui, quod sententiam et singula verba attinet, Lucano Stoam professo dignissimus est; praeterea iam oppositio inter vv. *regnum cupiens* et *servire timens* locum quodammodo fulcit et defendit, modo recte intelligatur. Schol. Lips. a ita: *Sed tamen non fecit pro se, nam nec timebat mortem, nec servire timebat, sed pro sola libertate pugnabat*; quae ex duplici explicatione, ut passim in scholiis videmus, in unum coniuncta sunt, priori parte alterius omissa. Rectius scholio in Lips. c ad vv. *nec servire timens*, ita: *quod dicit bene posset pati servitium, si necessitas incumberet.* De morte h. l. sermo esse non potest, ut ex oppositione inter *regnum cupiens* et *servire* apparet; multo minus Burmanni ratio placet. Lucanus enim h. l. ostendit, Catonem nihil sua causa, sed *securum sui*, cf. II, 241, omnia patriae causa, cf. II, 582, fecisse; ipsum servire potuisse. *Nil* denique, quod Lips. c pro *Nec* habet, ortum est ut saepius ex seq. *Nil*.

Eodem modo, ut supra in Mss. vidimus, factum est, ut versus

IX, 849

Reddite Thessaliam! patimur cur segnia fata?

in Editione Rom. 1469 et Parm. 1483 desit. V. *Reddite* enim, quod vers. 848 legitur, errori ansam praebuit. Sed iam verborum nexus typographum monere poterat, vel in Codice, quem secutus sit, vel ab ipso aliquid omissum esse; proxima enim verba *in gladios iurata manus*, versu 849 omisso, plane abundant et structuram turbant. *Segnia fata* explicat glossa Lips. c per *tam pigras mortes*. Sensus hic est: cur nos, qui in gladios iuravimus, sine gladiis morimur, tam lenta morte,

oecumbentes? Quare recte *fata*, non *bella*, quod in Rottend. pr. et pro var. lect. in Lips. a legitur; *bella* mox vs. 851 redit, et *fata* melius quadrat, quum de morte sermo sit, cf. vs. 854; 862. Sic supra quoque VII, 670 *Nec iugulo* pati *vel pectore letum*.

CAPUT III.

DE VERSIBUS LUCANI VEL IN TEXTU VEL IN MARGINE CODICUM SERIUS ADDITIS.

Aliud interpolationis indicium locum suum habet in versibus, qui vel in margine vel in textu serius additi leguntur. Pertinet vero ad externa spuriorum versuum indicia, et, quemadmodum in omnibus, sic in hac quoque re videndum est, ne plus, quam par sit, huic indicio tribuamus; per se enim minime tale est, quod versum aliquem damnare possit, nisi alia vel externa vel interna indicia accedunt. Varii autem sunt huius rei modi, qui cognosci et considerari debeant. Ante omnia quaerendum videtur, utrum versus aliquis ab eadem manu, qua Codex scriptus, an ab alia, quae Codicem restituerit et correxerit, sive in textu sive in margine additus sit. Facile enim apparet, neque eandem esse rem, neque utramque rationem in notandis spuriis versibus idem valere. Qui ab eadem manu, qua Codex exaratus, additi sunt versus, minorem ex illo Codice interpolationis suspicionem excitant, quam qui ab alia manu scripti leguntur. Nihilo minus vel hoc in ponderandis versibus non est praetereundum, quum interdum habeat, quod versus alicuius interpolationem confirmare possit; sed distinguendum est, quid negligentiae ipsius librarii et quid causae in alia re quam in negligentia librarii positae adscribi debeat. Quod priorem rationem attinet, apparet nullum hoc loco habere momentum; etenim quis versus, qui negligentia librarii exciderint, Lucano merito abiudicet? et quam multi tum delendi essent!

Digitized by Google

Ita I, 425

Optima gens flexis in gyrum Sequana frenis,

ubi similitudo *Optima* et *Optimus*, quod vs. 424 in eadem sede legitur, effecit, ut librarius Codic. Florentini versum genuinum omitteret, sed postea in margine adderet.

Eodem modo factum est VI, 129

Tot simul e campis Latiae fulsere volucres.

Versus in margine Cod. Lips. c legitur, sed qui negligentia librarii, in verbo *tot* ab initio vers. sequentis repetito errantis, excidit, neque cur displiceat habet, damnari non debet; accedit, quod versu deleto incommodi quid in verbis *Tot cecinere tubae*, nimis abrupte positis, restat. Quod singula attinet, Bentl. *ac*, Heinsius *ut* pro *e* tentabant, deleta maiori interpunctione post v. *tubae*; sed copula non opus est, quam poeta saepius ad v. *tot* omittit, cf. IV, 676 *populi tot castra sequuntur*; V, 676 *pariter tot* regna, tot urbes *Fortunamque suam, tacta tellure, recepit*; VII, 652 Tot telis *sua fata peti*, tot corpora *fusa vidit*. Rei magnitudo enim poetam in his commovisse videtur, ut quasi ex abrupto loqueretur. *E* autem, cuius loco 4 MSS. Burm. *in* habent, licet in charta erasa Lips. c sit, verbo *fulsere* et re ipsa defendi debet. Dicuntur enim signa Caesarianis, qui in muro fuissent, e campis eminus fulsisse; sic IV, 741 *procul* e summis *conspecti* collibus hostes; et VII, 369 *pendentes* e summis moenibus *urbis* — *matres*. *Simul* deinde, quod facile in *semel*, quocum saepissime confunditur, cf. Oudendorp. ad III, 296; VI, 757; IX, 831, mutari possit, recte h. l. habet; melius enim ad v. *tot* quadrat, quam *semel*, quod praeterea iam in v. *subitus* vs. 128 inest. *Fluxere* denique, quod in Rottend. sec. pro *fulsere* legitur, h. l. nihili est, et saepius in libris cum v. *fulgere* commutatur, cf. Wakef. ad Lucret. I, 899. *Fulgere* de signis saepius dicitur, cf. I, 244; II, 576.

VIII, 121

Accipe templorum cultus aurumque deorum.

Digitized by Google

Ubi v. *Accipe* positum ab initio vers. proximi in causa fuit, ut librarius Cod. Lips. d versum omissum in margine scriberet. Neque varia lectio Lips. c, qui malae est notae, ut supra diximus, versum suspectum reddere potest; aperte enim libravius aberravit.

IX, 32

Corcyrae secreta petit, ac mille carinis.

Versus in marg. Cod. Lips. o legitur, et fortasse propter similitudinem priorum syllabarum in *Corcyrae* et *Colligerent* vers. 31 excidit, ita ut sensus, qui sine eo quodammodo constat, errorem adiuvaret; sed seqq. verba *ratibus tantis* versum genuinum esse aperte docent. *Ac* sine dubio recte habet; *qua* enim ex coniectura eius ortum est, qui syllabam ultimam in v. *petit* produci non posse putaverit. Scribe *petiit*, ut ultima per synizesin producatur, cf. Oudendorp. ad IX, 430 *petimus ab orbe*; adde V, 522; X, 64 et saepissime ap. alios. Denique nimis audacter Bentl. *Liburnis* pro *carinis* reposuit, causa non sufficiente, cf. III, 647, 50, 54 *carinae*; 692, 97, 702 *undae*.

IX, 918

Et panacea potens et Thessala centaurea.

Versus legitur in margine Lips. o et excidit, quum v. *Et* ab initio huius et praecedentis versus librario fraudi fuisset. In singulis nihil est mutandum; nomina peregrina saepissime in Mss. corrumpuntur, ut h. l. factum est. De *Panacea* cf. Plin. H. N. 25, 4, qui plura eius genera recenset; meminit eius quoque Virg. Aen. XII, 419; sicuti *Centaureorum* in Georg. IV, 270, de quibus vid. Plin. H. N. 25, 6.

X, 312, 13

Qua dirimunt Arabum populis Aegyptia rura
Regni claustra, Philae mox te deserta secantem.

Librarii Cod. Lips. a et Bouh. oculis lapsi in vv. *Qua dirimunt* ab initio vs. 314 repetitis, haec prius omissa, errore intellecto, in margine adiecerunt. Sensus verborum apertus est; in singulis verbis *Quo*,

Digitized by Google

quod pro *Qua* in Turrian. et Oxon. 1 legitur, nt sit *quo loco, ubi*, certis exemplis confirmari non potest; in plurimis enim substantivum habet, ad quod referri possit. Difficilior est res in v. *populis*, cuius loco multi et optimi libri *populos* exhibent, ita ut vv. *Aegyptia rura* ad v. *Philae* apposita sint; sed displicent duo apposita *Aegyptia rura* et *claustra regni*; displicet appositum *rura* de *Philis*, cf. Senec. Nat. IV, 2. Multo minus probari possunt, quae Schol. Lips. a habet, *Aegyptia rura* appositi loco ad v. *populos* accipiens; *populo* autem, ut Oudendorp. volebat, vel *populos et*, ut in Lips. d legitur, metri legibus repugnant. Sine dubio scribendum est *populis*, a Burm. quoque recte ad h. l. probatum; *dirimere* enim a scriptoribus ablativo et praepositioni *a*, cf. Plin. H. N. III, 5 *Tiberis* (*agrum*) — *Latinum a Vaticano dirimens*; sed a poetis soli ablativo coniungitur, cf. Manil. de Coluro Aequinoctiorum I, 620 *Geminis Cancrum dirimit*.

Eadem similitudo verborum, quae ab initio versuum, in fine quoque librarios in fraudem induxit. Sic

II, 524—26.

Iamdudum moriture paras? rue certus et omnes
Lucis rumpe moras et Caesaris effuge munus.
Haec ait et tumidos pepulit de corde furores.

Exciderunt versus in Cod. Lips. c propter v. *furores* in fine vers. 523; sed recte in margine additi sunt, quum sine iis, excepto vers. 526, de quo alio loco dicemus, sensus totius loci mancus foret. Quod singula attinet, *iamdudum* ad v. *moriture* pertinet, positione verborum docente, ut sensus sit: cur non festinas in bellum ruere, quum vita tua iamdudum morti debeatur, quum iamdudum mori debuisses; et recte ex sententia Domitii, vitam a Caesare redditam spernentis. *Omnes* deinde melius habet, nisi quis *omnis* accusativum dicat; sed forma *is* pro *es*, quantum constat a Codd. non satis probata, in Lucano, alieno ab his et similibus, ut partim tempora, quibus vixit, partim res quas tractat ostendunt, reponi non

Digitized by Google

debet; *omnes* autem, quum non in *omni luce*, sed in *omnibus moris*, quas Domitius rumpere vult, vis loci sit. Denique *munus* metonymice positum est pro vita a Caesare concessa: sic dicitur caedes Pompeii *munus Ptolemaei* IX, 268; 278, cf. supra 512.

Eodem modo III, 115

Ut videt ingenti Saturnia templa revelli,

sensus verborum librarium Cod. Flor., verbo *Metellus* in fine vers. 114 deceptum, docuit, ut quae omisisset in margine adderet. *Saturnia templa* recte, non *Saturni*, quod legitur in Cod. Bersm. 1, cf. Sil. Ital. IV, 442 *quatitur Saturnia sedes.*

IV, 672 — 74

Cardine ab occiduo vicinus Gadibus Atlas
Terminat: a medio confinis Syrtibus Ammon.
At qua lata iacet, vasti plaga fervida regni.

Leguntur in margine Cod. Lips. c; exciderant enim, quia v. *regna* vs. 671 et *regni* vs. 674 librarium in fraudem induxisset; sed sensus docuit, necessaria esse omissa. Neque causa adest, cur versus pro spuriis habeamus, quod Guietus vs. 674 fecit, male intellectis vv. *a medio* et *plaga fervida*. *A medio* enim non idem est, atque *a meridie*; neque recte dicitur *Hammon distinet Oceanum*, quod v. d. vult. Locus sine dubio inter difficiliores referendus est, sed bene a Dorvillio explicatur, quem vide ap. Burm. Iam Scholiast. Lips. a quodammodo vera vidit, ita habens: *A meridiana plaga, ibi tamen ubi dividitur Africa ab Asia, dividit Haemon* (leg. *Hammon*). In singulis haec notanda sunt. *Cardine ab occiduo* dicitur ut V, 71 *Hesperius* et *Eous cardo*, pro plaga occidentali; et *Medius cardo* non est plaga meridiana, plagae septentrionali opposita, sed medium illud, quod inter Orientem et Occidentem est, orbe terrarum in aequas partes diviso. Quem h. l. *medium cardinem*, eum *medium mundum* supra vs. 69 dixit; itaque de Hammonis oraculo IX, 531 *Deprehensum est hunc esse locum, qua circulus alti Solstitii* medium si-

Digitized by Google

gnorum *percutit* orbem; et paulo post vs. 542 *procul axis uterque est Et fuga signorum* medio *rapit omnia* coelo. Alio modo res explicatur in Cod. Lips. b: *Ab oriente dicere debebat, quia Hammon i. Iupiter arenosus finiebat* (ita legendum) *eius regnum versus orientem; est autem ipsis Romanis etiam versus Austrum, non versus Septentrionem; ipsi autem regi praedicto nec ad Austrum nec ad Septentrionem, sed recte ad Orientem.* — In seq. legitur *Et* pro *At*, sed amant poetae ita opponere; *iacent* deinde a Cortio restitutum est, ut in Lips. c, Voss. 1, 5 legitur, pro *iacet* orto propter seq. v. *plaga*; recte autem *iacent* subintellecto v. *regna* ex praecedentibus, ut glossa Cod. Lips. c docet. Denique *regni* vs. 674 commutari non debet cum verbo *mundi*, quod VV. LL. Steph. et Cod. Lips. d pro var. lect. praebent; v. *vasti* enim melius quadrat ad v. *regni*, cf. vs. 679 *fusior terra*; et rectius *plaga regni* h. l. respectu huius regionis, non totius orbis.

In aliis locis sensus verborum effecit, ut librarii aberrarint; interdum enim nonnulla sine aperto reliquorum detrimento abesse poterant, quae Codice denuo collato serius addebantur. Cuius modi exempla in Lucano haec habeo:

IV, 282

Substituit merso dum nox sua lumina Phoebo.

Salvo sensu abesse possunt, quae a librario Cod. Lips. c omissa, errore cognito, in margine addita sunt. Sensus verborum hic: Caesar animos minaces languescere passus est, dum nox lunam et stellas in locum solis mersi suffecit, supposuit. *Nox* enim non est *luna*, quod Burm. putat; sed *lumina* sunt *stellae*, *luna*, ut recte glossa Cod. Lips. c habet; similiter Ovid. Met. XV, 186 *Cernis — iubar hoc nitidum nigrae succedere nocti.* Male autem *sustinuit* pro *substituit* in nonnullis Codd. legitur, quod h. l. neque quadrat, neque dicitur.

V, 694

In dubios casus et prona pericula mortis.

Digitized by Google

Idem librarius Lips. c haec in margine scripsit, quae sensu satis salvo abesse possunt, genuina, ut ex nexu totius loci et ex v. *praecipitare* apparet. *Saeva* autem, quod in Cod. Lips. c loco v. *prona* legitur, ex praecedenti versu uti saepius ortum est; *parva* in Berm. uno et *dira* in Huls. Cod. aperte ex librarii errore; sed difficilior est res in v. *mortis*, cuius loco Lips. a pro var. lect. *martis*; Reg. 1 et Rottend. 1 *morti* habent. *Martis*, quod ex I, 299 defendi possit, h. l. minus aptum videtur, ubi sententia communis requiritur de quovis homine, non de milite tantum. Sors homines cogit in dubios casus praecipitari, et pericula mortis subire. Neque placet *morti* ab Oudendorp. probatum; verbo *pronum* enim Lucanus non dativum, sed praepositionem *in* vel *ad* et accusativum coniungere solet, cf. I, 292; 461; IV, 28; VI, 147: deinde rectius *pericula mortis*, ut sit una notio, verborum positione ita postulante.

VI, 618

Aequoraque et campi Rhodopeaque saxa loquentur.

Versus in marg. Lips. c legitur, et salvo sensu abesse poterat, verbis *tellus* etc. in praecedenti versu verbo *patebunt* coniunctis; sed nulla est ratio, cur damnetur. Ceterum nimis audacter Bentlei. *et Tempe et Rhodopeia saxa* correxit, offensus fortasse in repetito v. *campis* vs. 620, de qua re saepius monuimus; praeterea iusta est oppositio inter *campos* et *saxa* i. e. inter loca plana et edita, ut saepissime apud poetas. Deinde forma *Rhodopea*, quamquam paucis tantum Mss. in uno hoc loco, quod sciam, probari potest, recte habet; exstant enim in pluribus patronymicis duae formae: altera in *eius* ex graeco ηϊος trium syllabarum; altera contracta in *eus* ex graeco ειος duarum syllabarum. Sic supra VI, 17 *Ephyreaque moenia*; Virg. G. II, 464 *Ephyreiaque aera*; Stat. Achil. I, 44 *Rhoeteae trabes*, et Lucan. VI, 551 *Rhoeteia littora*. Denique in Lips. a et Hulsii Cod. *loquuntur* fortasse non male legitur, quum in praesenti significatio sit: solent nobiscum loqui.

Digitized by Google

VII, 666

Iam nihil est, Fortuna, meum? Sic fatur et arma.

Eodem modo in margine Lips. a leguntur; sed omissis vv. *iam meum*, sententia, in qua totius orationis vis et quae arcte cum praecedentibus cohaeret, perit. Deinde transitus ex oratione ad narrationem sine verbo *fatur* vel alio posito non admodum placeret, cf. tamen III, 40; 153; IV, 660; V, 47; 140. Recte autem *fatur*, etsi *fatus* participium verbo *circumit* coniungi possit, ubi *et* ante v. *arma* per polysyndeton positum esset, cf. I, 228; II, 490; III, 34; 721; 748.

VIII, 483, 484

Ausus Pompeium leto damnare Pothinus:
Ius et fas multos faciunt Ptolemaee nocentes.

Exciderunt et in margine inferiori Lips. a leguntur, ab eodem librario addita, qui, sequentia verba Achorei esse fortasse ratus, haec neglexerat. Verba sine dubio genuina sunt; incipit poeta a sententia gravi, ut decet, quam ex more suo in sequentibus exponit. *Ius* et *fas* coniuncta sunt, ut V, 288; et *faciunt nocentes* dictum est, ut II, 259; 288; VII, 260; 488; VIII, 137. Locum explicat Schol. Lips. a ita: *Ius quod esset, quia debes ei fidere, et fas, quia properuit* (leg. *promeruit*); *si quis vult eam* (leg. *ea*) *tenere, sit* (leg. *fit*) *postea nocens, vel haec mox faciunt nocentes.*

IX, 615

Morsu virus habent, et fatum in dente minantur.

Versus legitur in margine Cod. Bouher. et salvo sensu abesse potest, sed qui ab omnibus Mss. probatur, damnari non debet. Quod singula attinet, optime *in* ante v. *dente* a vv. dd. restitutum est, quod ut saepius propter syllabam ultimam in v. *fatum* excidit; sed neutiquam abundat, imo suam habet significationem, ut VIII, 305, qui recte a Bentlei. laudatur; adde IV, 61, 62. *In* enim in his et similibus causam alicuius rei in aliqua re ita positam, ut appareat

Digitized by Google

et cognoscatur, notat; quare hoc quoque loco aptius *in* videtur, quam solus ablativus. *Minatur* denique, quod Bentl. pro *minantur* ex pluribus libris restituit, displicet propter praecedens *habent*, et *minantur* optime habet saepius ita dictum, cf. IX, 237; 740.

IX, 1060

Crimina Romano tristis Fortuna pudori.

Verba in marg. Lips. c leguntur, et quodammodo abesse possunt, sed versu deleto vis totius loci perit.

Restant alia loca, ubi versus, librariorum negligentia omissi, serius, postquam sensus aliquid omissum esse aperte docuisset, in margine additi sunt.

II, 554

Festa coronato non pendent limine serta.

Versus in margine Lips. b. legitur; sine quo seqq. nullo modo stare possunt; *non* enim ad totam sententiam pertinet, sic ut, deleta negatione, plane diversus sensus oriturus esset. Ceterum *limite*, quod Oisel. Cod. habet, h. l. non quadrat, et *limen coronatum* in re nuptiali satis notum est. cf. Ovid. Met. IV, 759; Sagittar. de Ian. Vet. c. 30, §. 8.

V, 79, 80

Cum viscera partus
Martis adhuc rudibus Paean.

Verba omissa librarius Lips. c, sensu reliquorum admonitus, inter lineas serius addidit; abesse enim nullo modo possunt. Locum Schol. Lips. b ita explicat: *Paean explicuit Fitone* (leg. *Pythonem*) *sagittis adhuc rudibus, quibus nondum in aliud animal fuerat usus; ipse, dico, ultor matris expulsae ab omni urbe tunc, cum premeret viscera partus, Fitō ea* (lege *Pythonem*) *fugabat*. Quod singula attinet, Oudendorp. recte *premeret* reposuit, quod in omnibus fere libris legitur; etenim non memini me legere *viscera partus*, ut sint *viscera parturientia*; nisi quis

partus in plurali numero accipiat, quod de Apolline et Diana intelligi possit, neque tamen admodum placet.

V, 209

Impactae cessere fores, excussaque templis.

Versus, quo nullo modo carere possumus, ut sensus verborum docet, in marg. Lips. d legitur. Pro *impactae* in Rottend. tert. erat *impulsae*, vel ex glossa ortum, quae in Cod. Lips. b legitur, vel ex seq. v. *expulsaque*, ut plerique et optimi libri pro *exclusaque*, cf. Heins. Advers. I, 13 p. 139, habent. Possit quidem v. *impactae* suspectum esse, quia plerumque dativo vel praepositioni *in* et accusativo coniungitur, sed saepe quoque ablativo rei, qua aliquid in aliquam rem impactum esse dicitur, cf. Drakenb. ad Sil. Ital. I, 648. *Expulsa* denique recte habet, ut supra 146 *dubiam in templa sacerdos Impulit*; est enim deus, qui vatem expellit, ut I, 575 *Erinnys Thebanam — Agaven Impulit*. *Excussa* autem in uno tantum Lips. d legitur, ortum ex v. *exclusa*, quod saepe cum v. *expulsa* confunditur, cf. Burm. ad III, 712.

VIII, 161

Totus erat: vigilis Pompeii pectore curae.

Verba, sine quibus neque praecedentia neque sequentia recte intelligi possunt, in marg. Cod. Lips. c leguntur. Quod singula attinet, praepositio *in*, quae ab omnibus fere Mss. abest, recte ab Editoribus improbatur. Minus bene Oudendorp. verba *vigiles Pompeii curae urbes adeunt pectore* coniungit; exempla enim laudata rem non confirmant, quum *pectore* h. l. non *mente* sit; *pectore* autem, pertinens ad vv. *vigiles curae*, ut ordo verborum indicat, pro *in pectore* positum est, quod saepius a poetis omittitur, cf. Oudendorp. ad Lucan. VIII, 198; Sanct. Minerv. IV, 6 T. II, p. 246 sq. ed. Bauer.; Index Horat. ed. Bentl. s. v. *in*, quibus adde Lucan. I, 272.

IX, 329 — 32

Vincitur et nudis avertitur armamentis.

Digitized by Google

Sors melior classi, quae fluctibus incidit altis,
Et certo iactata mari; quaecumque levatae
Arboribus caesis flatum effudere prementem.

Versus ad reliqua verba intelligenda necessarii, male in Marp. Cod. margine leguntur. Sensum totius loci explicat Scholiast. Lips. a: *Et tanta fuit vis venti, quod si quis ligavit ipsa vela, tamen solis armamentis revectus est. Armamenta vocat malum et funes, et etiam ipsum velum volutum circa malum. Et quamvis multa sint passi, illi tamen melius fuerunt istis, quia habuerunt certum mare. Certum mare vocat, ubi non erant syrtes; sed illas, quae alleviatae propter caesos arbores removerunt a se frementem flatum* (ita leg. pro *fretum*) *venti, has abstulit aestus volvens contraria ventis.* — In singulis plura notari debent. *Nudis*, cuius loco in Lips. a et c *nudus* metro claudicante legitur, recte habet; *nuda* armamenta sunt, quae vela non habent; sic *nudos ramos* I, 139 et multa alia. *Classis* deinde pro *classi* legitur in Thuan. pr.; saepissime autem uterque casus in libris confunditur, cf. Oudendorp. ad I, 195. Qua in re tenendum est, dativum utpote magis exquisitum probari debere, ubi notio eius, quae est attribuendi, praepolleat, et verbi ad aliquam rem relatio maior sit, quam substantivi; unde dativus plerumque verbo coniungitur; sed meminisse iuvat, poetas saepius in hac re variasse, ut orationem exquisitam et a pedestri sermone diversam redderent. — In seqq. *est* post v. *mari* in multis Burm. et pluribus licet non optimis Oudendorp., nec non in Lips. c et d legitur, neque male; Lucanus enim verbum substantivum alii verbo per copulam coniungere solet, cf. III, 461; IV, 454; V, 63; 298; alia est res, ubi participium, omisso verbo substantivo, priori loco positum est, ut IV, 205 et V, 373. — *Effudere* denique, cuius loco in Voss. 1 pro var. lect. *Effugere* legitur, improbat Burm., de nave dici posse negans; sed recte vela, primum vento tumentia, postea caesis arboribus laxa, ventum quasi effundere et emittere dicuntur. Quo verbo constituto, melius quoque *prementem* quam *frementem* videtur, metaphora sumta

Digitized by Google

ab equis, ut recte iam Oudendorp. monuit; sic dicitur *silva a Borea pressa* I, 390.

IX, 886

Contulit in letum vires: puduitque gementem.

Verba in marg. Lips. c scripta salvo sensu abesse non possunt, ut omnia docent; ita enim Catonis mores et auctoritas apud suos optime describuntur. Versum explicat Schol. Lips. b: *Contulit in letum vires; istud dico meritum ingens et maius apud ipsum, quam si ad salutem i. vitam prolongandam eas conferret.* Et man. al. *Fecit eos fortes ad mortem.*

Eadem fere res est, si verba ab eadem manu, qua Codex aliquis scriptus est, in membrana erasa leguntur. Possunt enim illa in margine Codicis transscripti fuisse et suspicionem nostram movere, ut supra IV, 251 vidimus; sed negligi non debet, quanta fuerit librariorum incuria vel praecedentia bis scribentium, vel, omissis in medio nonnullis, sequentia prioribus coniungentium. Errore enim cognito et correcto loca genuina in charta erasa scribebant.

VIII, 548 — 52

Cognatas praestate manus, externaque monstra
Pellite, si meruit tam claro nomine Magnus
Caesaris esse nefas. tanti, Ptolemaee, ruinam
Nominis haud metuis? coeloque tonante profanas
Inseruisse manus, impure ac semivir, audes?

Locus Guieto spurius, in charta erasa Lips. d legitur. Quis tamen eum recte damnaverit, quo neque praecedentia, neque sequentia ullo modo carere possunt? quaenam *fides servanda* foret? quis ille *non domitor mundi*, et quomodo ex prioribus ad haec transiverit? Variae autem lectiones, ex solenni errore ortae, absurdae sunt. Locum genuinum esse apparet, sed difficilior est sensus a glossatore Lips. c ex parte ita explicatus: *vos trucidate, ne a barbaris occidatur; civilia bella praestate manus vestras, si a Caesare dignus est mori!* Sequentia ita interpre-

Digitized by Google

tor: Cuius tanta fuit fama et laus, ut a Caesare occidi debuisset, hunc tu interficere non metuis, manum impuram iniicere ausus? Male Cortius verborum positionem mutavit; male Bentl. *nominis* propter v. *nomine* vers. 549 et propter sequentia *coelo tonantis*, nec non Oudendorp. correxit; repetitio enim eiusdem vocabuli, si quibus in locis, h. certe l. non offendit, ubi poetae rhetorice loquenti apta est et nexum sententiarum ostendit. Praeterea Pompeium vel alium *numen* dici a Lucano non memini. *Coelo tonante* explicat Scholiast. Lips. c per: *Iove regnante audes hoc facere, qui vindicabit Pompeium;* sed rectius Oudendorp., quod nexus totius loci docet. Hoc enim ante omnia vult, ut externae manus bello civili se non inserant, cf. II, 289 seqq.; IV, 393, ubi *bellum civile* similiter cum *mundi ruina* comparat. Neque denique, quae Guietus ad seq. versum monuit, locum damnare possunt; recte enim Ptolemaeus dicitur *impurus*, quia sorori nupsit, ut infra IX, 130; X, 362; 63, et *semivir*, quia puer, unde X, 94 *puer* a sorore nominatur, et *semivir tyrannus* IX, 152.

Simili modo de iis locis iudicandum est, in quibus non eadem manus Msti, sed alia versum unum vel plures in charta erasa addidit. Causa suspicionis in talibus iustior videtur, quam in prioribus, quum facile versus genuinus a librariis deletus, et cum spurio commutatus esse possit; quare nova cautela in his opus est. Exempla huius rei in Lucano duo sunt. Alterum

III, 66

Nec plus Hesperiam longinquis messibus ullae

Versus ab alia manu scriptus in charta erasa Cod. Florent. legitur, suspicionemque interpolationis movet, quum eadem fere atque sequens exprimat, *plus* autem et *magis* singulari modo posita sint. Nihilo minus versus genuinus est; sequentia fortasse bis scripta, quum verbum *Nec* ab initio utriusque versus errori ansam praebuisset, ab alio correcta sunt. Quod sententiam utriusque versus attinet, sane similis est, sed meminisse debemus, Lucanum saepius eandem

Digitized by Google

rem variasse. Tum verba necessaria sunt, quum v. *terrae* sine v. *ullae* recte intelligi non possit; denique loco verbi *plus* multi et meliores libri *prius* praebent, quod sine dubio probandum est. Sensus hic: nulla terra citius Italiam, neque ulla magis Romam frumento sustentavit, quam Sicilia et Sardinia, cf. Liv. XXII, 37; Cic. Manil. 12, ubi Intpp. Ita coniectura non opus est, qua Bentl. nimis audacter locum sanare studet, neque melius Clercquius, verborum ordine nexuque turbato. *Longinquis* autem recte Scholion Lips. c *a longinquis regionibus advectis* explicat.

Alterum legitur
V, 26

Si fortuna ferat, rerum nos summa sequetur.

In eodem Cod. Florent. vv. *ferat—sequetur* in charta erasa manu alia leguntur, sed neque habent, cur suspecta sint, neque salvo sensu abesse possunt. Pro *nos* legitur in Flor. et Voss. 1 *vos*, sed supra vs. 22 est *nos*, ubi idem Voss. 1 male *vos* habet; neque verisimile est, Lentulum hic a senatu se distinguere, ubi nulla est ratio, ut infra vs. 45. — Pro *summa* denique in Hamb. tert. *fama* legitur, sed *summa rerum* nostro peculiare est, cf. VI, 304.

Alia est res, si versus vel in margine vel inter lineas ab alia, quam qua Codex scriptus est, manu additi vel inserti leguntur; apparet enim eiusmodi versus merito suspectos esse, nisi ratio adsit, quae negligentiam librarii doceat; quod in plerisque locis fieri posse infra videbimus. Verum etiam in quibus locis negligentiam librariorum demonstrare non possis, cavendum est, ne nimium huic rei tribuens versus, nisi alia vel externa vel interna interpolationis indicia accedant, expellas, uti supra indicavimus VI, 152, et infra X, 8 demonstrabimus. Itaque ante omnia videndum est, si qua ratio negligentiae in omisso aliquo versu adsit, nec ne. Qua in re easdem perspiciemus causas, quas supra cognovimus, eo tamen discrimine, ut omissa ab alio librario addita sint.

Loca, ubi versus exciderunt, quia vel idem vel simile verbum ab initio proximorum versuum scri-

Digitized by Google

bas in errorem induxerat, et ab alia manu serius additi sunt, haec habeo:

I, 204

Inde moras solvit belli, tumidumque per amnem.

Versum Florent. Cod. in margine man. alia scriptum habet. Sensus reliquorum sine eo quodammodo constaret; sed apparet v. *Ille* vs. 203 et v. *Inde* vs. 204 in causa fuisse, ut posterior versus exciderit. Praeterea deleto eo transitus ex oratione in narrationem non satis aptus foret, neque ex usu loquendi Lucaneo, ut supra ostendimus. Quod singula attinet, Burm. *tumidum* in *tumidus* mutatum voluit, non propter vs. 185 *parvi Rubiconis ad undas*, et vs. 213 *parvisque impellitur undis*; sed propter verba comparationis vs. 207 *totam dum colligit iram* et vs. 208. *se stimulavit verbere caudae Erexitque iubas*, quae tamen iustam mutationis causam non praebent. Burmannum enim tertium comparationis, quod dicunt, fefellit, quod non in ira atque furore Caesaris et leonis, sed in eo, ut leo, viso hoste, dubius subsidens postea securus exeat, et Caesar, visa imagine patriae, vestigia in ripa tenens, de verbis Romae non sollicitus, signa propere per amnem ferat. Deinde cur Caesar h. l. *tumidus*, ut sit iratus? quis iram eius movit? Recte autem *tumidus* h. l. de Rubicone, cui vs. 217 *tunc vires praebebat hiems, atque auxerat undas pluvialis Cynthia, et resolutae Alpes.* Ita *tumidus* saepius de fluviis et undis dicitur, cf. I, 370; II, 457; 496; IV, 133; V, 217; et *tumere* V, 640; 702; VI, 272; X, 229. Mira est explicatio in Cod. Lips. c *Et quamvis Rubicon fuisset parvus natura, tamen propter ipsam Romam, quae apparuit, ei dissuadens ne iret, intumuit. Timidum*, quod Turrian. habet, ab Oudendorp. in Epist. II ad Schrader. probatum, ut de accolis Rubiconis translate dictum sit, h. l. non quadrat.

I, 364

Et dum pila valent fortes torquere lacerti.

Verba sine detrimento sensus abesse possunt, et in

Digitized by Google

Hamb. tert. ab alia manu in margine leguntur; sed apertum est, versum hanc ipsam ob causam excidisse, vel quia v. *dum* ab initio vs. 563 et vs. 564 librarium in errorem induxerat. *Validi*, quod pro *fortes* in Marp. legitur, ex praecedenti v. *valent*, vel ex glossa ortum est; sic *fortes* pro *validi* dicitur IX, 780 *manant humeri* fortesque lacerti; et saepius.

VII, 259—61

Haec fato quae teste probet, quis iustius arma
Sumserit: haec acies factura nocentem est.
Si pro me patriam ferro flammisque petistis.

Verba in Thuan. prim. non nisi a man. sec. leguntur; sed nihil in iis, quod Lucano indignum sit, neque h. l. quadret video. Recte enim Caesar milites exire cupientes fortiter pugnare adhortatur; accedit, quod vs. 262 sine his mancus foret, quamvis explicari possit; praeterea ratio, cur exciderint, in v. *Haec* ab initio vs. 257 et 259 posito adest. Sensum totius loci explicat Schol. Lips. a his: *Et in hac die poterit discerni* (Lips. b, in quo idem Scholion, habet *disci*) *quis iustis* (lege *iustius* Lips. b) *induit arma; nam qui vincet,* (Lips. b *vincit*) *iustis* (leg. *iustius*. Lips. b) *induit; qui victus erit, reputabitur nocens; et debetis hoc facere pro me, cum maiora iam fecistis, et hoc dicit, sed* (leg. *si*) *pro me patriam* etc.— In singulis nonnulla rectius constitui debent: *probat* pro *probet* non male in Rottend. tert., Marp. et Lips. c a man. pr. legitur; indicativus enim Caesari melius convenire videtur, quum pro certo haec affirmet. — In seq. versu *est* a pluribus MSS. Pulmanni, Burmanni et Oudendorp. abest; sed amat Lucanus *est* in fine versuum, cf. I, 540; III, 234; VI, 124; 494; 561; (ubi male in Marp. omittitur) 596; 671; 756; 811; praesertim si qua sententia ut h. l. clauditur. Denique *flammaque* pro *flammisque* reposuit Oudendorp. ex Barber., Witt., Oxon. et Bersmanno propter sonum *is* ingrate repetitum; sed talia Lucanus non curat, cf. II, 194, 95 — *colonos* — *suos cunctos*; 367 *obsita funerea* — *purpura lana*; III, 43, 44 *tellus Puppibus accessus faciles*; V, 158, 59 *nobis meritas*

dabis — poenas, — superis quos fingis — mergeris antris; 349 *geritis, quisquis*; VI, 151 *Impius — cunctis ignotus Caesaris armis*; 441; VII, 110; 179; 253; 369; 641; IX, 435; 500, 1; 909; X, 10; 290. Neque pro Oudend. loca faciunt, ubi formula *ferrum et flamma*, ut in Ovid. Met. XII, 551 *inque meos* ferrum flammamque *penates Impulit*, et XV, 441 Flamma *tibi* ferrumque *dabunt iter*, redit; solent enim poetae talia commutare, a librariis passim correcta. Quare vulgatam lectionem ex optimis Codd. tueor, Cortii quoque coniectura *flammis patriam ferroque* corrigentis repudiata, quamvis formula divise poni possit, cf. II, 445 *si ferro popidetur et igni.*

VIII, 369, 70.

Credite pendentes e summis moenibus urbis
Crinibus effusis hortari in proelia matres.

In Cod. Oxon. primo ab alia manu addita sunt; sed apparet librarium in v. *Credite* repetito ab initio vs. 371 errasse, unde varius quoque ordo in Rottend. tert. ortus videtur. Sententia et verba singula Lucano perquam digna sunt. Pro *e summis* Voss. 1 habet *in*; sed *e* magis poeticum est; similiter VI, 291 *super* e totis *immisit* collibus *agmen*, cf. supra ad VI, 129; denique Bouher. et Rottend. tert. verborum ordine mutato *summis e* habent, Oudendorp. probante, ni fallor, propter quartum pedem uno verbo constitutum; sed talia noster non curat, cf. I, 4; 30; 52; 126; 135; 140; 167; 182.

IX, 387

Si quibus in nullo positum est evadere voto.

Versus in Rottend. sec. a m. pr. deest; excidit propter sequentis versus initium *Si quibus*, et quia salvo sensu abesse poterat; sed recte a man. sec. restitutus est. Ex eadem causa factum videtur, ut idem versus in Lips. c bis, ordine vulgari servato a man. prima, et ab alia manu in marg. post vs. 390 legatur; scriba enim, qui versum in margine alius Cod. animadverterat, textus verbis non perspectis, eum intulit. Sententia ipsa admodum placet digna loco et Lucano.

Digitized by Google

Neque in singulis verbis haerendum puto; *discedere* glossa est v. *evadere*; *voto* recte a Burm. defenditur, et *oppositum* pro *positum* ex solenni errore librariorum, syllabam ultimam praecedentis verbi primae sequentis coniungentium, ortum est.

IX, 1104

Fecisses ut Roma mihi. nec talia fatus.

Excidit versus in Cod. Lips. c, quum v. *Fecissem* vs. 1103 librarium in errorem induxisset; sed recte ab alia manu in margine additus est, sine quo oppositio inter haec et praecedentia periret; sequentia autem plane alium, quam quem poeta voluit, sensum praeberent. Quod singula attinet, male in Oxon. pr. *Fecissesque* legitur, propter syllabae *es* quantitatem, ut videtur, additum, aperte tamen turbata oppositione, quae inter *Fecissem* et *Fecisses* est.

Eadem verborum similitudo, vel idem vocabulum in fine quoque versuum fraudi fuit, ut nonnulla interdum omitterentur, ab aliis serius addita; unde apparet iustum interpolationis indicium ex hac re hauriri non posse.

IV, 129—31

Incipiunt, visoque die durescere valles.
Utque habuit ripas Sicoris camposque reliquit,
Primum cana salix madefacto vimine parvam.

Verba non leguntur in Cod. Laurentino, nisi in marg. ab alia manu, et exciderunt fortasse propter v. *calles* vel *valles* in fine vs. 129, et v. *colles* in fine vs. 128, quantum ex vv. *stagnis* — *colles*, ab alia manu in charta erasa forsitan loco verborum: *visoque* — *calles* scriptis colligi potest. Sensus et nexus cum reliquis verba genuina esse aperte docent; difficilior est res in singulis verbis. *Calles* pro *valles* vs. 129 in 4 Mss. Burm., Witt., Huls., Lips. b, c, d et man. sec. in a legitur, unde *colles* in Rottend. sec. et Turrian.; sed facilis est lapsus in *calles* ex v. *valles*; deinde Mss. optimi habent *valles*; tum non intelligitur, cur *callium* mentio h. l. facta sit, nisi quis verbis *tecta-*

Digitized by Google

rum errore viarum vs. 91 respondere atque ex usu militari dictum esse contendat; denique multo melius *colles* et *valles*, quam *calles* et *colles* opponuntur, ut infra 262 *campi* et *colles*. *Durescere* autem de tellure, ut IX, 942 et similiter supra vs. 55 *Aruerat tellus* hiberno *dura* sereno. In seqq. *relinquit* pro *reliquit* ex more Lucani defendi possit, qui saepius perfectum praesenti coniungit, cf. supra ad II, 325; sed meliores Codd. praeteritum probant. — Recte denique Oudend. *vimine* contra Voss. pr., Reg. pr. et plures Editt. defendit, neque Priscianus ad hanc rem aliquid facit, Mstum jam corruptum habuisse ostendens; *robur* enim de *salice* dictum non memini, saepissime autem *vimen*, cf. Virg. G. II, 446 *Viminibus salices fecundae*, quod iam vv. *madefacto* et *texitur* quodammodo probant, ut taceam de more veterum naves ex viminibus texentium, de quo cf. Dempst. ad Rosin. Antiq. Rom. VII, 32, p. 728. — Unde tamen illud *robur* venerit, difficile dictu est, nisi quis ex vs. 159 illatum putet.

IV, 169

Castra locant, postquam spatio languentia nullo.

Deest versus in eodem Cod. Laurentino, ab alia tamen manu in margine additus; excidit sine dubio, quum librarius in similibus vv. *vallo* et *nullo* in fin. vers. 168 et 169 errasset, neque sequentia verba eorumque nexum cum versu 168 perpendisset; accuratius consideranti verba maxime necessaria erunt. Quod Burm. h. l. attinet, male cum Scholiaste egit, interpunctione neglecta, quam Oudend. recte post v. *languescerent* posuit. *Locat* denique, quod a m. pr. in Cod. Lips. b legitur, probari possit, sed propter praecedentem singularem *praevenit* ortum videtur; deinde placet transitus a Caesare ad milites, ut infra VII, 124; 127; 747; 751.

V, 425

Exierant, et luna suas jam fecerat umbras.

Excidit versus in Cod. Lips. b propter similitudinem vv. *undas* et *umbras* in fine vers. 424 et 425; sed

Digitized by Google

qui salvo nexu omitti non poterat, recte ab alio in marg. additus est. *Umbras* Schol. Lips. a explicat: *Sicut inde*, (leg. *in die*) *soli* (leg. *sol si*) *non obscuratur a nubibus, faciunt corpora umbras, ita etiam in nocte, si luna non obscuratur a nubibus; sed non principio noctis, et hoc notat, ubi dicit: et luna jam fecerat etc. Umbram facere* de sole dicitur Ovid. Metam. III, 50; sed *umbras* h. l. pro *nocte*, ut saepissime positum est, cf. Valer. Flac. I, 284 *totidemque peregerat umbras Luna polo.*

IX, 438—41

Hoc tam segne solum raras tamen exserit herbas,
Quas Nasamon gens dura legit, qui proxima pontò
Nudus rura tenet, quem mundi barbara damnis
Syrtis alit; nam litoreis populator arenis.

Exciderunt versus in Lips. c, quum v. *arenis*, quod in fine vers. 437 et 41 legitur, librarium in errorem induxisset; sed qui salvo sensu abesse non possunt, et arctissime cum sequentibus cohaerent, recte ab alio in margine additi sunt. In singulis pauca sunt notatu digna. *Tamen*, cuius loco Editt. veteres male *tantum* exhibent, recte exponit Schol. Lips. a ita: *Quamvis sit ibi tantus calor, tamen sunt ibi aliquae herbae, unde vivit Nasamon populus, sed non inde tantum vivit, sed de rapina, quam facit in Syrtibus, et hoc est quod dicit, Quae barbara Syrtis alit damnis mundi, i. de his quae mundus ibi perdit.* — *Colit* deinde ex Voss. 1 pro *legit* recte Burm. refutat; *legere herbas* saepius dicitur, cf. VI, 442; similiter VII, 756 de auro *Quodque* legit *dives summis Arimaspus arenis*; et quadrat optime ad v. *raras*. Ordinem denique verborum *quem mundi* Cort. sine causa mutavit, cf. quae diximus ad VII, 369. — De *Nasamone* autem accola Syrtium, de rapinis naufragii vivente, vide quae collegit Rupert. ad Sil. Ital. I, 407.

IX, 485—88

Qui super ingentes cumulos involvit arenae,
Atque operit tellure viros. vix tollere miles

Digitized by Google

Membra valet, multo congestu pulveris haerens.
Adligat et stantes adfusae magnus arenae.

Miro modo libri h. l. fluctuant; nihilominus versus genuini sunt, aperta fluctuationis ratione. Omittit Richel. vs. 485, vel quia librarius in v. *arenae* errabat, vel ex alia causa nos latente; sequentia versum abesse non patiuntur. Idem versus cum duobus sequentibus non legitur, nisi a man. sec. in Cod. Bouher. antiquissimo, et salvo sensu abesse possit; sed ratio interpolandi non apparet, imo causa, cur verba exciderint, in v. *arenae* vs. 485 et 488 posita. Idem v. *arenae* in causa fuit, ut librarius Voss. sec. versus 486—488, omissos, vel errore cognito, vel quia in Codicis margine, quem transscripsit, ita invenerat, alieno loco post vs. 492 posuerit. Quocunque demum modo factum sit, apparet ita legi non posse; eodem modo de versu 488 iudicandum est, qui in uno Voss. excidit propter similitudinem v. *haerens* in fine vs. 487, et *arenae* in fine vs. 488. Neque denique ex silentio Scholiastae Lips. a aliquid pro interpolatione horum versuum colligere possis, quum, sensu in universum indicato *Ad haec ostendit alia pericula, quae passi sunt*, singula ab eo non explicentur; in quibus tamen plura notari debent. — V. 485 plures Mss. Burm., Voss. quart. et Witt. *ingentis* pro *ingentes* habent; sed, si *ingentis* genitivus est, rectius *ingentes*, quia *cumulos* notio est primaria, et genitivus *arenae* eam tantum definit, ita ut adiectivum ad v. *cumulos* pertineat, quod positio verborum et paulo post verba *magnus arenae agger* ostendunt. Ex eodem fortasse loco Heins. hic *ingestae* pro *ingentes* voluit; sed *ingestae* parum ad rei descriptionem facit, et in v. *involvit* quodammodo iam inest. *Cumulos*, quod in omnibus, excepto Voss. primo, legitur, de arenis solenne videtur, cf. Lucan. IX, 340, ubi unus Oxon. *tumulos*. Virg. G. I, 105; nam in locis ab Oudend. allatis alia est res. Differt autem *cumulus* a *tumulo*, ita ut in hoc notio altitudinis sola spectetur, a tumendo i. e. excedendo e planitie; in illo autem praeter hanc altera accedat cumulandi, ubi editum aliquid congerendis et coacervandis pluribus rebus consideratur. *Viros* in sequenti versu Micyll. male explicat de Psyl-

Digitized by Google

lis, quod poeta sine dubio alio modo dixisset. *Viros* i. e. Romanos; neque offendere debet seq. v. *miles*, ita enim saepius transit poeta. Sic *viri* de *militibus* pluribus in locis dicuntur, cf. VII, 738, et supra vs. 471 eosdem *viros* nominat. — Vs. 487 *juvat*, quod in Voss. primo pro *valet* legitur, loco non est accommodatum; *valet* autem optime rei magnitudinem describit. — *Et* ante v. *multo* in Lips. c sine dubio ex ultima syllaba v. *valet* ortum metra turbat; *multo*, quod Bentl. sine iusta causa in *multi* corrigi iussit, fortasse inductus loco VIII, 867, eadem ex ratione defendi debet, qua supra *ingentes* vidimus; similiter II, 678 aggere multo *surgit opus*. — *Congestu* autem ut infra vs. 988 dictum est, neque infirmatur auctoritate Turriani praebentis *coniectu*, quod pro *congerie, coacervatione* ex Lucret. III, 199; V, 417 probari possit; sed seriori tempore pro *iactu*, *coniectione* tantum dictum videtur. Versu 488 *et stantes* recte; quum *stantes* h. l. oppositi sint *iacentibus* vs. 482; illi prae multitudine congestae arenae surgere non poterant, sed etiam *stantes* ab arenae cumulis tenebantur; quare neque *adstantes*, ut in Rottend. tert. legitur, ortum ex seq. *adfusae*, neque Heinsii *exstantes* placet. *Adfusae* denique propter v. *stantes* melius videtur, quam *effusae*, quod in Oxon. uno, Amstelod. Turr. et vett. Edd. legitur; exprimit enim arenas, Austro torquente, ad milites delatas et accumulatas fuisse; qua re *adfixus* quoque, quod Cod. Lips. a pro var. lect. praebet, improbo.

IX, 1074. 75

Ius gladio? vestris quaesita licentia regnis?
Non tuleram Magnum mecum Romana regentem.

Locus memoratu dignus est, quia utramque rationem, de qua supra diximus, coniunctam habet; exciderunt enim versus 1074 et 1075 in Lips. c, ut videtur, propter similem vel eundem exitum verb. *arvis* vel *armis* vs. 1070 et 1076. Quod quum scriba animadvertisset, sensu admonitus, qui sine priori certe versu non constabat, priorem versum in margine addidit, neglecto tamen altero, quem alia demum manus priori adiunxit. Uterque autem versus sine dubio genuinus

Digitized by Google

est, ut iam sensus et vis totius loci, quae inest in indignatione Caesaris de nece Pompeii, et in comparatione sui ipsius cum Ptolemaeo, docet. Quod singula attinet, nihil est notatu dignum, excepto verbo *gladiis*, quod, in Lips. c. ortum ex seq. *vestris*, locum habere non potest nisi mutato v. *Pellaeo*. Sensum totius loci explicat Schol. Lips. b. ita: *Ergo i. Th. Videtur ad hoc respicere, quod ille dixerat, dignumque clientem Castris crede tuis. Ut eum in regnum suum* (leg. *regno suo*) *vindicaret.* — *Ergo quandoquidem manus vestras extendistis in Pompeium, ergo apparet, quod per bellum Thessalicum adepti estis maiorem potestatem.* (Lips. c, qui ab his verbis incipit: *Pugnavi ideo, ut Ptolemaeus vinceret?*) *Pompeium enim occidere* (Lips. c *interficere*) *et in eum potestatem habere, est quasi Caesari imperari* (leg. *imperare*. Lips. c *comparare*). *Vel ita E. i. Th. P. f. a. I. g. ut eodem iure portetur amplius gladius ante eum pro insigni, quia quem ego expugnavi, ille occidit, sicut et ante me.* — Vides locum male intellectum; melius scholion, quod in eodem Lips. b legitur, et cum Oudendorpii Scholiaste consentit; cf. Oudend. et Burm. ad h. l.

At non modo idem vel simile vocabulum, sed etiam sensus verborum effecit, ut librarii in errorem inducti nonnulla interdum omitterent, ab alio, errore intellecto, serius addita. Quum tamen facile talia, ad sensum reliquorum non necessaria, ab aliis interpolata esse possint, videndum est, num qua alia causa, cur poetae abiudicari debeant nec ne, adsit.

III, 725

Adiuvitque suo procumbens pondere ferrum.

Versus in marg. Cod. Lips. c ab alia manu legitur, quo quidem non opus est, si sensum reliquorum spectas; sed, ut taceam de Lips. c auctoritate, quid interpolatorem haec addere moverit, quae optime ad descriptionem rei faciunt et ex more poetarum necessaria videntur, non intelligo. Recte autem *pondere* non *pectore* a vv. dd. ex pluribus iisdemque optimis Cdd. receptum est, ut res docet, cf. IV, 564.

Digitized by Google

Ovid. Met. XII, 571. De usu v. *adiuvit* denique cf., si tanti est, Heins. et Drakenb. ad Sil. It. VII, 354.

IV, 77, 78

Nec servant fulmina flammas,
Quamvis crebra micent; moriuntur fulgura nimbis.

Versus 78 Oudendorpio et Guieto pluribus ex causis suspectus est, quorum alter totum versum, alter dimidiam partem cum praecedentibus *nec—flammas* deletam vult; neque negari potest plura indicia adesse, quae versum suspectum reddant. Deest in antiquissimo Putean. et in tribus Burm., si diversi sunt ab illo; deest in aliis a man. rec. additus, ut in Thuan., Voss. 1, 3 et tribus Burm., nisi sunt iidem atque illi; legitur praeterea mutato ordine in Lips. b, ita tamen, ut vulgaris ordo ab eadem manu per literas b. a. indicatus sit; sed a reliquis iisdemque optimis Codd. agnoscitur. Deinde apparet versum, quum sensus reliquorum sine eo salvus fuisset, omissum esse; neque alia argumenta ab Oudendorp. allata interpolationem demonstrant. Varietas lectionis enim, licet h. l. satis magna sit, orta est vel ex solenni errore librariorum, ut *fulgura* vs. 77 in Thuan. 2, et *flumina* in Amstel., Voss. 1 et 3, a man. pr., Huls. a man. sec. et tribus Burm. pro *fulmina*, et vs. 78 *fulmina* pro *fulgura* in Lips. c, cf. Oudendorp. ad III, 410; VI, 528; Burm. ad Ovid. Her. VI, 87; eodem modo *membris* in Amstel. et duobus Voss. pro *nimbis*, cf. Oudend. ad IV, 112; VI, 545; vel ex interpretatione, ut *cessant* in Rottend. prim. pro *servant*, ex interpretamento totius sententiae inter lineas posito: *cessant fulmina*; sic *cursum* in Voss. sec. pro *flammas* ad verba: *servant flammas*; sic *exstinguit — nimbus* vel *extinguunt — nimbi*, quod in Pulm., Marp. et Hamb. quart. legitur, pro *moriuntur — nimbis*, ut aperte verba docent. Interpretatio, ut fieri solet, in plures et melioris notae Mss. transiit, verba auctoris in paucis licet non parvi momenti libris servata sunt. Neque interna argumenta rem decidunt; qua ratione enim versus ortus et additus sit, Intpp. non dicunt, neque ego h. l. aliquam reperi, nisi forte in interpretatione verborum *nec ser-*

Digitized by Google

vant fulm. flammas; quae tamen, re accurate considerata, verisimilis non videtur. Primum enim verbis *nec servant flammas* explicatione non opus est, quum sensus eorum perspicuus et apertus sit; deinde cur vv. *Quamvis crebra micent?* nisi quis dicat, vel ab ipso interprete, vel ab alio addita esse, ut versus constet; denique verba minime interpretationem continent, sive sententiam, sive singula spectes. Quis enim non videat, diversa esse *fulmina non servare flammas* et *mori nimbis fulgura?* nonne *fulmina* et *fulgura* diversa sunt? an idem est *servare flammas*, et *mori nimbis?* Quis demum explicatorem ita loquentem audiverit *non servant fulmina flammas* vel *moriuntur fulgura nimbis?* nonne haec poetica, et optimo quovis poeta digna sunt? At fortasse aliquis cum Oudend. dicet, versum, quacunque ratione in textum venerit, in hac descriptione pluviosae tempestatis non suo loco, et putide interpositum esse; quae bene iam Burm. refutat saepissime *fulmina* et *nimbos* in describenda tempestate a poetis coniungi docens; et recte h. l. poeta *fulminum* et *fulgurum* mentionem facit, ut magnam pluviarum vim ostendat, qua in re totus locus versatur. Tanta fuit vis imbrium, inquit, ut ipsa fulmina, quamvis crebra micarent, flammas suas non servarint, sed exstincta sint. Solent enim fulmina inter imbres micare, sed hic ictus ad terram non deferunt et inter ipsas nubes pereunt, quo multitudo pluviarum bene describitur. Neque putidi quid in repetitione sententiae, ut volunt, *non servare flammas* et *mori nimbis fulgura* video; *fulgura* enim h. l. non eadem sunt quae *fulmina*, sed *ignis splendor*, *fulgor fulminum*, cf. Claudian. de tert. Cons. Hon. 32 *galeae nec triste timentem* Fulgur; Rapt. Pros. II, 147 — *Cristae pacato* fulgure *vernant*; et in plurali. Lucret. II, 163 *Tempore, quo solis pervolgant* fulgura *coelum*; Lucan. VII, 157, ubi similiter *fregerunt* fulmina *nubes*, et *coelum oculos ingesto* fulgure *clausit* coniunguntur. Amat praeterea Lucanus pluribus verbis eandem sententiam variare, et quae negando dixisset, affirmando repetere. Ita coniectura Oudendorpii non opus est, quae propter sententiam, quum praecedentia repetat neque novi quid addat, et

Digitized by Google

propter v. *flumina*, quod h. l. non quadrare videtur, displicet.

IV, 816

Perdita tunc urbi nocuerunt saecula, postquam.

Versus in uno Ms. Cortii non nisi a sec. manu legitur, et salvo sensu abesse potest; sed hoc ipsum in causa fuit, ut librarius errarit, neque errorem senserit. Sine dubio enim negligentiae hoc tribuendum est, quum nulla ratio appareat, qua talis versus ortus sit, nisi quis cum Guieto hunc, praecedentes et sequentes versus, qui librum finiunt, pro spuriis habeat, permotus fortasse sententia, quae ex libr. I, 160 sqq. hic repetita sit, vel quia Lucanus, Curionem perosus, talia non facile additurus fuisset. Neutra tamen causa satis iusta videtur: neque illa, quia haec a prioribus longe diversa sunt, et Lucanus, patriae amantissimus, talia licet diversis modis repetere solet; neque haec, quia vs. 813 dicit *digna damus iuvenis meritae praeconia vitae*, versus sequens autem praeconium dignum non continet. Denique in toto loco, sive sententias sive singula verba spectes, nihil offendi potest, quod Lucano indignum deleri debeat. Relinquamus igitur Guieto suum, nos nostrum servabimus poetam. Quod singula vers. 816 attinet, Burm. *nunc* pro *tunc* ex Rottend. tert. et Turr. voluit, neque negari potest, poetas epicos interdum in narrandis rebus hac particula uti, quod tamen non in huiusmodi locis fit, cf. IV, 189 *Nunc ades*, in allocutione; VII, 40 *Nunc quoque flebunt*, ubi oratio commota est; VIII, 724 *nunc Exspectat fluctus*, ubi tota res pro praesenti narratur. Sed aliis in locis a Burm. laudatis res dubia est, ut I, 217, ubi solus Hamb. pr. *nunc* habet, quod ad v. *praebebat* et *auxerat* non quadrat, praesertim quum poeta simpliciter, id quod semper fuerit per praesens *cadit*, *impellitur*, *serpit*, sed id quod raro factum sit per tempus historicum exprimat. Eodem modo *nunc* V, 625 non probarim; procella enim, quae tunc erat, comparatur cum priori procella, poeta rem simpliciter narrante. Multo minus autem *nunc* in nostro loco aptum est, ubi causa rei praeteritae a poeta additur, ita ut recte quae nunc

Digitized by Google

facit *damus praeconia* illis quae tunc fiebant *tunc nocuerunt saecula* opponat, ut iam tempus praeteritum indicat. Magis placet, quod Burm. vult, *urbis* pro *urbi*, sed coniectura non opus est, quum Curio melius excusari posse videatur, si omnes in eadem causa sunt; praeterea solet Lucanus de Roma in universum ita loqui, ipsaque verborum positio dativum probat. *Saecula* denique, quod Burmann. recte de *moribus huius temporis* explicat, saepius ita legitur, cf. X, 110 *Explicuit — Cleopatra — Nondum translatos* Romana in saecula *luxus*; Consol. ad Liv. 45 *Quid tenuisse animum contra* sua saecula *rectum?* Burm. ad Propert. I, 16, 12. Quare male VV. LL. Stephani *foedera* praebent, quod fortasse a docto scriba ex I, 86 haustum est.

V, 524

Ac ducis invicti rebus lassata secundis.

Versum, qui optime ad rem facit, fortuna Caesaris laudata, ut militum animi revocentur, et Caesaris moribus aptus est, Witt. Cod. non nisi a sec. manu habet. Ratio, qua interpolatus sit, non apparet, sed facile omitti poterat, quum sensus reliquorum sine eo constaret, librarius autem errorem suum non sensisset. *Lassata*, cuius loco in Lips. d *laxata* fuisse videtur, recte habet; utrumque verbum saepissime confunditur, cf. Burm. ad IV, 624; VI, 705; *laxata* nullo modo h. l. quadrat.

VII, 272

Et vix arma ferens ac mixtae dissona turbae.

Versus a man. sec. in Thuan. pr. legitur, neque tamen habet, cur displicere aut Lucano abiudicari debeat; imo excidit, quum librarius verba *studioque ign. pal.*, reliquis omissis, verbo *Barbaries* coniunxisset, et sensus quodammodo constaret; sed de barbaris haec dici non possunt. Scholion in Lips. c ita: *Secure potestis pugnare, quia ibi non fortes, imo Graeci*, (ita legendum) *qui tantum sciunt luctari* (ita pro *lictari*); *praeterea ibi erunt gentes diversarum linguarum.* — Quod singula attinet, recte Oudend.

Digitized by Google

aut ex melioribus Codd. pro vulgato *et* vel *ac*, quod in uno alterove Ms. legitur, recepit; *et* enim ex praecedenti *Et vix* ortum videtur.

IX, 124

Orbis, an occidimus? Romanaque Magnus ad umbras.

Additus est versus ab alia manu in Cod. Florent., nec non v. *Abstulit* in charta erasa scriptum; unde colligere licet, verba *an occidimus* — *Abstulit* a librario omissa fuisse. Sensus reliquorum, posito interrogandi signo post v. *Orbis*, sine his bene haberet; sed, ut taceam de metro, quod claudicaret, nulla apparet ratio, qua versus interpolatus sit, qui optime ad rem faciens, iam propter opposita cum prioribus defendi debet. Pro *Orbis* Lips. a non male variam lectionem *Urbis* habet; sed magis placet *Orbis*, ex Lucani magniloquentia, cf. VII, 53 de Pompeio: *orbis Indulgens regno*, et ita saepius de *orbe Romano*, cf. VIII, 441. *Occidimus* explicat Scholiast. Lips. a: *Ubi deberet dicere, an occidis* (leg. *occidit*) *caput orbis scil. Pompeius, dixit id quod sequitur, nam illo mortuo occidimus et nos.*

At sunt alia loca, in quibus versus integerrimi, quibus nullo modo carere possumus, quos et structura et nexus cum reliquis primo intuitu defendit, librariorum stupore et socordia omissi, ab aliis recte additi sunt. Neque mirum est, si tale quid vel in optimis Mss. interdum admissum videmus, modo memineri mus, quam facilis sit error in transscribendis libris.

Eiusmodi loca sunt:

I, 396

Deseruere cavo tentoria fixa Lemanno.

Versus a man. prim. in Thuan. sec. abest, neque tamen habet, cur damnari debeat, imo necessarius est propter v. *deseruere*. *Lemanno* Burm. non de lacu, sed de regione ad lacum minus bene intellexit, quod Lucanus, ut puto, alio modo dixisset; praeterea epitheton *cavus* non quadrat, quod plerumque de flu-

Digitized by Google

viis, undis, et paludibus legitur, cf. Döring ad Catull. 17, 4 cavaque in palude *recumbat*, ex rei natura haustum. Scholion Cod. Lips. b: *cavo, quia Rhenus* (?) *et Ridanus* (leg. *Rhodanus*) *per ipsum transeunt*. Neque alterum Burmanni argumentum rem decidit: *fixa Lemanno* est iuxta Lemannum, ad Lemannum, casus loci ut supra vs. 581 *Castra super Tusci si ponere Tybridis undas*. Eodem modo, quae de fluviis pro regione positis a Burm. dicta sunt, neque h. l., neque pluribus in locis valent.

III, 557

Ira ducis tandem testata est voce dolorem.

Versus ab alia manu in Cod. Florent. legitur, neque tamen interpolationis suspicionem movet, quum nullo modo abesse possit; fortasse excidit, quum sequens linea, quod saepius factum videmus, ubi res nova narratur, in Codice aliquo interius posita fuisset, cf. III, 725; VII, 504, 5; 658; IX, 255, 54. In singulis non haero, nisi in lectione Cod. Amst. *cum iam* pro *tandem*, sine dubio ex praecedentibus *cum—iam* orta; *iam* autem et *tandem* h. l. sibi respondent.

IV, 84

Evaluit, fluxere nives, fractoque madescunt.

Verba, quae cum praecedentibus et sequentibus arctissime cohaerent, non leguntur in Cod. Laurentino, nisi a man. alia in marg. Quod singula attinet, *Evaluit*, cuius loco *Et valuit* fragm. S. Germ., structura repugnante, habet, bene a Burm. defenditur; sed lege in notis I, 505, et in textu *fracto* pro *facto*, qui sine dubio typographi error est.

V, 559

Indocilis privata loqui. tum pauper Amyclas.

Eodem modo, ut supra III, 357, hic quoque factum est, ut versus in Cod. Thuan. uno exciderit, quo carere non possumus; errorem alius correxit. Quod singula attinet, Burm. recte defendit *indocilis*, cuius loco in Rottend. pr. *indoctus* legitur; hoc enim sibi

Digitized by Google

vult poeta, Caesaris mores ita comparatos fuisse, ut nunquam submisse loqui potuerit, verbaque eius maiestatem aliquam et spiritum regium prae se tulerint.

VI, 507, 508

Hos scelerum ritus, haec dirae carmina gentis
Effera damnarat nimiae pietatis Erichtho.

Versus, qui in Oxon. pr. non nisi a man. sec. leguntur, nexu sententiarum et structura verborum sequentium sine dubio defenduntur. Sensus facilis et apertus est; nexum cum reliquis Scholiastes Lips. a ita indicat: *Et quamvis ista* (lege *istae*) *superarent ceteras magas, tamen non istas* (lege *istam*); *fuit quaedam, quae omnia dixit nimiae pietatis, et ideo alia genera maleficii invenit; et hoc aequipollenter: Hos scelerum ritus etc.; ideo damnaverat hoc, quia non videbatur ei dignum, ut, quae talia exerceret, conversaretur inter homines.* Difficilius est singula recte constituere: *ritus scelerum* mutato ordine Lips. c habet; sed Lucanus quae sibi respondent ita ponere amat, ut genitivus nomen suum tum praecedat, tum sequatur, cf. IV, 776, et similiter IV, 177, ubi genitivus priori loco est, mutata tamen in sequentibus structura. *Et haec*, quod in pluribus Codd. legitur, ex interpretatione anaphorae ortum videtur; maioris est momenti, quod Witt., Voss. pr. tert. et Huls. habent *crimina* pro *carmina*, a Bentleio et Oudendorp. probatum. Utrumque saepius in libris confunditur, cf. Oudend. infra vs. 682; IX, 144; sed recte Burm. *carmina* defendit, de quibus cf. 452; 463; 467; 480. Dixerat de iis poeta supra vs. 444: *aures* Coelicolum dirae *convertunt* carmina gentis; et eodem modo cum pronomine vs. 497 *an habent* haec carmina *certum Imperiosa deum?* illa itaque *carmina*, licet dira et scelerata sint, Erichtho damnat, i. e. improbat propter nimiam pietatem; negligit, quippe quae nimis pia sint, et nova sibi fingit, quorum *cantu non supplice numen auxiliare vocat* vs. 523, sic ut *superi* vs. 527 *prima iam voce precantis concedant omne nefas*, carmenque *timeant audire* secundum. Quare infra quoque vs. 577 de Erichtho: *Illa magis magicisque deis incognita verba Tentabat, carmenque no-*

Digitized by Google

vos fingebat in usus. Neque satis placent coniuncta *scelerum ritus* et *crimina;* sed quemadmodum supra vs. 492 *cantus herbasque,* sic h. l. *ritus* et *carmina* coniungit, ita ut recte *scelesti ritus* et *dirae carmina gentis* sibi respondeant. Mirum est Scholion Lips. a: *Effrenis dicitur extra frenum, quasi insanus* (lege *insana*); ex quibus colligi possit, *effera* per *effrenis* explicatum, vel, si *effrenis* in textu erat, *damnarat* alio modo scriptum fuisse; *effrenis* autem de maga h. l. displicet, neque Codd. auctoritate probatur. Praeterea *damnarat* Heinsio praeeunte corrigi debeat; sed recte habet plusquamperfectum tempori praeterito coniunctum, ut paulo post *duxerat.* Rectius deinde Oudendorp. *nimiae pietatis* verbo *damnarat* nectit, non v. *Erichtho*, ad quod non quadrat; sic VIII, 406 Damnat *apud gentes* sceleris non sponte peracti *Oedipodionidas infelix fabula Thebas.* In exemplo enim ab Oudend. laudato IV, 513 *coetus audire silentum*, coetus accusativus pluralis esse potest. Saepius autem genitivus ad verbum *damnare* legitur. cf. Voss. de Construct. c. 26; Sanct. Minerv. L. IV, c. 4. T. II. p. 50 ed. Bauer.; adde Ovid. Rem. 3; qui non ex omisso v. *gratia*, *ergo*, *nomine*, ut volunt, sed ex notione genitivi generali possessionem indicante explicari debet.

VII, 767

Absente moventur.
Ingemuisse putes campos terramque nocentem.

Verba in marg. Cod. Lips. c manu alia leguntur; sed salvo sensu, ut apparet, abesse non possunt. Sensum explicat Schol. Lips. a: *Et in somno videbantur manus illorum moveri, cum tamen aberat ensis, et tantus terror inerat, quod putare possis campos illos ingemuisse; et hoc exponit, i. terram inspirasse animas, vel ut dicamus campos ingemuisse, et terram inspirasse.* In singulis nonnulla considerari debent; *Movetur*, quod in Voss. sec. legitur, Guieto probatum, metro repugnat; hephthemimeres enim in nostro ultimam v. *manus* non producit. *Ingemuisse* sine dubio recte habet, quum reliqua ex solenni errore librariorum orta sint; *putem* ex optimis et pluribus

Digitized by Google

Codd. defendendum existimo, licet *putant* probari possit ex III, 101; et *putes* positum foret, ut *credas* I, 493 et *velis* IX, 412; sed magis placet *putem*, quod Lucanus in talibus locis amat, cf. V, 610 *crediderim*; VII, 436 *vellem*; VIII, 827 *precer*; IX, 599 *maluerim*; IX, 680 *rear*. Qua in re offendere non debemus, quum saepius poeta in Pharsalia se suumque iudicium rebus interponat, in hac quoque re a more veterum Epicorum recedens, cf. I, 417; 559; IV, 813; VII, 209; 440; 553; 643; VIII, 844; IX, 595; 622; 985. *Nocentes* denique pro *nocentem* a Burm. probatum in Lips. c et Hamb. pr. legitur; sed *animae* per se intelligi potest, et *nocens terra* de Thessalia, de loco, ubi pugnatum est, rectius videtur, ut infra 798 coeloque nocenti *Ingerit Emathiam*; 869 *liceat* terras *odisse* nocentes, et IX, 81 terraeque nocenti *Non haerere queror*, de Aegypto.

X, 217

Iussus adest, auctusque suos non ante coartat.

Versus manu alia in marg. Cod. Lips. a legitur; sed quisque primo intuitu, cetera sine eo corrupta nullo modo explicari posse, videt. In singulis non moror; bene enim Oudend. *tussus* et *auctus* defendit. Verbi *iussus* exempla vide in nostro VI, 830 *iussa nox*; IX, 952 *virus iussum*; *iustus* autem et *iussus* saepius in libris confunduntur, cf. Bentl. et Oudend. ad II, 338; *coartat* denique verbum est infimae aetatis. —

His, quae de versibus alia manu additis dixi, neutiquam, ut apertum est, illa loca adnumerari debent, quae ab alio librario ita in Codice aliquo scripta sunt, ut a duobus vel pluribus scribis unus idemque liber manu exaratus esse appareat. Plura autem eiusmodi exempla in Cod. Lips. b. deprehendimus, in quo tres scribae distingui possunt, quorum primus maiorem Pharsaliae partem exhibuit, ab initio usque ad VI, 278, tum a VII, 687 — 756, 827 — VIII, 23, 93 — 162; alius partem minorem scripsit inde a vers. VI, 279 — VII, 686, 757 — 826, VIII, 23 — 92, 163 — 232, 618 — 24; tertius denique reliqua inde a

VIII, 253 usque ad finem Pharsaliae, exceptis illis VIII, 618 — 24 exaravit. Diverso modo in Lips. c factum vidimus, ubi alia manus versus omissos IX, 335 — 427 inseruit.

CAPUT IV.

DE VERSIBUS LUCANI, QUORUM SEDES VARIA ET INCERTA EST.

Ventum est ad novum interpolationis indicium, in ordine versuum positum, quod, licet per se parvi momenti videri possit, cum aliis tamen coniunctum in notandis, quae spuria sint, vel maxime valet. Verisimile enim est, subdita verba plerumque ab interpolatoribus non confestim inter genuina inserta, sed primo in margine scripta fuisse; alia autem, quae inter auctoris verba confestim posita sint, certam sedem habere, ordine eorum a librariis haud facile mutato. At illa, quae in margine et, ut plerumque factum est, sine nota locum indicante scripta erant, prouti librarlis Codicem exscribentibus visum est, variam sedem inter reliqua occuparunt. Inde merito suspecta esse debent, quorum sedes fluctuat. Verum in hac quoque re videndum est, ne nimis hac re confisi versus germanos hanc unam ob causam damnemus. Quisquis enim libros Mss. contulit, miram in hac re varietatem et mirum librariorum stuporem novit, ita ut, qui versum aliquem propter incertam sedem inter spurios referret, nisi alia indicia accedant, mea sententia valde erraret. Itaque in diiudicandis his quoque rebus ante omnia considerandum esse puto, utrum aliqua ratio, cur versus sedem suam mutarit, adsit nec ne. Interdum enim librarii, quae vel ab ipsis vel ab aliis omissa fuissent, quia, ut supra vidimus, vel verborum similitudo vel sensus eos in errorem induxerat, in margine superiori, inferiori aut iuxta lineas notarunt, signo, quod locum indicaret, vel adscripto vel non adscripto. Alii, qui eiusmodi codicem transscribebant, signo illo, si adfuit, neglecto, eodem fortasse ordine scripserunt,

Digitized by Google

quo versus animadverterant, ita ut quae in margine notata fuissent, sedem aliam, quam librarius prioris Codicis volebat, occuparent. Quare si qua talis ratio adest, apparet in mutato ordine causam reperiri non posse, cur versum aliquem pro spurio habeamus. Neque tamen solum in his sed in aliis quoque locis, ubi eiusmodi ratio non aperta est, cauti esse debemus, considerantes, quanta fuerit librariorum incuria et negligentia. Quam in rem iuvat varios in transponendis versibus modos, quos in Lucani Msstis observavi, recensere. Primum modum eum dicam, ubi sedes duorum proximorum versuum simpliciter commutatur, ut I, 677; 76; II, 252; 51 etc.; alia res est, si unus vel plures versus remotiori loco leguntur, ut VII, 510 — 20 ante 489; VII, 734 post 743; IX, 486 — 88 post 492; quod factum videtur, ubi versus omissi in margine inferiori vel superiori ita additi erant, ut Codicem non deformarent. Tertius modus est, si qui versus pluribus in locis mutata sede apparet, ut IV, 251 post vs. 252 et 253; IX, 83 ante et post vs. 84, et ante vs. 78, quae res versum in margine scriptum fuisse indicat. Alius est modus, si plures versus inter se variam sedem habent, ut VII, 820, 21, 18, 19; IX, 478, 82, 79, 80, 81; quae res, in eodem loco a pluribus scribis erratum esse, plerumque ostendit.

Loca, ubi varia sedes certum interpolationis indicium praebet, sunt: I, 436 — 440; VI, 187, 207; IX, 83, de quibus supra diximus; aliud nunc addam:

V, 795. 96

Neuterque recedens
Sustinuit dixisse vale.

Verba a sciolo quodam infarta recte damnant Cort. et Burmann.; absunt enim ab Richel., Thuan. pr. a man. pr., Voss. tert. a man. pr. et vetustissimis Cortii membranis, si diversae sunt ab illis. Praeterea mutatus ordo, quo in Cod. Lips. a leguntur inter verba *dies* et *nam cetera* suspicionem interpolationis, aliis quoque rebus motam, auget. Possis quidem afferre, versum propter similitudinem vv. *neuterque* et *vitamque* salvo sensu excidere potuisse, et ab alio in margine additum, ut in Thuan. pr. et Voss. tertio, alie-

Digitized by Google

num locum occupasse; sed displicet sensus totius versus, qui h. l. ubi similia iam praecesserunt, languidus videtur; displicent verba singula, v. *neuter* post v. *praecipitant* (ita enim ex optimis Mss. legendum est), nimia repetitio particulae *que*, nec non vv. *sustinuit dixisse vale*, quae poeta, si voluisset, longe diverso modo dixisset. Cur enim sine vi h. l. repetitum v. *sustinuit* ex vs. 793? cur perfectum? — Denique apparet, qua ratione versus spurius in textum venerit; ortus enim est ex interpretatione vv. *Extremus — amoris*, quod Schol. Lips. a probare videtur; etenim vv. *non moesti — dixisse vale* non explicat, licet plura explicatu digna insint; maxime illud: *perit extremus amoris fructus*. Quis neget, Scholiastam haec explicaturum fuisse, aut quis haec omnia merito spuria dicat? imo adest interpretatio, sed, ut interdum factum est, inter verba auctoris posita. Interpres vetus, cuius scholia alii, ut Scholiastes Lips. a, novis adaucta collegerunt, ad vs. 794 adscripserat: *Neuter recedens sustinuit* vel *sustinet dixisse vale*; quae alius addito verbo *que* in textum intulit; hinc orta est fluctuatio librorum, hinc altum illud silentium Schol. Lips. a aliorumque.

Alia loca, ubi sedes incerta nullum est interpolationis indicium, sed negligentiam tantum librariorum ostendit, qui in errorem inducti versus omissos aliene loco intulissent, ita ut ratio quoque negligentiae appareat, haec sunt:

I, 536

Per vacuum solitae noctis decurrere tempus.

Versus in Cod. Bern. sequitur vs. 558 *Iam Phoebe* etc., ubi nullo modo quadrans sensum verborum turbat; praeterea salvo sensu abesse potest et sententiam ex interpretatione ortam continere videtur. Nihilo minus genuinus est. Apparet enim ratio mutatae sedis; librarius, qui in simili initio vs. 535 et 536 *Percussit* et *Per vacuum* erraverat, omissum versum vel in margine adscripsit, unde alium in locum migravit, vel errore in exscribendis proximis versibus intellecto, neglecta verba, ubi quodammodo quadrare vide-

Digitized by Google

rentur, addidit. Versus optimus est, neque explicationem continet, quam interpres sine dubio alio modo scripsisset; neque sententia, quamvis abesse possit, versum suspectum reddit; amant enim poetae ita loqui, ut rei novitas et insolentia melius appareat; cf. Horat. Od. I, 34, 5 *Namque Diespiter, Igni corusco nubila dividens Plerumque, per purum tonantes Egit equos volucremque currum.* — Quod singula attinet, *per vacuum noctis tempus* fortasse offendunt; cur *vacuum tempus?* neque *vacuum* a sole, ut glossa Lips. c. habet, intelligi debet, sed omnia, quae late exspatiantur et extenduntur, ita ut eorum fines cognosci non possint, *vacua* a Latinis dicuntur; sic *aer vacuus* II, 182; V, 94 et alia. *Spatium*, ut legitur in Hamb. 4, glossa est v. *tempus; discurrere* autem, quod Lips. c., unus Bersm., duo Voss. et Witt. pro *decurrere* habent, displicet h. l.; recte enim *decurrere* habita ratione poli, cf. X, 502 *solet aetherio lampas* decurrere *sulco*, ubi Cortius male *discurrere;* neque afferri debet Lucan. I, 643, ubi alia est ratio.

II, 251

Quemque suae rapiunt scelerata in proelia causae.

Versus post sequentem vs. 252 in Cod. Florent. legitur, ordine sententiarum turbato; amant enim poetae sententiam generalem propositam per pronomina *hic, ille* exponere; cf. VII, 385; 773; X, 127. Versus de loco suo migravit, quia librarius Codicis verba *Hos etc.* male verbis *egit in arma* coniunxerat; omissa et vel ab ipso vel ab alio in margine addita alienum locum occuparunt.

II, 635. 36

Sparsos per rura colonos
Redde mari Cilicas: Pharios hinc concute reges.

Variat Lips. c in ordine horum versuum, et verba *sparsos — colonos* versu 636, verba *Pharios — reges* autem versu 635 habet, sensu, si hunc solum spectas, satis salvo, nexu tamen minus bono. Cohaerent enim, ut sensus docet, *Pharios reges, Tigranem, Pharnacis arma;* unde recte alia manus vulgatum ordinem

in Lips. c notavit. Orta est hemistichiorum mutata sedes, quum librarius in similibus verbis *sparsos* et *Pharios* atque in sensu loci errasset. Quod singula attinet, Bentl. nimis audacter *Bactros* pro *Pharios* correxit; cur enim reges Bactrorum, quum sit unus tantum eorum, neque Pompeius in universum loquatur? Quare neque *Bactros*, neque *Parthos*, quod in pluribus Mss. legitur, probarim. Offendit autem Bentleium Phariorum regum mentio post verba *Nilumque move;* sed recte iam Oudendorp. monuit, *Pharios reges* eodem modo *Nilo* respondere, ut *Tigrideem Euphrati.* Neque in plurali *reges* haereo; sunt enim Cleopatra et Ptolemaeus, quos poeta infra quoque X, 136 *reges* appellat. Postea quidem Cleopatrae regnum ereptum est, cf. V, 63, unde solus Ptolemaeus VIII, 281 *Niliacus tyrannus*, et IX, 134 *Pharius tyrannus* dicitur; sed tunc regia potestas erat utriusque.

II, 709

Angustus puppes mittebat in aequora limes
Arctior Euboica, qua Chalcida verberat, unda.

Sequitur vs. 709 in Cod. Bern. versum 710, quae mutatio sedis inde orta videtur, quod librarius in utriusque versus initio errasset; neuter eorum recte abesse potest. Quod singula attinet, forma adiectiva *Euboea*, quae in Oxon. uno legitur, ex loco Stat. Silv. V, 3, 136 *plebs Euboea* defendi possit; sed nihil mutandum est. Difficilior est res in verbis *qua* et *quae*, quum utrumque, cur placere possit, habeat; probandum tamen videtur v. *qua* comparationi aptius.

III, 630. 31

Ad summos repleta foros, descendit in undas,
Vicinum involvens contorto vertice pontum.

Inverso ordine versus in Cod. Lips. b leguntur; error natus est ex simili initio vers. 629 et 630. Possis quidem suspicari, versum 631 spurium prioris versus sedem mutasse; neque negari potest, salvo et integro sensu abessè posse; sed quis, quaeso, talem versum et cur eum interpolaverit? Imo est Lucani et

Digitized by Google

ad describendam rem optime facit; modo vulgarem ordinem, ab alia quoque manu in Lips. b recte notatum, servemus, quem iustum esse res ipsa et verba auctoris docent. — *Repleta* metri causa in *completa* mutatum recte habet, cf. supra ad IV, 747. *Foros* explicat scholion in Lips. c: *Fori dicuntur tabulata navium vel sedilia navium; vel fori foramina dicuntur, in quibus remi mittuntur, dum remigant. Descendit*, quod omnes Mss. agnoscunt, mutari non debet, et defenditur verbo *involvens*, quocum melius convenit, re ipsa et usu loquendi, quem Oudend. h. l. probat. Eodem modo Burm. versum sequentem a Cortii coniectura recte defendit. *Cum torto* denique, quod in pluribus Mss. legitur, sine dubio error est librariorum; cur enim poeta pontum et verticem separasset?

IV, 54. 55

Atque omnis propior mergenti sidera coelo
Aruerat tellus hiberno dura sereno.

Versuum ordinem, sed male Cod. Marp. mutat, quorum prior propter simile utriusque versus initium omissus in alienum locum migravit. Vulgarem ordinem verba ipsa tuentur, neque de interpolatione sermo esse potest, ubi nulla eius ratio apparet.

V, 812. 13

Non iuvat in toto corpus iactare cubili:
Servatur pars illa tori, caruisse timebat.

In Richel. Cod. vers. 812 legitur post vs. 813; sed omnia, vulgarem ordinem mutari non debere, neque alterutrum versum spurium esse, docent. Licet enim vs. 812 fortasse abesse possit, opponuntur *totum cubile* et *pars tori*, ita ut alterum ab altero defendatur. Praeterea apparet, ordinem mutatum esse, quum versus 812 propter similitudinem verborum *Nam* et *Non* vs. 811 et 812 excidisset. Pro *illa* Burm. male *ima* tentavit; ipse enim virum in priori tori parte, in interiori uxorem iacuisse recte observat; cur itaque *imam partem?* Imo, si quid corrigendum, potius *una* scripserim; sed recte Cornelia *illam* partem, *in qua ia-*

Digitized by Google

cere deberet, ut Scholion Lips. b habet, viro servavit, quod ad describendum ipsius amorem optime facit.

VII, 560. 61

Inspicit et gladios, qui toti sanguine manent,
Qui niteant primo tantum mucrone cruenti.

Versus mutato ordine, qui ex errore in simili initio vers. 560 et 561 ortus videtur, in tribus Voss., uno Oxon. et Richel. leguntur; priorem abesse non posse, iam verbum *inspicit* docet; alterum versum sensus quidem non flagitat, sed defenditur oppositione priorum et sequentium. Vulgatum autem ordinem non mutandum esse probat ratio totius loci, in quo verbum ex more poetarum primum locum tenet; probat oppositio atque particula *et* praecedentia coniungens. In singulis plura sunt notatu digna. Discrepant libri in vv. *Inspicit* et *Conspicit*; prius placet, quod in omnibus fere Codd. cf. Heins. Advers. I, 16 p. 162, Lucano Caesarem perstringenti melius convenire videtur; cf. Burm. ad h. l. *Toto* in Hamb. tert. et Voss. pr. propter seq. *sanguine* ortum, eodem modo ut *cruento* pro *cruenti* in marg. Hortens. probari non debet, quum sequentibus *primo mucrone* oppositum sit. *Manent* denique recte habet; *natent* ex solenni errore librariorum ortum, h. l. dici non potest, cf. Burm. ad II, 104; *manant* et *madent* aperte vitiosa sunt, et *madeant qui sanguine toti sine* dubio ex correctione verbi *madent*; *manare* autem de gladio dici docet Liv. I, 59 *Brutus* cultrum manantem cruore *prae se tenens*.

VII, 703. 704

Quidquid in ignotis solus regionibus exsul,
Quidquid sub Phario positus patiere tyranno,

In Voss. pr. versus transponuntur, ita ut alterutter eorum pro spurio haberi possit; sed neque in sententia neque in verbis aliquid interpolationem prodit, et varia sedes, ut apertum est, ex verbo *Quidquid*, quod ab initio utriusque versus legitur, orta est. In singulis verbis haeserunt interpretes; Burm. in v. *ignotis*, cuius loco *ingratis* voluit; verum recte *ignotis*,

Digitized by Google

quod non in universum, sed de Pompeio explicari debet, in Aegyptum ipsi incognitam primum veniente, ut poeta verbo *solus* innuit. In versu seq. pro *positus* Editt. Brix. et Mediol. *potius* inepte habent, unde fortasse Heins. *posthac*, Burm. *expositus* voluit; utrumque male; coniungi enim debent *positus sub Phario rege*, quod quum alii non intellexissent, *et a* pro *sub* correxerunt, ut in VV. LL. Steph. legitur. *Positus sub tyranno* est, qui tyranno eiusque voluntati subditus, eius potestati traditus est, ut *sub iure alicuius esse* VII, 63; X, 95, quod alio loco confirmatur IX, 130 de Pompeio: Rege sub impuro *Nilotica rura tenente*, — cecidit *donati victima regni*. *Patiere* denique, cuius loco in Lips. c, Rottend. sec. a man. sec. et Editt. vett. *patiare*, melius videtur; inest enim certa affirmatio de Pompeii morte, quam poeta, ut reliqua ostendunt, h. l. voluit.

VII, 858. 59

Plus cinerum Haemoniae sulcis telluris aratur,
Pluraque ruricolis feriuntur dentibus ossa.

In Voss. sec. versus 859 versum 858 praecedit, copula in v. *pluraque* adversante. Fortasse aliquis versum 859 inde damnaverit, praesertim quum in Richel. desit, et in Florent. post seq. vers. 860 legatur. Nihilo minus deleri non debet; etenim non modo non habet, cur displiceat et Lucano indignus sit, ut taceam de ratione, qua hic interpolatus sit, sed apparet etiam, verba *Plus* et *Pluraque* ab initio verss. 858 et 859 errori ansam praebuisse; alius librariorum priorem, alius posteriorem versum omisit; aliis omissum addidit; alius additum in margine non animadvertit. Singula recte ab Itpp. constituta sunt; *feriuntur* sine dubio, quod vel verbum *aratur* ostendit. Sensum totius loci explicat Schol. Lips. a ita: *Et ostendit, quod non potuerunt campi prius siccari; nam licebit, quamvis vertamus omnia busta maiorum scilicet, et illos cineres, quorum ollae nondum sunt fractae a caprifica,* (lege *caprifico*) *et qd* (lege *quae*) *iam sunt ruptae, tam* (lege *tamen non*) *tot inveniemus, quot in Emathia. Tangit illud, quod ponebant oi-*

neres mortuorum in ollis, et post longum tempus nascebatur ibi quidam arbor, qui vocatur caprificus. Poeta haec sibi vult: Licet, omnibus maiorum bustis versis et dirutis, ossa et cineres dispergamus per agros, plus tamen cinerum in arando Haemoniae solo vertitur. Quae Burm. denique de cineribus monet, poetae iniuriam faciunt; etenim non de rogi cineribus loquitur, sed de iis, qui in terram mutati arantur.

VIII, 25. 26

Actaque lauriferae damnat Sullana iuventae.
Nunc et Corycias classes et Pontica signa.

Transponuntur versus in Voss. sec., Thuan. tert. et Richel., sed aperte verbum *Nunc* ab initio vers. 24 et 26 causa mutationis fuit, quam nexus et verba *Deiecta — piget* improbant. Quare neque versus 25, licet sensu salvo abesse possit, suspectus esse debet, neque in singulis haerendum existimo. *Tunc* enim, quod pro *Nunc* vs. 26 in Thuan. tert. et Oisel. legitur, hic stare non potest, quum *Nunc* vs. 24 et *Nunc* vs. 26 sibi respondeant, cf. X, 291; 309; et *regna*, quod in Oisel. legitur, infra VII, 277 cum verbo *signa* commutatum videbimus. Sensum verborum *Acta Sullana* optime Burm. explicat, et Schol. Lips. a ita: *Sillana vocat ea, quia quasi sub Silla fuit, cum haec fecit.*

VIII, 734

Ut resonent tristi cantu fora, totus ut ignes.

Locus insignis est, quia versus in Reg. pr. post vs. 743 legitur; exciderat enim propter verbum *ut* in praecedentibus versibus iteratum, et in fine paginae, in infimo margine additus erat. Quae res, vel a librario Cod. Regii pr. facta, vel ab alio, cuius e Codice ille haustus est, causa fuit, ut versus, quo ne recte quidem propter copulam carere possumus, alieno loco appareat. Neque variae lectiones versum spurium reddunt; etenim tales sunt, quae ubique inveniantur. *Et* cum *Ut* saepissime in libris confunditur, cf. Oudendorp. ad VI, 281; IX, 120; X, 400; eodem

Digitized by Google

modo *tutus* et *totus*, cf. Wakef. ad Lucret. III, 952; Burm. ad II, 726 et ad Ovid. Amor. I, 14, 16; *resonant* pro *resonent* aperte vitiosum est, nec non *amnem* pro *ignem* ex verbo *armis* in fine sequentis versus ortum. At rectius *ignes* ex pluribus Codd.; pluralis enim de rogo magnifice exstructo h. l. magis poeticum est, et saepius in nostro legitur, cf. infra 737, 743, licet vs. 738 *ignis* habeamus.

IX, 159. 60

Et tectum lino spargam per vulgus Osirim,
Et sacer in Magni cineres mactabitur Apis.

Sequitur vs. 159 in Voss. pr., Bouher., Witt. et Edit. Ascens. versum 160, neque legitur in Amstel., et suspectus videtur, ut est Guieto, propter verbum *et* iteratum, quum facile hic aliquid additum esse possit. Quae tamen causae non sufficiunt; in sententia et verbis enim nihil inest, quod interpolatorem prodat. *Et* iteratum neminem, qui morem nostri novit, cf. supra VII, 666, offendet; sed effecit, ut vers. 159 exciderit, et in alium locum migrarit; denique talia accumulari ex more Lucani est, ut taceam, quod *Isis*, *Osiris* et *Apis* saepissime ita coniunguntur, cf. VIII, 831 sqq.; Ovid. Met. IX, 690 sqq.; Amor. II, 13, 11 sqq. Vulgatum autem ordinem servandum esse docet res ipsa et mos poetarum. Neque variae lectiones ita comparatae sunt, ut versus suspectos reddant; pro *lino* unus Bersm. *Nilo* habet, Guieto probatum; utrumque vero verbum commutatum ostendunt Ovid. Amor. II, 2, 25; de Art. Am. I, 77. Praeterea Osirim non in Nilo, sed in Abato insula sepultum fuisse constat, cf. Serv. ad Virg. VI, 154; unde fortasse aliquis *limo* ex Cod. Rottend. sec. probarit, quum *Abatos* secundum Serv. l. l. insula limosae paludis sit; verum, quum a sec. manu correctum sit, neque insula ipsa limosa dicatur, *lino* probo, praesertim quum usus eius in sacrificiis Isidis et sepulturis Aegyptiorum satis notus sit; cf. Dempst. ad Rosin. Antiqq. II, 21 p. 264; Gierig. ad Ovid. Met. I, 747. *Scindam* deinde pro *spargam* in Turr. a manu sec. male habet, et ex coniectura scioli cuiusdam ortum

Digitized by Google

videtur; *spargere* enim de cineribus Osiridis, vel potius de frustis eius, cf. Serv. ad Virg. Aen. IV, 609, optime dicitur, cf. II, 119; V, 684; VIII, 629; 751; IX, 1093; X, 22. — *Per vulnus*, quod in pluribus legitur, h. l. ineptum est; recte *per vulgus*, quia apud Aegyptios scelus fuit, cineres mortuorum, multo magis deorum spargere; *vulnus* et *vulgus* autem in libris facile confundi poterant. In vs. sequenti *At* pro *Et* ferri non potest, quum oppositio iusta non adsit. *Sacer* deinde, quod Heins. male pro *scelesto* cepit, propria significatione positum est; etenim licet sacer sit Apis, licet Deus Aegyptiorum, tamen mactari debet, ut iustas poenas Pompeio solvat. Recte porro *mactabitur*, non *iactabitur*, quod Burmanno placuit; maiorem enim iram indicat *mactare* Apim, quam *iactare* Apim, qui certum tempus vivit, cf. Plin. H. N. VIII, 46. Magnus, Pompeii manes piaturus, Apim mactare vult. *Iactabitur* ex coniectura Ascensii vel alius viri docti ortum videtur, qui verba *mactabitur in cineres* bene coniungi posse non putaret. Recte vero *mactare in cineres*, quod tamen non idem est ac *super cineres*, ut vulgo explicant, vel pro dativo *cineribus*; *in* h. l. habet significationem dirigendi: mactare ita Apim, ut cruor eius in cineres defluat. Similiter Virg. Aen. I, 736 in mensam *laticum* libavit *honorem*, coll. VIII, 279; Val. Flacc. IV, 17 inque *vagi* libavit tempora *nati*. Neque denique, cur *cineres* in *tumulos*, quod Markl. ad Stat. Silv. V, 3, 68 iubet, mutari debeat, causam video; imo minus placet *tumulos* de Pompeio, cf. vs. 151, nisi explicas, ut sint tumuli, quos Magnus exstruere vult. — Sensum totius loci exponit Schol. Lips. a ita: *Et Osirim spargam; et Apim*, (ita pro *Apis*) *qui nunc mactatur in sacrificio Osiridi*, (ita pro *Osidiri*) *mactabo* (male in Ms. *mactata*) *in sacrificio Pompeii. Quod dicit tectum lino, tangit, quod frustatim fuit divisus a fratre suo, et post Isis, uxor sua, collegit eum et sepelivit.*

IX, 482

Procubuit, metuensque rapi constrinxit amictus.

In Lips. c versus inter vs. 478 et 479 legitur, ubi

Digitized by Google

stare non posse omnia docent; sed inde versum non recte spurium dixeris; apparet enim abesse non posse, ut iam particula *que* in v. *Inseruitque* ostendit. Praeterea ratio mutatae sedis in verbo *iuventus* versu 478 et 481 aperta est, unde reliquae quoque turbae in eodem Codice ortae sunt. Neque varietas lectionis, licet h. l. satis magna sit, versum suspectum reddere valet, orta vel ex errore solenni, ut *metuit*, *timuit*, *timens* pro *metuens*, cf. infra V, 650 et Oudend. ad VIII, 579; *capi* pro *rapi*, cf. Burm. ad IV, 717; Oudend. ad IX, 684; vel ex interpretatione, ut *mori* in Lips. c pro *rapi*, quod sine dubio probari debet; proprie enim *rapere* de vento dicitur, cf. supra 459; 465; 476; nunquam *capere*. Bene autem *metuensque*, non *metuitque*; displicent enim perfecta ita cumulata, praesertim quum in verbo *metuere* non primaria notio sit, et Lucanus, si voluisset, sine dubio *constrinxitque* per polysyndeton dixisset. Praesens *constringit*, quod in Lips. c et Thuan. tert. legitur, inter praeterita *procubuit* et *inseruit* h. l. displicet; *amictum* denique in Lips. b non male habet; sed pluralis quoque ex poetae usu, cf. II, 362; VIII, 240; neque contra reliquos libros aliquid ausim.

IX, 684

Aliger in coelum sic rapta Gorgone fugit.

Legitur versus in Lips. a post sequentem, ubi nullo modo stare potest; neque tamen hac ex re pro spurio haberi debet, licet quodammodo abesse possit. Haec ipsa enim causa fuit, ut versus omissus alieno loco appareat, quamquam nexu totius loci defenditur. Quod singula attinet, male verborum ordo *sic rapta*, propter rhythmum, ut puto, mutatus est, cf. supra ad VII, 369; *sic* enim non ad v. *Gorgone*, sed ad v. *rapta* pertinet; *fugit* autem, quod verbis *in coelum* coniungi debet, optime velocitatem Perseos, Gorgone interfecta iter accelerantis, exprimit.

X, 303

Ambitur nigris Meroe foecunda colonis.

Versus supra post vs. 293 in Cod. Flor. legitur; sed

Digitized by Google

neque hic abesse, nisi sensu manco, neque ibi, nisi turbata structura, stare potest; ipse praeterea cur displiceat non habet; quare rectius, praesertim quum ratio mutatae sedis appareat, defenditur. Ἐκ παραλλήλου enim, ut interdum factum videmus, ad versum 293 propter verba *Aethiopum feris campos* et *Ambitur Meroe* additus erat; quo facto ex margine in textum subrepsit, et quum iam vs. 293 scriptus fuisset, infra deletus est. Sensum loci Schol. Lips. a ita explicat: *Meroes est civitas in septentrione,* (?) *quam Nilus ambit gurgite rupto i. diviso, et ibi est ebenus, cuius comarum umbra populi illi laetantur.* — Mira est forma *Meroes* pro *Meroe,* quam Schol. et plures Mss. hic, supra vs. 163 et 237 praebent, cf. Oudend. ad vs. 237; sed reposita videtur a librariis de metro sollicitis.

Restat, ut de iis locis dicam, in quibus ratio quidem negligentiae, qua versuum ordo turbatus sit, aperte demonstrari non potest, nisi librariorum stupore omnino omissos et vel in margine vel inter reliqua verba scriptos fuisse versus dicas; sed ubi aliae causae, nullum in hac re interpolationis indicium positum esse, manifesto docent.

I, 676

Talis et adtonitam rapitur matrona per urbem.

Versus in Cod. Bern. sequitur vs. 677; ita enim librarius errorem suum fortasse correxit. Sententiarum nexus et verba singula versum eiusque sedem aperte defendunt; respondet enim versui 674.

III, 308. 9

Massiliam bellis testatur fata tulisse,
Comprensa est Latiis quaecunque annalibus aetas.

In Oudend. Cod. vs. 308 post vs. 309 legitur. Causa mutationis non apparet, sed versus neque hac ex re spurii dici, neque alio modo constitui debent, ut aperte nexus sententiarum et verborum structura indicant. *Compressa* saepissime cum v. *comprensa* confunditur, cf. Burm. ad III, 701, quod tamen h. l. stare non

Digitized by Google

potest; *comprehendere* autem pro *dicendo*, *scribendo complecti*, *explicare* saepius legitur, cf. Ovid. Trist. V, 2, 27 *Quae si* comprendere *coner*, *Icariae numerum dicere coner aquae;* Met. XIII, 160 *dictis comprendere.*

III, 326. 27

Cui non conspecto languebit dextra parente?
Telaque diversi prohibebunt spargere fratres.

Ordinem utriusque versus Voss. pr. permutat; librarius enim priorem serius addidisse videtur, quem sensus totius loci et nexus cum praecedentibus neque recte abesse neque aliam sedem occupare patiuntur; id quod copula *que* quoque in v. *telaque* indicat. Nexus autem hic est: Utinam nulla gens vobis arma in bellum civile commodet, ut vobis solis pugnare relictum sit; ita enim cognati in diversa acie mutuo conspecti, patres et fratres, pugnam prohibebunt. — In singulis nihil est, quod offendere possit; *spargere*, cuius loco glossa *mittere* in uno Cod. Bersm. legitur, bene defendit Burm., cf. VII, 485 Spargitur innumerum *diversis* missile *votis*, et VIII, 303 Spicula *nec solo* spargunt *fidentia ferro*, de Parthis.

IV, 141. 42

Ac ne quid Sicoris repetitis audeat undis,
Spargitur in sulcos, et scisso gurgite rivus.

Converso ordine in Cod. Laurent. leguntur, sed nexus sententiarum et usus loquendi vulgarem ordinem ab alia quoque manu in Laurent. restitutum probat. Versus genuinos esse nemo negabit; verum in singulis verbis fortasse aliquis haerebit. *At*, quod pro *Ac* in uno Bersm. est, et in Florent. scriptura *Atque* latere videtur, non quadrat, neque suo loco est. *Fisso, cisso, scissis* ex errore vulgari librariorum orta sunt; cf. Oudend. et Burm. ad IX, 686. *Rivus* denique pro *rivis*, quod fortasse ex praecedenti *undis* ortum est, in melioribus libris legitur, et sine dubio probari debet; amant enim poetae ita loqui, quo poetica quaedam vis oriatur. *Sicoris* nunc *rivus* dicitur, qui vs. 14 *non ultimus inter Hesperios amnes* est.

Digitized by Google

Praeterea *rivis* propter praecedentia *spargitur in sulcos* displicet.

IV, 805, 6

Has urbi miserae vestro de sanguine poenas
Nempe datis: luitis iugulo sic arma potentes.

In eodem Cod. Laurent. variato ordine leguntur; causa mutationis non apparet, sed verba genuina esse, Lucani mores et verba sequentia, quibuscum cohaerent, ostendunt. Vulgatum autem ordinem commutari non debere, nisi sensu verborum turbato, apertum est. In singulis, excepto v. *Ferre*, nihil est, quod moneam; etenim *nostro* et *petentes* ex solenni errore orta sunt, cf. Drakenb. ad Sil. Ital. XI, 117; Burm. ad Lucan. II, 230. Pro *Ferre* vero legitur *Nempe* in Voss. pr. quart., Rottend. sec. a man. sec., Langerm. et in Schol. Lips. a, quod a Cortio receptum mihi quoque se probat; etenim non intelligitur, cur *Nempe* a librariis h. l. additum sit, quum *ferre* facilius ex glossa ad v. *datis* oriri posset. Deinde *Nempe*, cum indignatione vel ironia dictum et praecedentia affirmans, sententiae totius loci convenire, et verbo *sic* in sequentibus optime respondere videtur, melius quam *ferre*, quod quodammodo abundat. Ita *nempe* cum indignatione legitur IV, 228; V, 775 et VIII, 352; cf. Burm. ad Propert. I, 3, 37 et ad Val. Flacc. III, 513; VI, 282.

V, 268. 69

Quid iuvat Arctois, Rheno, Rhodanoque subactis?
Tot mihi pro bellis bellum civile dedisti.

In Lips. a commutantur; sed neque ordo verborum alius fieri potest, ut nexus sententiarum et structura docet, neque alteruter versuum inter spurios referri debet; apparet enim priorem integro sensu abesse non posse, alterum ad sequentia facere transitum. Librarius erravit, licet causa erroris aperta non sit. *Quo*, quod in Oxon. pr. et Turr. legitur, glossa est verbi *quid*, et fere semper accusativo, non verbo coniungitur, cf. Oudend. ad VII, 411. Transpositionem

Digitized by Google

Cortii in verbis *Rheno Rhodanoque*, propter consuetam poetis figuram, ut dicit, factam confirmant Thuan. quart. et Rottend. sec.; sed figuram illam non novi, neque omnia loca, ubi non legitur, corrigi debent. Idem corrigendi studium Burmannum movit, ut propter interrogandi signum, quod Hamb. quart. et Rottend. tert. in fine vs. 269 habent, verbum *mihi*, recte ab eo antea defensum, male mutarit; in versu 269 enim, ut vulgo legitur, responsum quasi ad vv. *Quid juvat* etc. continetur, quem loquendi usum Lucanus et alii poetae amant, cf. I, 665; 666; 669; 670; II, 574; 75; IV, 219; 20; V, 130; 31; 340. Recte autem *mihi*, ut IX, 237; 240; *queror* 855; *requiro* 871.

V, 400. 401

Nec non Iliacae numen quod praesidet Albae,
Haud meritum Latio sollemnia sacra subacto.

In eodem Lips. a transponuntur, quorum vulgarem ordinem servandum esse, sententia et verba *Nec non* docent. Possis suspicari, vs. 401 spurium esse, quum incerta eius sit sedes, neque sensus eum requirat; sed non intelligitur, qua ratione eiusmodi versus interpolatus sit, cuius sententia praeterea cum Lucani moribus optime convenit, ita ut iam hanc ob rem deleri non debeat. Quis enim non norit Lucani animum Diis iratum et effervescentem, quod Romam a Caesare subactam passi sint? cf. VII, 445 sqq. Sensum loci optime Schol. Lips. b ita explicat: *haud meritum, i. quia ad hoc ibi colebatur Iupiter, ut ab hostibus Italiam protegeret; sed quia a Caesare nunc Latium subactum erat, iam non erat meritum sacra sollemnia.*

VII, 277. 78

Ite per ignavas gentes, famosaque regna,
Et primo ferri motu prosternite mundum.

Mutat versuum ordinem Cod. Bern., quem mutari non debere sensus totius loci et particula *et* ostendit. Versum 278, praesertim quum abesse possit, fortasse suspectum dixeris; sed habet talem spiritum, qui Caesaris ora-

Digitized by Google

tioni aptissimus non facile a scriba profectus sit. Unde Guieti quoque opinio refutari debet, totum hunc locum a vs. 277—80 pro spurio habentis, quia vss. 276 et 281 cohaereant. Male autem v. d. nexu, qui revera est, neglecto, alium, qui nullus est, constituit. Etenim quid est, quod vs. 276 et 281 coniungat? imo, postquam Caesar spem mundi non multo sanguine peti, et Graiam iuventutem vix arma ferentem, barbariem et paucos tantum cives adfore dixisset, recte adhortatur suos: ite per has ignavas gentes, et omnes primo ferri motu prosternite. Quod fieri posse probat: Pompeii enim res non magnopere a milite curari; se autem, Caesarem, a suis amari. — In singulis verbis pauca sunt, quae notem. *Signa* legitur in Huls. pro var. lect. et in Thuan. 2 ex solenni errore, cf. Burm. ad VIII, 25; neque verisimile est, v. *regna*, quod plures et optimi Codd. habent, spurium esse. Saepius autem *gentes* et *regna* a nostro coniunguntur, cf. V, 22; VII, 115.

VII, 785. 86

Quod Styga, quod manes, ingestaque Tartara somnis
Pompeio videnti videt! Tamen omnia passo.

Versus transponit Cod. Florent., sensu et verborum structura vulgarem ordinem et utrumque versum ita defendente, ut neuter salvo sensu abesse et spurius dici possit. Singula ab Editoribus recte constituta sunt: sic *ingesta* ab Heins. Advers. I, 5, p. 46 et a Wakef. ad Lucret. II, 1104; *infesta* in nullo Cod. est, sed in Editt. veteres, ut Ascensii 1506, per errorem typographi irrepsisse videtur; *corpora* denique, quod in pluribus, sed non optimae notae Mss. legitur, lapsu librariorum ortum, h. l. inter *Styga* et *manes* stare non potest, cf. III, 13, ubi simili modo *Stygiae tenebrae manesque nocentes* coniunguntur, et paulo post *Tartara* sequitur.

VIII, 72

Nobile cur robur Fortunae vulnere primo

In Lips. c post versum 74 leguntur; omnia autem, tam sensus, quam singula verba docent, neque vulgarem ordinem mutari, neque versum pro spurio haberi debere. Quod singula attinet, Clercquius ad II, 21 *fulmine primo* pro *vulnere primo* scribi iubet; sed ubi illa corrigendi necessitas? nonne *vulnus primum* metaphorice de ictu Fortunae, de damno, de calamitate dici potest? ut Bentl. l. l. ex pluribus locis bene ostendit, quibus adde ex nostro V, 1; VII, 639; VIII, 233; 417. Absit igitur ille corrigendi pruritus, qui verbum minus aptum *fulmen primum* h. l. protulit; puto enim, Corneliam non facile a fulmine secundo ictum iri.

IX, 870. 71

Serpentum terras? habet hoc solatia coelum:
Vivit adhuc aliquid: patriae non arva requiro.

Mutata sede in Cod. Bern. leguntur; omnia tamen docent, vulgarem ordinem servari debere. Correcto *ista* pro *istas*, versus 870 fortasse deleri possit; sed cur genuina corrigere, praesertim si totius loci vis minuatur, quam Schol. Lips. b bene indicat: *Vivit, quia sub alio aere, quo forsan veniemus, serpentes non vivunt.* Singula recte ab Editoribus constituta sunt; *coelum*, *letum* et *telum* saepius in Mss. confunduntur, cf. Oudend. ad VII, 288.

His a me dictis aliud transpositionis genus addam, in quo non tam negligentia librariorum, quam potius mutandi animus cognoscitur. Quem ad modum enim multa loca manum aliquam doctam passa reperiuntur, in quibus singula verba vel bene restituta vel male correcta sint, prouti librarii vel ingenio felici usi essent, vel doctrinam suam ostentassent; ita versus quoque data opera transpositos atque in alium ordinem redactos deprehendimus. Quos si cum re tractata comparamus, apparet in tali versuum transpositione, ubi manus corrigentis librarii aperta sit, interpolationis indicium quaeri non posse. Cur enim versus ab alio transpositi spurii sint, nisi alia interpolationis indicia accedant? Sunt autem interdum spuria, quae a librariis doctis, quia cum verbis au-

Digitized by Google

etoris non bene cohaesissent, hic illic interposita legantur. Ubi vero omnia docent, verba auctoris, quis ordo vulgaris librario non satisfecisset, transposita esse, cur in his locis an genuina sint nec ne dubitemus? At fortasse aliquis dixerit, unde talia a librario transposita esse apparet, et quomodo ab his, quae propter mutatam sedem interpolationis notam adsciverint, discerni possunt? Quae res mihi facillimi negotii videtur; etenim eiusmodi loca, quae plerumque pluribus versibus constant, non modo nexum cum reliquis habent, quem auctor volebat, licet fortasse minus apertum; sed etiam alium, quem librarius mutato ordine dedit, qui, etiamsi non iustus, aliquam tamen speciem habet, ita ut, cur librarius hunc ordinem cum vulgari commutaverit, colligere possis. Talis locus in Lucano hic est:

In descriptione pugnae Pharsalicae lib. VII versus 510 — 520 ante versum 489 leguntur in tribus Burmanni Codd., duob. Voss., Lips. d et septem vetustioribus Cortii, si diversi sunt ab illis. Quam versuum transpositionem non negligentia librariorum factam esse, sed de industria eius, qui, nexu vulgati ordinis non intellecto, haec, in quibus de missilibus et de sagittis sermo, cohaerere existimasset, ex consensu plurium Mss. et ex eo, quod vs. 510 ante vs. 489 in Oxon. pr. a man. sec. et in alio Voss. legitur, apparet. Itaque factum est, ut novus versuum ordo non omni specie careat; nihilominus vulgaris ordo servari debet, quem sensus et nexus totius loci, nec non singula verba tuentur; accedit quod cum narratione Caesaris B. C. III, 91 sqq. de hac pugna convenit. Praeterea versuum ordo a librario institutus in singulis quoque habet, cur displiceat; etenim non intelligitur, quomodo satis apte cohaereant, quae de Romanis dicta sunt *spargitur diversis votis missile*, et *illic quaeque gens miscet proelia*. Deinde v. *illic* aliud quid, ad quod referatur, requirere videtur, neque bene versui 488 coniungi potest. Quanto melior vulgatus versuum ordo, ubi *illic* cum praecedentibus verbis arcte cohaeret; dicit enim poeta, levem armaturam maxime gentium exterarum, cf. Caes. l. l. c. 93, equitem secutam, impetu in Caesarianos facto,

Digitized by Google

tela sua sparsisse, quibus permotum Caesarem subitum agmen emisisse. Bene illa quoque cohaerent: *Spargitur in numerum missile* et *Sed quota pars* etc. hoc modo: Sparsis missilibus multi quidem caeduntur, sed maior caedis pars ense fit, quod etiam ex historia constat. Minus bene secundum librarii sententiam coniunguntur: *Nox super campos telis conserta pependit* et *Sed quota pars.* Cur enim particula adversativa? quomodo missilia exterarum gentium Romanorum ensibus opponantur? Imo de Romanis solis sermo est, et Lucanus ex more suo Caesarianos carpit, quod primi telis armisque Pompeianos adorti sint.

CAPUT V.

DE VERSIBUS LUCANI PROPTER LECTIONIS VARIETATEM SUSPECTIS.

Accessimus ad indicium interpolationis, quod ultimum externorum in varietate lectionis positum est. Constat plura loca reperiri, quorum scripturae nobis suspectae miro modo differant, neque tamen omnia hanc ob rem spuria sunt. Ubi enim variae lectiones ex solenni librariorum errore ortae leguntur, apparet hoc negligentiae tribui debere; sed ubi libri ita variant, ut plura verba cum aliis, quibuscum in Mss. confundi non soleant, commutata sint, suspicio interpolationis merito nascitur, nisi demonstrari potest, scripturae diversitatem ab ipso auctore profectam esse. Quod Lucanum attinet, iam supra vidimus neque de altera Pharsaliae recensione, cuius versus cum versibus prioris coniuncti sint, cogitari, neque Oudendorpii sententiam de binis versibus ita elaboratis, ut alteruter a poeta postea eligeretur, probari debere. Quare restat, ut eiusmodi loca in nostro ab aliis commaculata interpolataque esse dicamus; quae quidem res duplici modo fieri poterat. Lucanus enim, ut iam supra monuimus, multos lectores et interpretes inde a suo tem-

Digitized by Google

pore nactus, quo saepius lectus, eo saepius manus aliorum passus est. Alii mutabant, quae sibi male dicta viderentur, et merito, ut putabant, quum Pharsalia opus imperfectum esset; quos inter fortasse Polla Argentaria cum Statio referri debet. Alii summa cum religione verba auctoris servabant atque tuebantur; alii interpolata ac genuina in unum coniungebant, et ita factum est, ut loca verbis interdum rebusque plane diversa iuxta posita legantur. Alia ratio, qua lectionis varietatem ortam videmus, in glossematis quaerenda est, quae interdum in verba auctoris subrepserunt, interdum adeo genuina de loco suo moverunt.

Quae quum ita sint, iudicium de eiusmodi locis non difficile puto, modo, quae diximus, recte considerentur, neque praeterea negligamus, unam eandemque rem saepius a Lucano ita variatam et diverso modo in duobus versibus expositam esse, ut alteruter versus pro varia lectione indeque pro spurio haberi possit. Denique praeteriri non debet, ex hoc solo indicio interpolationem alicuius versus demonstrari non posse, nisi alia accedant argumenta.

Loca, ubi lectionis diversitas interpolationis indicium est, sed alia quoque accedunt, rem affirmantia, haec sunt:

VII, 746

Sic milite iusso.

Locus sine dubio corruptus est, quod varia lectio *Nec plura locutus* aperte docet; accedit, quod vs. 747 in Voss. pr. et sec. a man. pr. non legitur, quem recte abesse posse supra negavimus. Versu 747 autem posito, apparet verba *Sic milite iusso* minus bene habere; displicet enim *iusso*, non quod ita dici non possit, ut Burm. putat; cf. si tanti est, IV, 760; X, 217; sed propter seq. *impulit*, quod fere idem significat; displicet quoque *milite* propter seq. *amentes* et *caecos*, licet defendi possit. Quanto melius *Nec plura locutus* ex mente poetae Caesarianis infesti; non pluribus, inquit, verbis opus erat iis, quorum animus

Digitized by Google

iam fuit propensus. Praeterea saepius ita Lucanus loquitur, cf. II, 490; IV, 544; V, 593; denique non apparet, quid interpolatorem haec verba addere moverit, nisi quis dicat propter VIII, 453; sed *Sic milite iusso* facilius ex glossa ad vv. *Impulit* etc. oriri poterat.

IX, 500 — 3

— — — *Conspecta est parva maligna*
Unde procul vena: quam vix e pulvere miles
Corripiens, patulum galeae confudit in orbem,
Porrexitque duci.

Locum corruptum et interpolatum esse, magna librorum variatio ostendit, quorum alii *Sustulit et*, *Contulit et* pro *Corripiens*; alii *conversum*, *convexum* pro *patulum* praebent; reliqua enim *qua visa*, *quam visam* pro *quam vix e*, et *infudit*, *effudit*, *diffudit* pro *confudit*, sine dubio ex errore librariorum orta sunt. Vide de *con* et *in* Burm. ad VII, 560; de *in* et *e* Burm. ad IX, 658; de *diffundere* et *effundere* Burm. ad VII, 344. Accedit quod vs. 502 in margine Hamb. pr. legitur, ita ut ab alia manu additus et reliqua correcta videri possint. Quae recte constituere facile est, quum, qua ratione versus interpolatus sit, non appareat, nec non sensus loco aptus et verba bona sint. Consentiunt plerique iique optimi Codd. in lectione *Corripiens*, *patulum galeae confudit in orbem*, atque recte. *Sustulit* enim ex glossa ad v. *Corripiens* ortum seriusque in textum illatum, addito *et*, ut metrum constaret, minime poeticum est; sed *corripiens*, id est celeriter arripiens, hauriens, h. l. aptissime dicitur, militis studium indicans. Neque opus est *e pulvere* mutare in *cum pulvere*, quod Bentl. et Burm. tentarunt, licet coniectura facillima sit, et a sequenti v. *confudit*, quod scholion in Lips. c *cum pulvere miscuit* explicat, probari videatur; praepositio enim *con* in v. *corripiens* et *confudit* militem non paulatim sed simul omnem undam hausisse atque infudisse exprimit. Male itaque Burm. *in pulvere* — *Conspiciens*, quae post vv. *conspecta est* etc. nullo modo placent. *Patulum* denique tueor, non

Digitized by Google

convexum vel *conversum;* etenim non intelligo, cur *patulum* a librariis cum v. *convexum* commutatum vel eius loco illatum sit; *convexum* autem et *conversum* ex errore, ut videtur, ortum explicat verba *in patulum orbem galeae.* Voluit enim glossator: *confudit in concavum galeae;* sed, ut fieri solet, *concavum* et *convexum* permutavit. Sic *patulus* saepius de rebus dicitur, cf. Virg. Cir. 369 *patula testa;* Ovid. Met. VIII, 675 *patula canistra.*

X, 122—124

Fulget gemma toris et laspide fulva supellex:
Strata micant, Tyrio quorum pars maxima fuco
Cocta diu, virus non uno duxit aheno.

Locum interpolatum esse variae librorum scripturae docent, quorum plurimi et optimi alium versum post vs. 122 addunt: *Hic thorus Assirio cuius pars maxima succo,* vel *fuco* vel *cocco,* ut Putean. ex vs. 125; alii versuum ordinem mutant, ut Lips. a. b, ita ut v. 125; 123; 124; 126 se excipiant; alii interpunctionem in vers. 123 mox ante, mox post v. *Tyrio* ponunt; alii in eodem versu *succo* vel *fuco* vel *lentum* habent; unus adeo apud Hortens. versum 124 omittit. Scholiastes Lips. a locum ita explicat: *Nectis,* (leg. *In lectis*) *scilicet ubi comedebant, ubi* (leg. *ibi*) *gemmae erant et supellex, scilicet trapezia erant ornata laspide; et hic i. in domo erat lectus, cuius maior pars micat succo, i. colore illo, qui in Asia fit apud Tyrum; quae strata, quae ibi erant, micabant; hoc dicit Strata micant* (ita pro *micat*) *tirio s. suco et maxima pars stratorum duxit lentum virum,* (leg. *virus*) *i. colorem flectibilem,* (leg. *flexibilem*) *non una eno* (leg. *aheno*), *quia saepe alia pallia tanta* (leg. *tincta*) *erant, ut magis reducerent* (leg. *relucerent*). Vides Scholiastam eodem modo legisse et utrumque versum ita coniunxisse, ut verba *Strata micant Tyrio* praecedentia explicarent; sine dubio inepte neque poetice. Quis enim poetarum eadem verba sine vi repetat: *Assyrio succo* et *Tyrio; cuius pars maxima* et *quorum pars maxima?* quod illi quoque sensisse videntur, qui versuum ordinem,

Digitized by Google

sed male mutarent, versu *Strata* etc. inter vs. 125 et 124, vel versu *Hic torus* etc. ante versum 126 collocato. Alterutrum versum alterius explicationem esse, omnia docent; sed uter, hoc quaerendum est. Verbum *Strata* possit v. *torus* explicare, quum proprie *pars maxima tori cocta diu* dici non possit; sed recte aliquis contenderit, v. *micant* non facile ab interprete aliquo ortum esse. Deinde plura sunt, quae priorem versum *Hic torus* etc. suspectum reddant; primum v. *Hic*, quod male h. l. positum est sine repetito *hic* vel opposito *illic*, ut mos et poetarum; deinde v. *torus* repetitum; tum ellipsis v. *est* vel *erat*, quum neque omissum neque positum verb. *est*, sed potius v. *stat* vel simile aliquid exspectes. Denique *hic torus* facile ex glossa *mic torus* i. e. *micat torus*, vel ex alia eiusmodi glossa ad v. *strata* oriri poterat; qua posita alias novum versum formavit. Deleamus igitur quae plures quoque Mss. non agnoscunt, verbaque genuina *Strata micant* etc. tueamur. Recte enim poeta post *toros* et *supellectilem stragula* commemorat, quae *micant*, ut omnia eiusmodi *micare* dicuntur. Neque nimis abrupte posita sunt vv. *Strata micant*, quod Oudend. putat, modo sequentibus coniungantur, commate post v. *micant* posito; solent autem poetae rem aliquam ut h. l. propositam per singula explicare, verboque *pars* in hac re uti, cf. VII, 486; X, 129; 151. In sequentibus lege *fuco*, licet *succo* quoque defendi possit; sed *fucus* proprium est in hac re vocabulum, cf. Oudend. ad h. l., et adde Val. Fl. I, 427, ubi vid. Burm.; Ovid. Met. VI, 222; Heins. Advers. I, 19 p. 194, qui locum nostrum male tentavit reponendo *lentum* pro *quorum*. *Lentum* enim in nonnullis, qui versum spurium habent, ortum est ab interpolatore, ut versus simillimi differrent; praeterea *lentum* verbis *cocta diu* coniunctum non satis placet. Denique *traxit* in Fragm. S. Germ. et pro var. lect. in Voss. sec. glossa est verbi *duxit*, quod proprie in hac re dicitur pro *haurire*, *accipere*, cf. Barth. Advers. III, 11 p. 130; Casaub. ad Pers. p. 274; Burm. ad Ovid. Met. VIII, 760; quibus adde Virg. E. IX, 49.

Digitized by Google

Illa duci geminos bellorum praestitit usus:
Abstulit excursus et fauces aequoris hosti;
Caesaris auxiliis aditus ac libera ponti
Ostia permisit. nec poenas inde Pothini
Distulit ulterius.

Locum corruptum et interpolatum esse, aperte Mss. docent, nec non Scholiastes Lips. a his verbis: *Caesar et auxiliis cum videt* (leg. *vidit*). *Hic intelligendum est*, (addit non male Lips. b *quod*) *postquam Caesar Pharon cepit*, *qua* (deest in Lips. b; *quod* Lips. c;) *ipsi insequentes eum obsederunt eum ibi* (*eum ibi* absunt a Lips. b recte; Lips. c *intus ibi*) *intra aliquantos* (Lips. b *per aliquot*; Lips. c *aliquos*) *dies*, *et* (*tum* Lips. c) *postquam primum se vidit esse* (Lips. b *videt se*) *liberum de* (Lips. b. c *ab* recte) *illa obsidione*, *illis discedentibus*, (Lips. c *descendentibus*) *et ut vidit* (*ut vidit* absunt a Lips. b, *ut* a Lips. c) *Photinum pauca habere auxilia circa se* (Lips. b addit *tunc primum*, non male) *misit suos et ipse* (Lips. b addit *mox*) *ivit ad eum* (Lips. c *illum*) *perdendum*, *et captum truncavit* (add. Lips. b *caput*). Relictis in medio, quae Intpp. de hoc loco dixerint, sententiam meam paucis exponam. *Ut vidit*, nisi verbis *aditus ac* deletis, quae tamen propter *excursus et fauces* genuina, stare non possunt, membrorum rationem turbant, et a glossatore profecta videntur, ut incerta eorum sedes, Lips. a, in quo desunt, et Schol. Lips. a, in quo lege: *Caesar et auxiliis*: cum vidit, *hic intelligendum est*, indicant. *Caesaris — permisit nec poenas inde* ferri possint; sed *non fatum meriti poenasque* optime dicta sunt. *Fatum* enim i. e. *mortem*, ut ex glossa Florent. et Bersm. unus habent, saepius in nostro legitur, cf. IV, 484; IX, 825; *meriti* autem positum est ut VII, 771 *Exigit* a meritis *tristes victoria poenas* (ubi Cort. male *miseris*), de iis, qui poenae obnoxii sunt, de nocuis; neque facile eiusmodi verba a librariis adduntur. Deinde displicet v. *Caesaris*, quo non opus est, quum *auxilia*, ut oppositio v. *hosti* docet, aperte Caesaris, non hostium sint; denique subiectum ad v. *distulit* ex vs. 512 repeti debeat. Haec omnia, ut dixi, locum

Digitized by Google

a librariis interpolatum esse ostendunt, qui, quum verbum, a quo accusativus *aditus ac ostia* penderet, non animadvertissent, id vario modo substituerunt. — Quae quum ita sint, locum corruptum fortasse aliquis ita scripserit:

> *Abstulit ut cursus et fauces aequoris hosti*
> *Caesar, et auxiliis aditus ac libera ponti*
> *Ostia, non fatum* etc.,

ubi *auxilia* Pothini, ut glossa Lips. b explicat, vel omnino Alexandrinorum sint, et reliqua optime cohaereant. Ita tamen *gemini usus* vs. 512, in damno hostium et in commodo Caesaris, ut videtur, positi, non explicentur, neque placeant verba coniuncta *excursus* et *fauces aequoris*; *aditus* ac *libera ponti ostia*, quae oppositionem aliquam continent. Ulcus itaque in alia re latere arbitror; sed interdum satius est id monstrasse, quam medicinam pravam adhibuisse, ut ab Heins. Advers. I, 19, p. 197 factum videmus.

Alia loca, quae propter varietatem scripturae Interpretibus male suspecta defendi debent, haec sunt:

I, 282

Par labor atque metus pretio maiore petuntur.

Guieto versus spurius videtur, ratione tamen non reddita, nisi in his: *nota varietatem.* Legitur enim in uno vel pluribus Codd. *tenentur*; in Rottend. sec. *parantur*; in Turr. *petentur.* Sed quid, quaeso, in his spurium versum indicet? quum *parantur* sine dubio ex v. *paratis* in fine praecedentis versus, vel ex errore, ut IV, 203 in Reg. pr.; *petentur* et *tenentur* ex sollenni librariorum errore orta sint, cf. Drakenb. ad Sil. Ital. II, 421. Neque in sensu quid interpolatorem arguat inest; amat enim Lucanus eiusmodi sententias. Praeterea nexus cum praecedentibus et sequentibus optimus est: Age, inquit, incipias bellum; etenim, quamvis par sit ei, quod in Gallia gessisti, merces eius maior erit; quae in sequentibus ex more Lucani exponuntur. Nexum iam scholion Lips. c indicat: *Respondet ad hoc, quod Caesar posset di-*

Digitized by Google

cere, quod non minus laboraret, quam laboravit in Gallia. — Quod singula attinet, Bentleius *merebunt* pro *petuntur;* Clercquius *pretio hoc maiora* correxerunt; uterque nimis audacter, et alter ne recte quidem, quum *hoc pretio* de audacia nullo modo dici possit. *Metus,* nisi h. l. *ζεῦγμα* substituas, metonymice positum est pro eo, quod metum efficiat, pro re periculosa, periculo, cf. IX, 380; 447; Val. Flacc. I, 23; et *labores et pericula petere* i. e. inire, suscipere optime dicitur. Iidem labores, eadem pericula tibi fortasse subeunda sunt, inquit; sed maius pretium, maior merces sequitur. Sic *labor* et *pericula* saepius coniunguntur, Caes. Gall. I, 44 fin.; Liv. I, 54 in med.

II, 195

Unius populum pereuntem tempore mortis.

Guieto versus suspectus est, ni fallor, propter verba quae praecedentia explicare videntur, et propter varietatem scripturae. Legitur autem *noctis* pro *mortis* in Lips. c et Voss. pr., quod historiae quoque repugnat; constat enim Praenestinos interdiu, non noctu interfectos esse. Sed quae explicatio glossatoris videri possit, ab ipso Lucano profecta est, talia per appositionem addere amante, ut rei alicuius magnitudo atque atrocitas describatur; quod non intellexisse videntur, qui *et* post *Unius* scriberent. Neque reliqua varietas lectionis versui officit; *mors* et *nox* enim saepius in libris confunduntur, cf. Drakenb. ad Sil. Ital. XIII, 129. Oudend. ad VI, 741. In singulis male Cort. *pereuntes* fortasse ex Cod. Lips. c dedit, quod verbo *populum* coniungi non potest, ut multa Lucani loca docent; *tempore unius mortis* i. e. uno eodemque tempore. Scholion Lips. c male rem historicam, sed bene verba Lucani explicans: *Homines Praenestae* (leg. *Praenestinae*) *civitatis faverent* (leg. *faverunt*) *Mario, qui erant flos Latii; illos fecit Sulla interfici, et quot erant, tot posuit interfectores, quorum quilibet interfecit suum in uno tempore.*

III, 150.

Ocius avertat diri mala semina belli.

Digitized by Google

Guieto versus interpolatus est, quum libri varient in *avertant*, *avertent*, *avertas*, *avertat*, *avertet*; et fortasse propter sensum cum reliquis, ut videtur, non cohaerentem. Ratio totius orationis autem et nexus verborum versum abesse non patiuntur. Cotta Metello persuadere studens, ut Caesari thesaurum concedat: Cogimur, inquit, parere et iussa perficere; res ipsa vero, quae iubetur, non nobis, qui servimus, sed domino ipsi gravis erit. Omisso illo, quod medium posui, vides nexum deesse, neque versum 151 intelligi posse. Quod singula attinet, *avertat*, quod glossa Lips. b per *Caesar a nobis*, et Lips. c per *auferat* explicant, scribi malim quam *avertant* et *avertent*, propter seq. *semina* orta, praesertim quum *avertat*, invidiose de Caesare dictum, melius h. l. quadrare videatur.

III, 253. 34

Hic ubi Pellaeus, post Tethyos aequora, ductor
Constitit, et magno vinci se fassus ab orbe est.

Guieto versus propter varietatem lectionis subditi videntur, qui salvo sensu abesse possunt; sed quis non noverit Lucanum doctrinam plerumque in talibus locis ostentantem? Accedit odium eius in Alexandrum, passim et maxime X, 20 sqq. apparens. Tum verba ad describendum Gangem optime faciunt: Hic, inquit, Alexander constitit, quem aequora cohibere non poterant, qui superato gurgite maris hic a flumine vinci se fassus est. Denique in verbis nihil inest, quod interpolatorem arguat, Lucanoque indignum sit. Neque varietas lectionis locum suspectum reddit; apparet enim a librario docto ortam esse, qui, quum v. *vinci* omissum et, quod saepius fit, in fine versus scriptum vidisset, *ore*, habita metrorum ratione, in *aequore* mutaverit; alius verbum *vinci* loco suo restituit, ita tamen ut *aequore* servaret. Reliquae autem lectiones ex errore solenni; sic *hinc* pro *hic*, cf. Oudend. ad II, 55; 403; *orbe* et *ore*, cf. Oudend. ad I, 538; Drakenb. ad Sil. It. III, 654. Possit aliquis suspicari legendum esse *amne* pro *orbe*, quod Bentl. I, 465 tentabat, et h. l. propter *Gangem amnem* et v. *orbe* vs. 230 speciem aliquam habeat; sed recte

Digitized by Google

habet *ab orbe magno*, ut taceam de coniecturae *amne* audacia; orbis enim h. l. non est terrarum orbis, sed pars terrarum, et h. l. illa pars, quae versus Orientem patet; cf. Burm. ad IX, 437. Ita saepissime apud nostrum. Quod formam *Tethyos* denique attinet, cuius loco alii *Thetidos* praebent, in Lucano sine dubio *Tethys*, non *Thetis* pro mari ponitur, ut Mss. I, 414; IV, 73; VI, 479, et aliis in locis metra docent, nisi quis Lucanum primam in v. *Thetis* semper brevem, cf. Catull. 64, 28. 29, produxisse dicat; quod tamen verisimile non est.

III, 249

Tunc furor extremos movit Romanus Oretas.

Guietus versum suspectum dicit, Mss. enim in nomine populi *Orestas, Horestas, Oretas, Olostras* variare; sed *Olostras* in uno tantum Ms., *Oretas* ex coniectura Sulpitii ortum est; neque mirum, Mss. *Orestes*, cf. Drakenb. ad Sil. It. XV, 313, vel *Orontes* ex vs. 214 habere, atque in nomine ignoto variare. *Oretas* sine dubio scribi debet, quod ratio totius loci et plura veterum loca probant. Neque syllaba prima coniecturae obficit; saepius enim in nominibus propriis, et maxime in externis poetae Latini legem sequebantur, quam pronunciatio, non Graecorum prosodia dedit, cf. Oudend. ad h. l.; Burm. ad I, 420; Rupert. ad Sil. It. III, 252; IV, 776; VIII, 579. Denique ne recte quidem hic et sequentes versus abesse possunt, nisi quis omnia usque ad vv. *ungula Tauri* damnata velit, cui rei nulla adest causa. Cur enim Aethiopum mentionem non faceret, qui reliquorum Orientis populorum meminit, praesertim quum in his doctrina aliqua ostentari possit?

III, 549 — 52

Ut quoties aestus Zephyris Eurisve repugnat,
Huc abeunt fluctus, illuc mare: sic ubi puppes
Sulcato varios duxerunt gurgite tractus,
Quod tulit illa ratis remis, haec retulit aequor.

Locus Guieto suspectus est, quum abesse possit, et

Digitized by Google

Mss. multum in eo varient; sed prior ratio nulla est, ubi aliae non accedunt. Comparatio ipsa, loco apta Lucanoque digna, cur ab interpolatore addita sit, non habet; varietas enim lectionis talis est, quae saepissime in libris occurrat, ut postea videbimus. Sensus autem totius loci hic est: Concursu navium factum est, quod vento et mari pugnantibus fieri solet, ut fluctus impulsu aliarum navium partim propellerentur, partim aliarum cursu repellerentur. Simile aliquid habes IX, 333. — Quod singula attinet, vv. *aestus Zephyris Euris* recte ab Intpp. constituta sunt, cf. II, 676; nec non *Eurisve*; etenim pugna est aestus cum Euro vel Zephyro, non utriusque venti cum undis. *Ve* autem in optimo Voss. pr., Witt., quatuor Burm. legitur, et saepius in libris cum *que* commutatur; cf. Bentl. ad II, 592. *Repugnant* pauci neque optimi libri praebent; *sulcatos vario* et *sublato*, *siccato* ex solenni librariorum errore orta sunt. *Sulcari* autem de aqua dicitur, cf. Oudend. ad V, 503; Virg. Aen. V, 142; 158; Val. Flacc. III, 32; Ovid. Met. IV, 706; ex Pont. I, 4, 35; II, 10, 33. *Aequore* pro *gurgite*, et *cursus* pro *tractus* glossae sunt; neque *tractus* mutari debet, cuius loco Voss. 1 ex errore solenni *tactus* habet, cf. Burm. ad VII, 412; *tractus* de undis per aequora serpentibus, cf. V, 565; X, 257. In sequenti versu male *hoc* pro *haec* legitur, quod propter *Quod* ortum videtur, ita ut *aequor* verbo *ratis* respondeat, adversante Lucani mente; quas undas, inquit, alia navis propulit, has alia ex adverso repulit. Sic *retulit* quoque verbo *tulit* respondet, cuius loco alii male *attulit*, *contulit* habent, correcta propter syllabam *re* in v. *retulit*, de qua cf. Oudend. ad III, 113; Taubm. ad Plaut. Pers. 4, 6, 3; Pier. ad Virg. Aen. I, 34; Burm. ad Ovid. Met. VI, 212; Heins. ad Ovid. Her. 14, 46; Voss. Gramm. I, 22; II, 19, qui tamen rem non absolverunt. Distingui enim debent varia poeseos genera et tempora, quibus poetae vixerint. Ante Virgilium et Horatium syllaba *re* in compositis omnibus anceps fuisse videtur, unde in Lucretio plurima huius rei exempla leguntur, nata inde, quod metri commoditas ita iussisset, pronunciatione non adversante; sic in vv. *Reficiunt*, *Refugiunt*, et aliis; cf. Gifan. Ind. in Lucret.

Digitized by Google

s. v. *Re*. Inde a Virgilii temporibus, quum syllaba *re* notionem suam amisisset, in quibusdam tantum verbis anceps, ibi plerumque producta est, ubi oppositio aliqua notionem ostendit. Quod Lucanum attinet, neque in omnibus verbis compositis *re* syllabam productam habet, unde male Oudend. ad III, 115 *resistere* pro *obsistere* defendit, et Cort. IV, 328 *Reciso* pro *Rescisso*, neque in omnibus formis. *Re* Lucano anceps est in verborum *referre* et *repellere* perfectis, unde nunquam in thesi ponitur; cf. *retulit* VI, 532, ubi Oxon. pr. male *detulit*, quum res ipsa *retulit* flagitet; IX, 367, ubi eodem modo *detulit* in Voss. pr. et Bersm. uno legitur; *Repulit* I, 499; IV, 102; VI, 480, ubi unus Bersm. male *Depulit*; opposita enim sunt *impulsam* et *repulit*. In quibus omnibus syllaba *re* notionem suam habet; quae in perfecto propter accentum primae syllabae ex legibus enunciationis et propter plures syllabas breves producta videtur. *Refert* impersonale, ut constat, priorem syllabam semper longam habet, unde non temeraria illorum opinio videtur, qui *refert* a v. *res* et *fert* derivent; *refert* autem a v. *refero* primam corripit. *Reiicere* denique primam semper producit, ita ut, ubi brevem habere videatur, cf. Stat. Theb. IV, 574, non per *j*, sed per *i* vocalem, ut in Virg. E. III, 96 *Reice capellas*, scribi debeat.

IV, 328 — 31

Rescissoque nocent suspiria dura palato;
Pandunt ora tamen, nocturnumque aera captant.
Exspectant imbres, quorum modo cuncta natabant
Impulsu, et siccis vultus in nubibus haerent.

Versus Guieto propter varietatem lectionis suspecti sunt, satis magnam quidem, sed eiusmodi, quae explicari possit. Mihi sententia maxime displicet pluribus verbis, quam par erat, exposita; sed novi Lucani morem in eiusmodi rebus describendis et variandis ita sibi indulgentis, ut interdum moveat taedium. Describit poeta magnam sitis vim et dolores, maxime eos, qui ducto aere in palato oriantur; palatum enim prae nimia siccitate non *constrictum*, *clausum* fuit,

Digitized by Google

ut Oudend. vult, quod iam in praecedentibus dictum est, sed rimarum plenum, et *prae nimia combustione*, ut Scholion in Lips. b. habet, saucium, tam aridum et rimosum, ut ipsa suspiria, ipse aer noceret, novosque dolores pararet. Simili modo Lucan. IX, 500; Ovid. Met. VII, 554; XI, 130; Propert. IV, 9, 21; Virg. Aen. V, 199. In singulis verbis nonnulla notatu digna sunt. *Reciso*, quod Cort. vult, stare non potest, partim metri causa, ut supra vidimus, partim propter sensum, qui *rescissum* i. e. in rimas scissum, rimosum flagitat. Sic Apulei. Met. IV, p. 152 *fauces diutina fame sauciae et araneantes*, et Virg. Georg. II, 355 de terra: *hiulca siti findit canis aestifer arva*. Inde recte quoque *dura*, cuius loco alius *dira* ex solenni errore, cf. Oudend. ad VI, 672, alii *longa* ex mutatione docti alicuius habent. *Longa* autem et *ducta*, quod Burm. vult, h. l. nihil ad rem faciunt, sed *dura*, i. e. gravia, graviter toleratu, ut Ovid. Met. VII, 557 *auraeque graves captantur hiatu*. Quamquam suspiria nocent, pergit poeta, ora tamen aperiunt et aera captant; *tamen* enim pro *siti*, posito semicolo post v. *palato*, ex optimis Codd. lego, sine quo sequentia cum prioribus non cohaerent. *Siti* autem languet additum fortasse ex IX, 500; neque explicari potest, ut sit *aperiunt ora*, *sed siti*, i. e. tantum ut aer sitim magis inducat. Sequentia quoque v. *tamen* probare videntur, in quibus sine dubio *nociturumque aera* ex Bentleii et D'Orvillii coniectura scribi debet. Saepius *nocturnus* et *nociturus* confunduntur, cf. Oudend. ad VI, 689; *nocturnus aer*, licet sit frigidus et sitienti amoenus, h. l. non quadrat, ubi poeta sitim hoc ipso solatio adauctam vult. Quomodo *sitis* urgeat, in sequentibus declarat: *exspectant imbres*, quibus antea oppressi erant. Sufficit *expectare*, cuius loco Bentl. audacter *exoptant* correxit; sequentia enim *et vultus in nubibus haerent* cupiditatem et desiderium imbrium satis exprimunt. In Voss. pr. denique *Exspectantque* legitur; sed copula non opus est, modo colon post v. *haerent* ponamus, sic ut a verbo *expectant* novi aliquid in descriptione incipiat.

VI, 45 — 47

Flumina tot cursus illic exorta fatigant,
Illic mersa suos: operumque ut summa revisat,
Defessus Caesar mediis intermanet agris.

Guietus versus damnat, quia varietas lectionis interpolationem indicet; mihi sensus maxime displicet, cf. Burm. Praef. * * * * *, 4, a; sed novi Lucanum omnia exaggerantem et amplificantem. Neque variae lectiones alienam manum ostendunt; *flumina* enim et *fulmina* saepissime in libris confunduntur, cf. Burm. ad IV, 77; eodem modo *manere* et *meare*, cf. Wakef. ad Lucret. Ind. s. v. *Maneo*; nec non *iacere* et *manere*, cf. Oudend. ad IV, 511. Recte vero *intermanet*, licet sit verbum ἅπαξ λεγόμενον, quantum scio, unde ortum videtur, quod Lips. a pro var. lect. habet, *medios inter manet agros*. In reliquis *illino* pro *illic exorta* non probaverim, quum *illic exorta* et *illic mersa* ex more nostri sibi respondeant, cf. VII, 550. 551. *Mersa* denique Burmanno immerito suspectum exprimit flumina sive in alia flumina, sive, quod verisimilius videtur, quum aequor non longe absit, in mare illic exisse. Saepius ita de fluviis dicitur, cf. IV, 99; Plin. H. N. VI, 27 *in cuniculos mergitur; in Euphratem mergitur*; Ovid. Met. X, 697.

VII, 14

Olim quum iuvenis primique aetate triumphi.

Locus Guieto propter lectionis varietatem suspectus est; legitur enim *aestate* pro *aetate* in uno Bersm.; sed saepissime in libris *aestas* et *aetas* commutantur, cf. Drakenb. ad Sil. It. III, 385. Sensus autem et verba optima sunt, excepto v. *aetate*, quod pro *tempore* positum explicant; altera enim explicatio, ut sit hypallage pro *triumpho primae aetatis*, nullo modo stare potest. *Aetatem* pro *tempore* poni, recte Burm. observat; adde Stat. Theb. III, 562 *Quid* crastina *volverit* aetas, *Scire nefas homini*; sed h. l. languere videtur. Imo est Pompeii aetas, ut sensus sit, quum ea aetate fuisset, qua primum triumphum egerit, verbaque *iuvenis* et *aetate* ex aequo posita sint. Intelligit enim poeta, quem saepius innuit, cf. I, 316; VIII,

Digitized by Google

24; 810, triumphum Pompeii, ante constitutum tempus actum.

VII, 179

Defunctosque patres et cunctas sanguinis umbras
Ante oculos volitare suos.

Possit aliquis suspicari versum interpolatoris esse, quia magna sit in eo lectionum varietas; nonnulli enim, omisso verbo *cunctas*, habent *defunctosque ululare patres*; alii versu 179 *defunctos volitare*, et vs. 180 *ululare*; sed aperta est ratio ex Voss. quart. et VV. LL. Steph. Confusa sunt *ululare* et *volitare* vs. 180; prius autem supra v. *volitare* scriptum atque in priorem versum illatum, v. *cunctas* loco movit, eodem modo ut *volitare* copulam *que*, quae, quum polysyndeton h. l. sit, abesse non potest. Deinde *cunctas sanguinis umbras* pro *umbris consanguineorum* i. e. *qui erant de sua progenie et consanguinitate*, ut Scholion Lips. c habet, corrigi non debent; respondent enim prioribus, ita ut non modo patrum, sed omnium consanguineorum umbrae apparuisse dicantur. *Sanguis* autem h. l. pro *genere*, *stirpe*, ut saepissime, cf. Heins. Advers. I, 16 p. 160. *Volitare* denique proprie de umbris dicitur, cf. Oudend. ad h. l.; adde Ovid. Am. I, 6, 15; Met. XIV, 411; *ululare* de umbris aeque bonum est, cf. Ovid. Fast. II, 553; sed h. l. non quadrat, quum poeta, supra vs. 175 *nocturnis vocibus* commemoratis, nunc de visis tantum loquatur.

IX, 538 — 40

Tunc magis impactum brevibus mare, terraque saevit
Obvia consurgens: quamvis elisus ab Austro,
Saepe tamen cumulos fluctus non vincit arenae.

Guieto versus suspecti sunt, quia magna in his scripturae diversitas, cf. Heins. Advers. I, 18 p. 186, sensusque ex superioribus haustus et repetitus sit. Mihi quoque consideranti verba displicent, neque negari potest similia prioribus continere; sed poeta in tali-

Digitized by Google

bus rebus variare eandemque rem varie modo describere amat. Sensum totius loci explicat Schol. Lips. a ita: *Magis est inpactum mare, quia est brevius, et terra et* (del. *et*) *consurgens saepe est obvia ipsi mari, et quamvis multum devoret fluctus, tamen adeo creverat arena, quod non poterat superare tumulos arenae.* — Vides, Scholiastam plura aliter legisse ac nunc scripta sunt. *Impactum brevibus mare* bene Intppi receperunt, quum *impactis* indeque *impacti* propter *brevibus*; *brevius* autem et inde *brevis* propter v. *mare* orta sint; quae omnia locum a librariis intellectum non esse testantur. *Impactum brevibus mare* est impulsum, illisum, actum in vel ad vada, cf. Oudend. ad h. l.; *brevia* enim sunt loca vadosa, *brevia vada*, ut habet Senec. Agam. 572; absolute Virg. Aen. I, 111, ubi cf. Heyne; Tacit. A. I, 70; XIV, 29, ubi alii tamen *litus* non male addunt; Val. Fl. II, 615 *breves aquae*, et similiter Lucan. supra 317 *brevis unda*, quo ex loco Bentl. nimis audacter, neque satis recte *incertum brevius mare terraque laedit* (*laedat* ex errore typographi) correxit. *Saepe*, fortasse ex seq. *saepe* ortum, h. l. stare nequit, nisi quis, quod unus neque optimus Marp. habet, *consurgit* pro *consurgens* legat; sed vel sic locus propter seq. *saepe*, quod poeta, ut puto, alio modo dixisset, displicet. Neque magis probari debet Burm. coniectura *impactas brevibus*; *mare terraque saevit*, in qua v. *rates* omissum displicet. Locus sine dubio corruptus est; quare ego quoque *terra repellit*, *recussit* tentabam, ut mare accusativi loco esset; sed haec nimium a litteris recedunt, neque admodum placent. Videtur Lucanus, ut solet, exquisite h. l. locutus fuisse. *Saevit*, licet de undis furentibus aliisque similibus rebus, de terra h. l. dici non potest; quomodo enim terra vim suam exerens furorem ostenderit, nisi forte in terrae motu? sed h. l. de arenis fluctuantibus atque turgentibus sermo est. Accedit quod *saevit* in paucis neque optimis Codd. legitur pro *saepe*. Scribendum itaque existimo *sepit*, quod ex *sep*ⁿ in *sepe*, male intellectò ⁿ, et in *sevit*, commutatis *v* et *p*, transiit. *Sepire* enim optime h. l. de tumulis arenarum, mare vel vadosa loca vallantibus, dicitur, cf. Curt. VI, 5 *Iugum montium, praealtae silvae, rupesque inviae sepiunt.*

Digitized by Google

Similiter Virg. Aen. I, 112 de Euro: *In brevia et Syrtes urget, miserabile visu, Illiditque vadis, atque aggere cingit arenae.* V. *sepit* restituto bene opponuntur *impactum brevibus mare* et *terra*, quae veluti aggere mare *sepit, obvia consurgens.* Bene nunc quoque sequentia cum prioribus cohaerent, neque copula *que* opus est, quae a Lucano in singulis rebus enumerandis saepe omittitur, cf. ad IX, 716. Cohaerent autem ita: Terra in locis vadosis mare cumulis arenae ita cingit, ut fluctus, quamvis elisus sit ab Austro, cumulos superare non possit. Recte etiam *ab Austro elisus*, quod non nisi de septa unda explicari potest, quum aestus Austro contrarius sit, cf. vs. 534; *elisus* autem, non *illisus*, quod Cort. sine causa mutavit, cf. II, 437; VI, 46; VII, 476. *In Austro* denique pro *ab Austro* unus Ms. Cortii habet, ut II, 265 *quis nolet* in isto Ense *mori*, ubi alii tamen *ab* pro *in* legunt, cf. Burm. l. l. et IV, 61 *flammasque accepit* in Euro, ubi eadem varietas. Melius autem scribitur *ab Austro*, quod IV, 61 quoque legi debet, quum *mori*, *accipere*, *elidi in aliqua re* dici non possit, nisi de loco, ut aperte docet V, 629 *fluctusque in nubibus accipit imbrem.*

IX, 924

Psyllorumque ingens et rapti pugna veneni.

Versus in Cod. Bouher. et Voss. sec. non legitur, salvoque sensu abesse potest; accedit quod Voss. sec. a man. sec. *Psyllorum vires nimii* metro claudicante, et Oudend. Cod. *cura* pro *pugna* habent, ita ut versus ab interpolatore ortus et summarii loco videri possit; displicet denique v. *Psyllorum* post v. *gentis*, nec non v. *ingens*. Nihilo minus verba genuina sunt; Lucanus enim, ut saepius, verbum *miracula* in sequentibus *pugna veneni et Psyllorum* explicat; praeterea membrorum aequalitas v. *Psyllorum* post v. *gentis* repetitum flagitat, ut sit *pugna Psyllorum et rapti veneni*; *ingens* vero a nostro aliisque pro *insignis*, *eximius* saepe dicitur, cf. III, 719; VII, 679. Quod varietatem lectionis denique attinet, non facile

Digitized by Google

glossator *pugna rapti veneni* dixerit, ut v. *ostra*, vel a correctoribus, vel ex interpolatione ortum, ostendit; sed recte *pugna* de rebus inanimis, cf. II, 455 *pugnatque minacis cum terrore fides*; VIII, 464 *pugnax velum*; Ovid. Her. 19, 120; Val. Fl. VIII, 373 *pugnat hiems*. Eodem modo *vires nimii* ortum est vel ex *viri nimii* ad v. *Psyllorum*, vel, quod malim, ex *vires nimiae* ad v. *ingens*. — Excidit autem versus, quia sensus reliquorum librarium de errore non admonuisset.

Digitized by Google

PARS POSTERIOR.

DE INTERNIS INTERPOLATIONIS INDICIIS.

Ventum est ad novum indiciorum genus in rebus internis positum. Supra enim vidimus duplex indiciorum genus, vel externorum, de quibus diximus, vel internorum, de quibus nunc disputaturi sumus. Pertinent autem ad interna indicia omnia, quae non in Mss. collatione indeque comparatis subsidiis, sed in sensu tantum et verbis versuum posita sint, ita ut de his utrum poeta digna sint nec ne videamus. Qua in re, ut indicavimus, duplex quaestio exoritur, prior, ut de sensu versuum ipso quaeramus, an aptus et Lucano dignus sit, nec non de nexu eius cum aliis; altera, ut singula verba eorumque nexum cum reliquis consideremus, si quid forte in his non ex more poetae dictum sit, vel ad reliqua non quadret.

Quemadmodum autem supra demonstratum est, externa indicia ad expungendum aliquem versum sufficere non posse, nisi interna accedant, ita in his quoque negligi non debet, internas notas versum aliquem removere non posse, nisi Codices vel omittendo vel alia quacunque ratione suspicionem interpolationis augeant internaque indicia confirment. Etenim quum tota haec res in sensu cuiusque hominis posita, sensusque pulchri et recti pro humana nostra conditione non omnibus idem, sed in variis varius sit: fa-

Digitized by Google

cillimum est in hac re errare; praesertim quum non modo de eo, quid pulchrum et rectum nec ne, sed etiam quid Lucano dignum, quid cum ingenio eius moribusque conveniat, et quae eiusmodi sint, quaeri debeat. Quis autem nesciat, quam difficile sit iudicium de eo, quid genuinum in aliquo auctore, nec ne; quippe qui non solum in diversis libris, sed in uno eodemque ita scripsisse potuerit, ut singula, prouti eius aetas, ingenium et mores diversis temporibus variassent, interdum ab alio profecta videri possint. Praeterea eo cautiores esse debemus, quo difficilius est in singulis locis iudicare, et quo facilius est in Lucano errore. In plurimis enim scriptoribus, in quibus sensus pulchri et recti apparet, si non certo, magna tamen cum veri specie, duce ac teste illo recti et pulchri sensu, dici affirmarique potest, quid ab iis profectum, et quid ab aliis interpolatum atque corruptum sit. Sed in Lucano, qui temporibus vixit, quibus perversa fuit poeseos ratio, et pulchritudo in aliis rebus, quam in quibus posita est; qui iuvenis admodum, sensu recti et pulchri non ita exculto atque formato, ut in virili aetate, Pharsaliam scripsit; in Lucano, inquam, sicuti in omnibus huiusmodi poetis, difficile est loca corrupta restituere, difficilius spuria indicare certisque argumentis removere. Meminisse enim debemus, multa a Lucano perverse et inepte dicta esse, ut recte iam Burm. in Praef. ad Edit. monuit; quorum nonnulla ab ipso Burm., multo plura ab aliis, Burmanni iudicium de Lucano non secutis, vel correcta vel deleta sunt. Quis tamen merito poetam ipsum corrigat, quum nostrum sit, fucata et corrupta tantum restituere? Quis recte deleat, quae Lucano propria eiusque ingenio dignissima? Quam ob rem in hac quoque re multum cavere, atque ante omnia considerare debemus, ad expungendos versus pluribus indiciis opus esse, non modo internis, quae facilius quam alia in errorem inducere possint; sed etiam externis, ita ut utraque se invicem tueantur et confirment.

Digitized by Google

CAPUT I.

DE VERSIBUS PROPTER SENSUM EORUM SUSPECTIS.

Primum internorum indiciorum locum sensus verborum obtinet, si vel per se non aptus Lucanoque indignus est, vel si cum aliis locis comparatus non quadrat, neque cohaeret. Quod prius attinet, apertum est versum aliquem per se, si humilis atque inanis, vel otiosus et languidus, vel ineptus absurdusque est, interpolationis suspicionem movere posse. At ante omnia demonstrandum erit, versum aliquem humilem vel languidum vel ineptum esse; quod pro variis hominum ingeniis vario modo factum fuerit, ita ut facile, quod alicui ineptum, alii aptum videri possit. Quae iudicii varietas, si non omnino tolli, tamen minui potest, ubi versum aliquem, non per se consideratum, cum praecedentibus vel sequentibus, vel cum aliis auctoris locis comparamus. Saepius enim in his inest, quod vel versum ineptum esse confirmet, vel ex quo versus, licet per se humilis, loco tamen aptus demonstrari possit. Deinde videndum est, an versus inanis, otiosus et ineptus, non tam interpolatus quam potius a librariis corruptus sit; ita ut, quod optime a poeta profectum, ab his mutatum atque depravatum in se habeat notam interpolationis. Quae res vel ex Codd. apparebit, qui meliorem lectionem praebent, aut alia ratione unum alterumve verbum corruptum esse ostendunt; vel ex coniectura, qua, mutato uno alterove verbo, versum aliquem ita restituimus, ut per se non ineptus, otiosus et inanis sit, neque aliis repugnet. Denique, quod iam supra monuimus, negligi non debet, in Lucano interdum loca reperiri, quae, quamvis otiosa atque inania, ab ipso tamen poeta profecta sint, quod vel ex ingenio moribusque eius, vel ex aliis eiusmodi locis erit probandum. Vario autem modo hanc in rem ab Intpp. Lucani disputatum, nec non genuina inter suspecta et spuria relata esse, multa Pharsaliae loca docent,

Digitized by Google

quorum ea primo loco ponam, quae merito ab Editoribus deleta sint.

VI, 152

O famuli turpes, servum pecus, absque cruore.

Optimi et antiquissimi Mss. versum non agnoscunt, Voss. 1, 2. Reg. 1. Lips. a, b. Bernens., multi ap. Cortium, Burm., Heins. et. Advers. I, 14, p. 145, et Bentlei., nec non plures Edd. vett.; legitur praeterea in margine duorum ap. Burm., in margine Voss. 3 et Witt. a recent. manu, in Voss. 4, et pluribus Burm. inter lineas, et in Amstel. post vers. sequentem. Qui Codicum consensus non nihili est; tum versus a Schol. Lips. a non explicatur; denique varietas lectionis suspicionem auget; legitur enim *O socii* in Rottend. sec., *tristes* pro *turpes* in Edit. Ascensii, et *saevum pectus* sine sensu in Amstelod. At non solum externa indicia versum spurium notant, sed etiam interna. Displicet totus versus per se et coniunctus reliquis; displicent nomina probrosa Lucano omnino indigna, neque h. l. apta; cur enim, ut iam Oudend. recte monuit, *famulos*, qui potius *ignavi* dici debebant, vel sine probro *iuvenes* et *socii*, ut inf. 155; 164? Quid illa *absque cruore terga datis morti?* quae Bentlei. quoque notavit, quasi omnino fuga honesta foret. Imo ipsa singula vv. auctorem suum produnt; tautologia enim in *famuli turpes* et *servum pectus* inepta est; tum vv. *absque cruore* pro *absque pugna* vel *sine pugna* offendunt, partim propter v. *cruor* ita positum, partim propter v. *absque*, de quo Oudend. h. l. recte egit. V. *absque* enim, ortum ex *abs* et syllaba adiecta *que*, ut in *quisque*, *atque*, *neque*, cf. Priscian. 14 p. 999 Putsch., in sermone usuque vulgi tantum fuisse videtur, unde legitur in Comiciis, in Epist. familiari Cic. ad Attic. I, 16, et apud seriori temporis scriptores, discrimen in scribendo et loquendo non amplius servantes; nunquam autem in epicis poetis vel aliis praeter Comicos, nunquam in oratoribus aliisque scriptoribus, excepto uno loco Cic. de Invent. I, 56 *Est quaedam argumentatio, in qua propositio nihil valet, absque approbatione.* Quare iam hanc ob causam versum damnarim. Versus vero

Digitized by Google

in textum irrepsit vel ita, ut aliquis ad v. ves explicandi causa *o famuli turpes*, alius autem reliqua addidisset, vel, quod verisimilius videtur, interpolator, quum fere semper in talibus allocutionem observasset, Lucanum scilicet emendaturus haec adscripsit. Verum ut raro vel nunquam illi homines talia additamenta de suo promserunt, ita h. quoque l. factum videmus. Sistit enim auctor huius versus, ut iam alii animadverterunt, vestigia Lucani IX, 274 O famuli turpes, *domini post fata prioris, Itis ad haeredem*; et Horat. Ep. I, 19, 20 *O imitatores*, servum pecus.

Alius locus legitur in Lips. o post versum II, 525

Haec ait et tumidos pepulit de corde furores,
Thessalicisque suum finivit robur in armis;

quae, ut recte Burm. monuit, per se iam inepta h. l. non quadrant. Cur enim *pellere de corde furores*? imo exspectamus Domitium furorem mentis servasse; cur *finire robur suum* et *pellere furorem* coniuncta? Praeterea singula quoque verba displicent; *pellere furores* quidem, ut VII, 732; sed *de corde pellere furores* non satis recte; deinde *tumidos furores* de Domitio, libertatis defensore, Lucanus non facile dixerit, denique *finire robur suum* h. l. male dicta sunt. Orti autem sunt versus, quia interpolator haec de Domitio addenda existimasset.

Loca, quae propter sensum Editoribus vel male suspecta vel damnata defendi debeant, haec sunt:

I, 74 — 76

Antiquum repetent iterum chaos omnia; mixtis
Sidera sideribus concurrent.

Bentl. verba *omnia* — *concurrent* inepta et secum pugnantia ex Seneca hausta contendens deleta vult, argumentis tamen non satis iustis usus. Apparet enim, verbis *omnia mixtis* omissis, reliqua bona atque poetica esse, neque ab iis, quae sequuntur, neque a sensu improbari. Quis vero *sidera* et *astra* coniuncta, et tam a poetis quam ab aliis distincta non norit? cf.

Weichert Epist. in Val. Fl. p. 13 et p. 64. Clercquius quidem, de concursu siderum in fine saeculorum nihil compertum habens, pugnam tartarorum et siderum, ut puto, tunc futuram scit; sed quamdiu de hac re certi aliquid non constat, poetae fidem habebo. Negari sane non potest verba *omnia mixtis* h. l. displicere, quum praeter rem et ne recte quidem dicta sint, atque ordo verborum aliud quid indicare videatur. Quare alii quoque coniecturas tentarunt, quae vel legibus metricis repugnant, ut Rutgers. Var. Lect. I, 12, cf. Bentl. ad Lucan. Tom. I, p. 61, a; vel nimis audaces sunt, ut Bentleii *seminibus* pro *sideribus*, et Clercquii *obvia — Tartara* pro *omnia — sidera* reponentis; quarum prior praeterea displicet, quum non appareat, quid inter *sidera* et *semina* intercedat; altera, quippe quae non ex usu poetarum sit; loca enim a Clercquio allata nihil probant. Locum corruptum, quem ex tumore Lucani Weichert. de spur. p. 122 defendisse videtur, ita scribendum arbitror:

repetens iterum chaos; omnia mixta,
Sidera sideribus concurrent:

ex more Lucani, qui verbum generaliter positum per singula explicat. Coniungi autem debent *omnia mixta concurrent*, et *Sidera sideribus concurrent*, ita ut *concurrent* in prioribus ex usu satis vulgari omissum sit. Simul apparet v. *mixta*, quum verba *omnia mixta sidera* coniuncta alicui non placuissent, in *mixtis* mutatum esse, nisi librarius in fine versus, ut saepius, erraverit.

I, 164 — 166

— — — — — — Cultus gestare decoros
Vix nuribus, rapuere mares: foecunda virorum
Paupertas fugitur.

Locum Heinsio suspectum Clercquius, Burmanni verbis, quae Heinsii explicationem, non poetam taxant, male intellectis, antea deletum, postea magna cum audacia correxit. Verba integerrima sunt, modo re-

Digitized by Google

ete coniungantur, quod iam ab aliis factum est; *Mares rapuere cultus, vix nuribus decoros gestare!* Ita enim sensus et ordo verborum flagitat, neque quid in sensu spurii insit video. Poeta in describendis corrupti saeculi moribus a luxu mensarum ad cultus vestium transiens bene sequentia: *foecunda paupertas fugitur* coniungit; luxu modum excedente, frugalitate fugata et cultu indecoro mores perierunt. Explicat locum, sed non satis recte scholion Lips.: *Mares coepere quondam violentia portare cultus, quos vix deceret portare coniuges; tantum ornabant se viri, quod mulieribus ferre talem cultum dedecus erat.* — Neque quod singula attinet incommodi aliquid sentio; *gestare* enim infinitivus ab adiectivo *decoros* pendet, cf. Oudend. ad III, 596; Drakenb. ad Sil. It. XI, 444; Horat. Ed. Bentl. Ind. s. v. *Adiectiva.* *Nurus* autem, quod Oudend. recte pro iuvenis femina explicat, saepissime ita apud poetas, cf. Burm. ad Claudian. III, Honor. 156, et apud nostrum V, 507; VIII, 401 legitur; neque *rapuere* offendere debet, quod bene h. l. studium virorum in vestibus sumendis et arripiendis notat. Comparari potest cum nostro alius Ovidii locus Med. Fac. 25

Feminea vestri poliuntur lege mariti,
Et vix ad cultus nupta, quod addat, habet.

De vestibus sericis et pellucidis multa disseruit Dempst. ad Rosin. Antiq. V, 31 p. 562.

I, 346

An melius fient piratae, Magne, coloni?

Burm. versum languidum et insipidum, quem alius fortasse ab aliena manu illatum dixerit, coniectura erigendum esse contendit; sed ne hoc quidem fulcro opus est, modo recte intelligatur. Verba enim, invidiose in Pompeium dicta, milites Caesaris nullas habituros esse sedes, quum piratis iam datae sint, indicant; quare melius ad totum hunc locum interrogatio, ironiae propria, cf. V, 339, quadrat, quam Burmanni coniectura, quae ne recte quidem habet, quum *At piratae meliores erunt* vel *sunt coloni* dicendum

fuisset. Recte denique *fient* futurum, quo Caesar Pompeium, quasi nunc demum comparatis militibus Romanis cum piratis Cilicibus, an hos, sedibus concessis, meliores facturus sit, interrogat. Ita enim verba plus invidiae in Pompeium excitant, meliusque cum tota oratione conveniunt. Locum explicat Schol. Lips. c. *Piratas, quos devicit, colonos esse concessit; nonne melius nobis debes concedere?* Ceterum de colonis Cilicibus cf. II, 635; III, 228.

II, 54. 55.

Hic Dacus premat, inde Getes: occurrat Iberis
Alter, ad Eoas hic vertat signa pharetras.

Quieto versus suspecti sunt, quum neque quis alter sit, neque cur occurrat Iberis, qui in ditione Romanorum essent, intelligi possit. Versus salvo sensu abesse possunt, sed Guieti argumentis non damnantur. *Iberi* enim, licet tunc in ditione Romanorum essent, nonne desciscere et coniurare poterant? de *altero* autem postea videbimus. Bentleius quoque et Clerq., locum corruptum opinati, magna cum audacia corrigunt; sed quis poetam omnia pari modo dixisse, neque orationem variasse contenderit? Bentleii coniecturam improbat v. *premat*, cuius loco potius *occurrat* vel simile quid dicendum fuisset; sed multo magis v. *Alter*, quod inter illa *hic, ille, hic* poni non potest; deinde displicent h. l. *hic, ille, alter*, quae cum tota oratione convenire non videntur. Recte autem *alter* et *hic*, quum de Caesare et Pompeio sermo sit, ut sqq. vs. 59 *utrasque partesque ducesque*; vs. 61. *uter*; vs. 63. *neuter* docent. Quis alter sit, utrum Pompeius an Caesar, h. l. nihil interest, modo bellum civile avertatur. Neque poeta gentes speciatim enumerare denuo orditur, ut Bentl. putat; sed sicuti in superioribus gentes Romanis infestas optavit, ita hic Romanos in bellis versatos; atque respondent sibi quodammodo vs. 49 — 52, et 54. 55, ut verba *omnibus — populis* verbis *Nulla — manus*. Quare iam hanc ob rem versus non damnaverim. Poeta autem, ut saepius, orationem variat; pro eo enim, quod proprie dicere debebat, hic occurrat Dacis, ille Getis, alius Iberis, alius Medis, oratione mutata, id quod

prius est, pro eo quod sequitur ponit. Recte nunc *premat*, verbum militare, quod ita de hostibus urgentibus et instantibus legitur, cf. Virg. Aen. VIII, 474; 647; Ovid. Her. III, 88; Grat. Cyneg. 153; Lucan. I, 514; II, 652; V, 803. — Quod singula attinet, Edd. vett. *Inde* pro *Hinc* habent; sed prima syllaba v. *Dacus* semper producitur, cf. III, 95; VIII, 424, ita ut, ubi brevis videatur, cf. VII, 429, *Daha* scribi debeat, cf. Oudend. ad II, 296; Intpp. ad Val. Flacc. II, 157. Recte denique *Getes* non *Getas* accusativus a *Geta*, cf. II, 296; sed *Getes* nominativus, ut III, 95; Ovid. Pont. IV, 2, 22, et saepius Graeca forma in Nominibus propriis apud nostrum.

II, 84. 85

Si libet ulcisci deletae funera gentis,
Hunc, Cimbri, servate senem.

Guieto apostrophe ad Cimbros inepta atque suspecta videtur, argumentis tamen non satis iustis usu. Recte quidem Cimbros tunc nullos fuisse monet, ut ipsa Lucani verba *deletae funera gentis* indicant; sed nonne plures capti supererant? nonne Cimber quidam, ut ex historia constat, ad interficiendum Marium in carcerem missus fuit? Neque inepti aliquid in his video, modo verba *Fas* vs. 81 usque ad v. *senem* vs. 85 illius esse ponamus, cuius vocem Cimber audierat. Quae si cui non placeant, quum tempora et loca pauca tantum verba permisissent, is meminerit loci infra VIII, 622 sqq. Transit autem poeta, ut saepius, a singulari ad pluralem *Cimbri*, quia res ad omnes pertinet. Quare non opus est coniectura viri docti in Editione Ald. ap. Burm. *Cimber servato*, quamvis alias stare possit.

II, 211 — 13

In fluvium primi cecidere, in corpora summi.
Praecipites haesere rates, et strage cruenta
Interruptus aquae fluxit prior amnis in aequor.

Bentleius et Clercquius locum pro interpolato habent, Lucani ingenio atque loquendi usu non satis intelle-

Digitized by Google

cto. Qui, si nostrum saepius in eiusmodi rebus describendis modum excessisse, res exaggerasse et incredibilia narrasse, cf. sqq. 214 — 220, considerassent, profecto h. l., ubi res certe speciem aliquam veri habet, non haesissent. Argumenta virr. doctt. non sufficiunt; quid in vs. 211 inepti sit, non video. Recte scholion Lips. b ita explicat: *summi*, *ultimi*, *quia non poterant pervenire ad fluvium prae nimia multitudine occisorum.* Neque varia lectio suspicionem interpolationis movet, quum *fluvium* et *flumen*, ut in Lips. c legitur, saepius in Mss. confundantur, et *cadavera* sine dubio ex glossa in textum irrepserit. In seq. versu, quem Bentl. delet, verba *praecipites haesere*, vs. 216. 17 repetita, offendere non debent. Magis fortasse v. *rates* displicet, cuius loco *aquae*, *undae* vel simile quid exspectamus; sed quum *rates* in omnibus Mss. sit, neque cum alio verbo in Mss. commutari soleat, potius ex eo defendam, quod Lucanus, caesorum multitudinem cum Tyberis impetu comparatam descripturus, primum *rates* ab rapidis undis impulsas haesisse, tum amnem ipsum interruptum esse dixit. Similiter III, 575 quoque, sed maiori cum specie, puppes prae strage cadaverum non iunctas fuisse narrat. Sententiam non satis aptam esse concedo, sed Lucanus plura eiusmodi hic et aliis in locis habet. Neque verba *strage cruenta* seq. versui 215 repugnant; ibi enim cruor aquas, in mole seu strage haerentes, impulit; h. l. *strages* eorum est, qui in Tyberi cumulati sunt; v. *cruenta* autem, verbo *strage* coniunctum, caesos, corpora occisorum, ut infra IV, 570, notat. Deinde difficile dictu est, qua ex causa uterque versus vel alteruter interpolatus sit. Quod singula attinet, *pro* in uno Bersm. pro *et* ex glossa ortum est; v. *et* rates haerentes interruptumque amnem bene coniungit, neque causam, cur in *nam* mutari debeat, nisi forte, ut coniectura stare possit, video. Denique *haerere* proprie ita de navibus dicitur, cf. Lucan. II, 711; IV, 454; 507; IX, 343; Heins. Advers. III, 6, p. 446.

II, 290 — 292

— — — *Qais, quum ruat ardius aether,*

Digitized by Google

Terra labet, mixto coeuntis pondere mundi,
Compressas tenuisse manus.

Bentl. vers. 291 damnat, quum inanis eius sit sensus, et v. *mundi* ex vs. 289 repetitum displiceat. Verum, qua ratione versus in textum irrepserit, non facile dictu, neque verba interpolatorem produnt, sed poetica atque Lucano digna sunt. De repetitione eiusdem vocis in Lucano saepius diximus, quare Clercquii coniectura satis audaci non est opus. Totus autem locus, vs. 291 deleto, displiceat; cur enim *quum ruat aether?* quae in praecedentibus insunt; sed recte versu 291 servato; ita enim sibi respondent *aether ruat* et *terra labet*, in quibus noster ex more suo variat quae dixit *sidera mundumque cadentem.*

III, 160

Quo te Fabricius regi non vendidit auro.

Versum absurdum Burmannus auctoritate Rottend. sec. deleri iubet; sed apparet scribam in vv. *Quod* et *Quo* ab initio vers. 159 et 160 errasse, quaeque Burm. de hoc versu dixerit de toto loco valere. Poeta Caesaris avaritiam descripturus, omnes divitias ab antiquissimis temporibus in aerario servatas raptasque esse fingit, de re ipsa non multum sollicitus; sicuti saepius in rebus, quae speciem aliquam veri habent, historiam neglexit vel mutavit. De auro autem, quo Fabricius Romam non vendidit, loquitur, ut, comparatis avorum parsimonia et moribus cum Caesaris aviditate et regnandi studio, huic invidiam faciat, qua ex causa sequentia quoque addit; saepius vero mores priscos laudat, cf. I, 160 sqq.; X, 150 sqq.

III, 600 — 646.

Locus Guieto suspectus est; neque negari potest, res de Gyareo, de altero geminorum, et de Lycida dictu mirabiles esse, verique specie carere. Verum quum similia de Attilio quodam a scriptoribus narrentur, et Lucanus talia saepius exaggeret, ut multa eius loca probant; quum singula illa certamina ex more poetarum h. l. descripta sint, neque in singu-

lis verbis eorumque nexu aliquid insit, quod interpolatorem arguat, quis recte haec damnarit? Quod singula a Guieto in his versibus notata attinet, vs. 609 *Quorum* ex usu satis vulgari pro *Horum* positum est, quo oratio magis cohaereat, cf. II, 36; III, 730, et saepius post parenthesin; qua tamen h. l. ubi omnia apte coniuncta sunt, non opus est. *Insuper* versu 611, quod Guiet. male in *Esuper* mutatum vult, pro *desuper*, ut *super*, dictum est, cf. infra vs. 666, et quae ad h. l. laudavi. *Ictus* autem scil. *gladii* amputat manum, neque quid in hoc offendere possit video. *Tenens* vs. 613 exprimit manum in tenendo diriguisse; *tenax* autem i. e. semper vel per longum tempus arcte tenens h. l. non quadrat. *Expositus* vs. 619, verbis *non conditur ima puppe* oppositum, significat i. q. *in aperto positus*, *aperte adstans*, cf. IV, 26; V, 102. — *Emerita mors* vs. 622, quod verba attinet, optime dictum est de morte, quam virtutis illud monstrum, ut *stipendia* miles, acceptis multis vulneribus, meruerat. Quae de v. *sanguine* vs. 625 ex inferioribus, et de v. *affixit* vs. 636 ex superioribus hausto Guietus monuit, nullam habent rationem; plurima certe eadem ex causa inter spuria referri debeant, quae genuina sunt. *Strages* vs. 627 ex pugna contra Massilienses, quod monuisse sufficit. *Scinditur avulsus* vs. 638 Guieto inepta sunt, neque quod rem attinet nego, sed quae de singulis dixit, locum non habent. Corpus Lycidae enim in duas partes rapidis ferreae manus uncis rescissum fuisse, totus locus et vs. 635 ostendunt; an revera fieri potuerit, ego disquirere nolo. Lucanus ita finxit et nostro poetae fides denegari non debet, licet res hercle mira sit. *Vitalia* vs. 645 omnino sunt eae partes, in quibus vita maxime constitit, h. l. *fibrae vitales*, cf. IX, 779, ut v. *vacuos* aperte docet. *Tulerunt* denique vs. 646 est abstulerunt, rapuerunt, ut saepius de morte; *vix omnia* autem, quia in superiori corporis parte fata diu haerebant.

IV, 165. 66

Nec liceat pavidis ignava occumbere morte:
Excipiant recto fugientes pectore ferrum.

Guieto suspecta sunt, quum *fugientes pectore* ferrum

excipere non possint, neque quid *rectum pectus* sit intelligatur. Sed Scholiastes et vv. versu 163 *convertite*; 164 *inferte*; 167 *praevenit* verum huius loci sensum docent, nec non Oudend. Neque, quid praeterea offendere possit, video, nisi forte *Nec*, cuius loco Voss. pr. et Lips. c *Ne*, Oudendorpianus *Non* habent; sed magis placet *Nec*, quum h. l. polysyndeton sit, quod ultimo versu sine copula recte clauditur.

IV, 625. In praeclara illa descriptione luctae Herculis et Antaei, Guietus verba vs. 625.

Tunc obliqua percussa labare
Crura manu

provocans ad libros Mss. moremque luctatorum pro spuriis habet. In Mss. vero nihil varietatis, nisi quod *labari* in Turr. et Lips. d ex facili scribarum lapsu ortum inveni; neque, quid contra luctae morem in his sit, video. Imo optime singula luctae momenta percensentur, ita ut versu illo omisso aliquid deesse videatur; pedibus enim tantum labantibus, terga victori cedere, et corpus in altum tolli arctarique potest. *Labare* autem de pedibus non firmiter terra nixis, nec vacillantibus dicitur, cf. Virg. Aen. V, 432; Ovid. Fast. VI, 678; Lucan. VIII, 60; sicuti *percussa crura* in lucta saepius commemorantur, cf. Stat. Theb. VI, 858.

V, 450 — 55

— — — — — *Nova vota timori*
Sunt inventa novo, fluctus nimiasque precari
Ventorum vires, dum se torpentibus unda
Excutiat stagnis, et sit mare. nubila nusquam
Undarumque minae: coelo languente fretoque,
Naufragii spes omnis abit.

Guieto versus spurii videntur, ni fallor, propter sensum eorum; displicere enim potest eadem res in vv. *nubila* etc. ex superioribus repetita; deinde sententia ipsa: *nova vota timori inventa esse* et *naufragii spem abiisse*. Amat vero noster talia ὀξύμωρα, ut sexcen-

Digitized by Google

tis locis probari potest; deinde eadem repetuntur, sed cum pondere quodam, ita ut respondeant praecedentibus verbis, et Lucanus ex more suo variet. Sensum autem totius loci explicat Scholion Lips. a ita: *Et quia constringebantur, ideo illa rogabantur, quae non solent precari nautae, scilicet ut tempestas consurgat, et hoc est quod dicit: Nova vota etc. Et rogant, ut saltim sit mare, i. e. ut habeat mare naturam suam; natura maris est, ut semper moveatur. Venti et tempestas sunt spes naufragii, cum abest.* Ex quibus vides, quomodo vv. *nova vota* etc. cum prioribus cohaereant, ita ut ne sic quidem de interpolatione cogitari debeat; praeterea sequentia quoque *sed nocte fugata* meliorem nexum cum vv. *Naufragii* etc. habent. — Quod singula denique attinet, *minas* pro *nimias*, et *torrentibus* pro *torpentibus* ex solenni errore orta sunt, et *rabies* est glossa pro *vires*, ut aperte in Schol. Lips. c legitur. Vv. *sit mare* Schol. Lips. c per *discurrens* et man. al. per *turbidum*, *quia est proprium mari* explicat; notant autem mare, quod semper in motu sit, semper discurrat, nunc esse stagnum torpens. Neque acumen, quod h. l. Lucanus, ut solet, captat, deleri debet; eodem modo male aliquis seq. *Naufragii* correxerit, quum in eo nervus sententiae sit, sicuti infra quoque Caesar de suis gloriatur vs. 494 *ad Caesaris arma iuventus* Naufragio *venisse volet.*

V, 572. 73

— — — — — *Gurgite tanto*
Nec ratis Hesperias tanget, nec naufragus oras.

Guietus versum 573 insititium deleri vult, causa non addita. Neque ego aliquam divinare possum, nisi forte in sensu, qui tamen recte habet, quum oppositio inter *ratem* et *naufragos* iusta sit, et Amyclas, Caesarem a coeptis deterrere studens, *ne corpus quidem tuum oras tanget* addat, quod ex veterum moribus explicari debet. Schol. Lips. a locum ita explicat: *Et cum haec signa apparent, certum est, quod haec ratis e tanto gurgite i. ex tanta profunditate maris nec huc veniet, et quod maius est, nec corpora nostra mortua illuc pervenire.* Fortasse Gu-

Digitized by Google

iet *Hesperiam*, ut in VV. LL. Steph. est, pro *Hesperias* legit; sed hoc quoque defendi possit, licet non admodum placeat; saepius enim adiectivum et substantivum ita separantur. *Tangere* autem de navibus et hominibus, ut infra 558; VI, 352; VIII, 184; 465; 712; 825; IX, 442; cf. Savar. ad Sidon. Ep. I, 10; Burm. ad Val. Fl. VII, 85.

V, 650. 51

— — — — *Non litora curvae*
Thessaliae saxosa pavent.

Guieto verba spuria sunt, quum Thessaliae hic nullus sit locus, et *pavent* propter seq. *timent* vs. 653, ut videtur, displiceat; accedit quod Schol. Lips. a huius versus non meminit, et pro *pavent* in Bersm. uno *timent* legitur. Nihilominus versus defendi debet; *pavent* enim atque *timent* eodem modo in libris confunduntur, ut *timent* atque *metuunt*, cf. supra ad IX, 482; *pavent* et *timent* autem saepissime a Lucano, discrimine non semper observato, coniunguntur. Sic *timere* atque *pavere* I, 486; 521. 22; III, 424. 25; *metuere* et *timere* IX, 638. 40; 1085. 86; X, 443. 44. Neque Scholiastae silentium h. l. aliquid probat, quum verba explicatione non egeant. Quod v. *Thessaliae* denique attinet, recte Guiet. aliique corruptum dixerunt; Thessalia, cuius fines ab aliis et a nostro lib. VI accurate describuntur, neque Ionium mare, de quo, ut omnia h. l. docent, sermo est, attingit, neque sensu latiori accipi potest. Coniecturae VV. DD. nimis a vestigiis veteris scripturae recedunt; itaque scribe *Leucadiae*. Saepe enim ab initio versuum peccatum est, saepius in nominibus propriis. Coniecturam quodammodo probant vv. *curvae* et *saxosa* de Leucade insula, supra I, 42 *aspera* dicta. *Leucadia* ut ap. Liv. XXXIII, 17; Plin. H. N. IV, 1; Melam II, 7; sed meliora praebenti lubenter cedo.

VI, 78. 79

Classica nulla sonant, iniussaque tela vagantur,
Et fit saepe nefas, iaculum tentante lacerto.

Guieto vs. 79 suspectus est, ni fallor, propter sensum.

Digitized by Google

quem recte Schol. Lips. a ita explicat: *Et priusquam ventum ad murum, tentando si possent iaculari altra murum, saepe interficiebant civem ex ultera parte.* Fingere enim debemus milites utrarumque partium, usque ad murum progressos, tentando ibi lacertum cives occidisse; praeterea versus a praecedenti secundum membrorum structuram requiritur; verba singula autem *nefas*, *tentare* optime ex Lucani usu dicta sunt.

VI, 193 — 95

Et galeae fragmenta cavae compressa perurunt
Tempora: nec quidquam nudis vitalibus obstat
Iam, praeter stantes in summis ossibus hastas.

Guietus versus propter sensum damnat. Negari non potest, viri corpus sagittis iaculisque repletum, neque tamen transfixum inepte dictum esse; sed talia a Lucano non aliena sunt, ut certamina singularia in libro III descripta docent, nec non sequentia vs. 197 et 205. In quibus Guiet. quidem vers. 202 — 207 *iam pectora — pelagi monstris* deletos vult, sine dubio, quia sententiae ipsius repugnant; sed morem nostri in varianda et repetenda eadem re novimus. Fingit itaque poeta Scaevae pectus sagittis iaculisque opertum fuisse, neque sibi repugnat; scuto abiecto enim, cf. infra vs. 203, hoc factum est. Deinde quis non sentiat orationem post illa praeclara *Parque novum — virum* male his claudi *fortis — umbo*; exspectantur enim plura per se, multo magis ex more Lucani, ut sequentia quoque *Quid nunc* etc. demonstrant. Quare vel hanc ob rem versum 193 non deleverim, praesertim quum nihil inepti in eo deprehendi possit; cum reliquis scilicet metri causa exulare debebat. Tum Scholiasta Lips. a nihil de his versibus monet; sed reliqui, ut Oudend. Schol. et Lips. c, qui locum ita explicat: *summis, intimis; nihil removet tela a vitalibus, nisi hastae iam fixae in ossibus eius.* Denique non apparet, cur versus ex vs. 211 hausti sint, quum locus laudatus versibus 203 — 5 respondeat et quodammodo nostrum probet. Quod singula attinet, in his quoque nihil, quod non ex usu Lucani sit.

Digitized by Google

Fragmenta saepius pro *partibus interruptis*, cf. III, 686; VIII, 755; neque opus est coniectura; verbo *compressa* enim *fragmenta galeae* explicantur; *compressa* autem non *percussa*, ut v. *perurunt* docet, quod de doloribus proprie dicitur, cf. V, 811. *Suae* denique pro *cavae* glossema est; *cava galea* saepissime, cf. Val. Fl. VI, 760.

VI, 256.

Exornantque deos ac nudum pectore Martem
Armis, Scaeva, tuis.

Verba *ac nudum tuis* suspecta sunt Guieto, ni fallor, propter *Martem* post *deos*; sed recte *Mars*, deus belli, prae caeteris h. l. commemoratur, et solent ita poetae, ut singulos cum pondere quodam ex pluribus repetant. Guieti sententia praeterea infirmatur, quod, versu illo deleto, coniectura opus est, quum *Exornantque* absolute positum h. l. displiceat, et vide quam male *His ornantque* correcta sint. Deinde verba singula Lucano, acumen in his, ni fallor, captante, digna sunt; etenim *nudum pectore* h. l. dicit, comparato Marte cum Scaeva, cuius pectus telorum plenum; quod acumen, licet ineptum, tamen a nostro abhorrere non puto. *Pectore* autem, quod omnes Codd. excepto Oudend. habent, defendi debet; ablativus enim saepius in nostro poeta adiectivo coniungitur, neque contra Mss. in tali re aliquid mutandum est, cf. IV, 363 *vultu serenus*, ubi Oudend. male *vultum* ex Statio restituere vult. *Pectore* Schol. quoque Lips. a probat his: *Mars inpingitur* (leg. *depingitur*, vel ut Schol. Lips. b deleto *in*) *nudus in pectore*; * * * (supple *cuius*) *templum ornaverunt telis illius*. Alio modo rem exponit Schol. Lips. c: *Nudus pingitur Mars, quod est signum probitatis, vel nudus dicitur, quia eius templum spoliatum fuit a latronibus; in templum eius et aliorum deposita fuerunt arma Scaevi*. Sed haec inepta. *Nudo pectore* defendi possit, ut Burm. VI, 637 *traiecto vulnere corpus* voluit, quem vide; sed *nudum*, ut saepius, propter seq. *pectore* in *nudo* mutatum est.

Digitized by Google

VI, 355 — 359

Atque olim Larissa potens: ubi nobile quondam
Nunc super Argos arant: veteres ubi fabula Thebas
Monstrat Echionias: ubi quondam Pentheos exul
Colla caputque ferens supremo tradidit igni,
Questa quod hoc solum nato rapuisset Agave.

Spuria sunt Bentleio; sed quamvis locus talis sit, in quo facile aliquid additum esse possit, tamen verisimile non est Lucanum, Thessaliae reliquis oppidis commemoratis, harum non fecisse mentionem, praesertim quum in rebus geographicis fere semper sit diligentissimus. At haec ipsa fuit causa, cur versus Bentleio spurii viderentur. *Larissam Pelasgicam* tempore belli civilis vel Lucani potentem fuisse non constat; ex Horatio enim Od. I, 7, 11 nihil sequitur; et recte *olim potens*, quia sub imperio Aleuadum usque ad tempora Philippi floruit. *Argos*, Thessaliae oppidum, ab aliis quoque commemoratur, cf. Steph. Byzant. p. 158 edit. Berk. ubi Interpp.; Lucanus autem, in talibus rebus doctrinam suam ostentare amans, Argos ex multo tempore penitus deletum dicit; unde comparatio inter *quondam* et *nunc* facta est; quare non dubito, quin versus genuinus sit, et *Argos* nobile quondam fuerit Thessaliae oppidum. Eodem modo poeta in sequentibus de Thebis Echioniis et de Agave exule fabulam parum notam secutus videtur, secundum quam Echion, pater Pentheos, cf. Apollodor. III, 5, 2, Thebarum Phthioticarum conditor, atque Agave, relictis Thebis Boeoticis, exul ibi fuerit, cf. Parrhas. Epist. 62 in Grut. Lamp. T. I. p. 759. Quae res, quamquam a veteribus aliter narratur, tamen a vero abhorrere non videtur; conferri possunt, quae Hygin. Fab. 184 de Agave habet: *Errabunda in Illyriae fines devenit.* Coniuncta *olim* et *quondam* in eodem versu apud Lucanum non offendunt, cf. quae supra V, 650 de verbis *timere* et *metuere* coniunctis diximus; male itaque Heins. Advers. I, 14, p. 147 *olim*, et antea *ovium* tentavit. *Arare* autem ita dici, ut diruta aliqua urbs describatur, docet Taubm. ad Virgil. Aen. III, 11. *Colla* et *caput* saepius coniunguntur; neque stulte dictum est *hoc solum*, quum

Digitized by Google

solum h. l. indicet Agaven nihil praeter colla et caput rapuisse, ut recte Oudend. Schol. explicat. *Ferens* in plurimis et optimis, ut Graecorum φέρων dictum, exprimit *cum collo et capite*. *Parens* autem ex glossa ortum est; *pavens* nullo modo h. l. defendi potest, et *supremum ignem* denique de rogo dici probat Heins. Advers. II, 6 p. 249; adde Ovid. Am. I, 15, 41; Met. II, 620; XIII, 583.

Alius locus VII, 28 *Unde pares somnos* usque ad vers. 44 *planxere theatro* Guieto suspectus est, ni fallor, propter sensum, qui non satis aptus videtur. Attamen Lucanus in talibus sibi maxime indulget, Pompeioque multum favens hoc quoque loco quanti eum faciat ostendit. Praeterea arcte cohaerent illa *Unde pares* etc., male ab Intpp. intellecta, cum prioribus, et respondent verbis *Ne rumpite somnos* vs. 24, ut alio loco dicemus. In singulis autem nihil reperitur, quod interpolatorem indicet.

VII, 90

Sitque hominum magnae lux ista novissima parti.

Versum, qui languidus et enervis sit, Oudend. auctoritate Cod. Bouh., quocum duo Cortii (nisi inter hos Bouher.) faciunt, deletum vult; accedit Schol. Lips. a, qui nullo verbo eius meminit. Nihilo minus verba sincera sunt; ratio enim interpolationis ab Oudend. allata, ut versus ex interpretatione ortus sit, h. l. nulla est. Quis, quaeso, in his explicationem agnoscat? quam sententiarum similitudinem, nisi forte hanc, quod de *ruina populorum* in illo, de *morte multorum hominum* in hoc versu sermo sit? Quis interpretum his verbis utatur, quae ipsa quodammodo explicatione egeant? Imo Lucanus, ut saepissime, eandem rem variat; diversa enim sunt *involvere ruina populos* et *lucem esse novissimam magnae hominum parti*, quae tamen ad unum, quod in versu sequ. legitur, *quo cuncta perirent*, redeunt. Excidit autem versus in istis Codd., et fortasse in eo, quem Schol. habebat, quippe qui salvo sensu abesse possit, neque sequentia librarium de errore suo admonuissent. Singula non offendunt; repetitio eiusdem verbi enim in

Digitized by Google

nostro frequens h. l. minus displicet, quum diversa sit vocum *magnae* et *Magnum* significatio. *Hominum parti* vero non de Pompeianis, ut Schol. et Burm., explicaverim, quod hoc loco, ubi v. *populos* antecedit neque ullum huius rei vestigium apparet, fieri non potest; sed de magna populorum parte, qui in pugna Pharsalica dimicabant. Itaque coniectura viri docti non opus est, quae praeterea propter verborum positionem, nec non propter v. *hodie* displicet, quum mox sequatur *diem, quo cuncta perirent. Novissima lux* denique de ultimo die saepius dicitur, cf. Ovid. Met. I, 792 *novissima hora*; Met. IV, 156 *novissima nox*; ib. 531. Sic *supremus dies*, *summa dies*, cf. Burm. ad Propert. II, 12, 24.

VII, 860. Guietus hunc et sequentes versus usque ad finem libri septimi omnium ineptissimos atque ab interpolatore profectos esse contendit, ut videtur, propter sensum eorum. Verumtamen, ut nihil de ratione interpolandi dicam, quae h. l. nulla est, omnia Lucanum satis spirant; etenim poetae non sufficit dixisse, quae a vers. 847 — 59 leguntur; sed sententia, Thessaliam caede Romanorum commaculatam esse, proposita pergit: Deserta atque ignota iaceres, si non prima, sed sola nefas belli tulisses; quae, ex more suo vers. 860 — 65 variat. Neque reliqua Lucano indigna sunt; dictis enim illis, Thessaliam non solam nefas belli tulisse, orationem recte continuat: Cur non licet, Superi! has terras nocentes odisse? cur terras sceleri damnatas aliis sceleribus alibi patratis absolvitis, sicuti Hesperia, Pachynus, Mutina et Leucas absolverunt Philippos? Etiamsi priora, haec certe inde a versu 869 ab aliena manu non esse profecta plura docent. Dicta enim sunt ex odio illo, quo Lucanus interdum in terras invehitur, ubi vel omnino scelera facta sunt, vel ubi libertas Romanorum periit, ut supra VI, 395 seqq. in Thessaliam ipsam; VIII, 827 seqq. in Aegyptum. Deinde *Superos* in tali re passim alloquitur, cf. IV, 791; VII, 502. Denique saepius rerum post pugnam Pharsalicam gestarum meminit, cf. I, 40—45; 686 sqq.; V, 479; VII, 591; X, 66; 528. Quae Guietus de *Philippis* monet, non spurios, imo genuinos esse versus probant; *Philippi*

Digitized by Google

enim a Lucano mox pro pugna Pharsalica, ut I, 680; VI, 582; IX, 271; mox pro pugna, qua Brutus victus est, ut VII, 591, cf. Burm. ad VII, 479, ponitur; et recte *Philippos* h. l., quo nomine, ut I, 694, utramque pugnam notat. Vides igitur nexum inter haec, ita ut non facile ab alio interpolata esse possint; sed praeterea in singulis quoque verbis nihil inest, quod interpolationem arguat. Neque in libris MSS. indicium huius rei reperitur, nisi forte in Lips. d, qui vs. 866 et 867 inter vers. 868 et 869 positos habet; omnia vero docent, vulgarem ordinem non modo rectum, sed verba etiam germana esse, quum in iis sententia primaria insit, quae sequentia verbis prioribus coniungat.

VIII, 241 — 43

In dubiis tutum est inopem simulare tyranno.
Quanto igitur mundi dominis securius aevum
Verus pauper agit! demisso in litore rege.

Heinsio suspecta sunt et Burmanno monachici quid spirare videntur. Possunt salvo sensu abesse; quum tamen adsint, neque in MSS. ullum vestigium interpolationis appareat; etenim variae lectiones ex solenni errore librariorum ortae sunt: haec defendere malim, quam delere. Meminisse enim iuvat, Lucanum in talibus locis sententias communes amare, saepius in tyrannos odio incensum invehi, passimque pauperis vitam cum alia comparatam laudare, cf. I, 166; V, 527 seqq.; X, 151 sqq. Quibus consideratis apparet monachicum illud h. l. non adesse. Neque singula a Burm. allata interpolationem arguunt; recte enim *mundi dominis* respectu omnium regum atque Deiotari, qui *rex* appellatur 212; 258 et inter terrarum dominos vs. 208 refertur. Recte *verus pauper*, quia Deiotarus simulavit inopem. Denique vv. *demisso in litore rege*, quae male a Burm. intellecta cum vs. 240 convenire non videntur, Deiotarum, dimissum a Pompeio, ad litora pervenisse, in litore fuisse notant, atque bene verbis *ipse per Icariae scopulos* respondent. Praeterea Schol. Lips. a priora ita explicat: *Ideo induit se taliter, quia tyrannus in dubiis*

Digitized by Google

rebus tutum est in multum, (Lips. c *taliter ire* pro *in multum*) *et hoc est quod dicit: Quanto igitur dominus* (leg. *dominis*) *mundi* etc. Quod varias lectiones attinet, *tyrannum* pro *tyranno* vs. 241, et hinc ortum *se inopem* nullo modo defendi possunt. *Quanto* comparativo coniunctum pro *quantum* hic, II, 517 et IX, 508 plures Mss. praebent; eodem modo *tanto* VIII, 653; sed II, 225 in v. *multo* res incerta est. Vide de usu vv. *tantum* et *quantum* pro *tanto* et *quanto* Burm. ad Ovid. Her. 18, 71; ad Claudian. I Stilich. I, 378; et de v. *multum* Vorst. ad Sulp. Sev. I, 7, p. 23. *Demisso* denique, quod in pluribus neque pravis Codd. legitur, ab hoc loco alienum est.

Verba *Primi Pellaeas* VIII, 298 usque ad vv. *sedibus ortus* 310 ab interpolatore addita esse, Guietus contendit; at errat, haud considerans in hic Parthorum laudem contineri, nec non id quo Pompeius confisus ad Parthos eundum esse demonstret. Respondent autem iis Lentuli verba inde a vs. 365 — 390, quibus Parthorum virtutem, Pompeio laudatam, in vitium vertit. Neque quae de telis venenatis vs. 304 dicta sunt, rei adversantur; sed nexum cum prioribus efficiunt fiduciamque Pompeii probant; quare a Lentulo vs. 388 persringuntur. Guietus vero hunc quoque versum et vide quam temere delevit, qui optime Lentuli sententiam de Parthis ostendens multum ad orationem eius facit. Error Guieti ex versu 297 male intellecto, ut alio loco videbimus, natus est.

IX, 490 — 492.

Saxa tulit penitus discussis proruta muris,
Effuditque procul miranda sorte malorum:
Qui nullas videre domos, videre ruinas.

Versus, quos Bentl., pluribus causis allatis, pro spuriis habet, defendo. Subiectum ad v. *tulit* sine dubio est *Auster*, de quo h. l. sermo est, ut vs. 486; neque obficit quod plura interposita sunt, cf. quae dixi supra ad VII, 154. Deinde quis poetae et maxime nostro, quod domos in illa regione attinet, fidem non habeat, quarum supra quoque vs. 459 meminit? De-

nique cur de arena tantum sermo sit, neque de saxis, non intelligo; primum miles nisu iacuit, vix immobilis Austro; tum Auster ingentes arenae cumulos involvit; denique saxa tulit atque effudit; videsquomodo omnia cohaereant et gradatio insit. Neque meliorem nexum inter *arenam* et *iter omne latet* video, quam inter arenarum cumulos, saxis procul effusis coniunctos, et sequentia *iter omne latet*. Nihil de ratione interpolationis h. l., neque de Mss. dicam; sed de variis lectionibus ex solenni errore scribarum ortis. Vers. 490 sine dubio *discussis* ex optimis nec non pluribus Mss. scribendum est, i. e. huc illuc in diversas partes dissipatis, ut supra vs. 459, quocum bene seq. *Effudit* convenit. *Miseranda* autem h. l. parum vel nihil ad rem fecit; verum *miranda*, respectu Austri, cuius vim mirati sunt, qui non domos, sed ruinas earum viderunt. Quod formam accusativi *domus* denique attinet, cf. Oudend. ad VI, 28; at neque hic neque in locis allatis certa est scriptura.

IX, 542

Procul axis uterque est

Guietus male inter spuria refert; dubitat enim de v. *procul* an sit, *aequo spatio, aequo discrimine distans*; quod nullo modo in verbo inest. Verba *procul axis uterque est* explicant, cur *nullum sidus immune mari* sit; et *procul* dictum est respectu v. *vertice*, ita ut notet locum ab utroque polo distare, atque in medio orbe esse. Hoc sequentia accuratius exponunt, unde Scholion Lips. c: *quia es quasi in medio mundi*. Neque quid in his inepte Lucanoque indigne dictum sit, video.

IX, 632

Feminea qui etc.

Locum, utpote ineptum et Lucano docto atque ingenioso poeta indignum, Guietus damnat. Inepta esse verba *Vipereum — venenum* concedo; sed cur haec et reliqua Lucano indigna sint, non intelligo, neque quid doctus poeta h. l. sibi velit. Imo noster, quod

saepius monui, in eiusmodi rebus describendis atque exaggerandis ita sibi indulget, ut interdum modum excedat. Praeterea nostrum defendit alius locus, qui infra 672 legitur, ita ut poeta ad hunc respexisse videatur.

Diximus de versibus, in quibus sensus per se suspicionem interpolationis moveret; nunc de iis, in quibus verba, cum aliis comparata, spuria videri possint. Apparet autem versum aliquem, qui cum alio non congruat, vel cum praecedentibus non cohaereat, merito suspectum fieri posse; nemo enim sani atque recti iudicii verba sibi repugnantia dicet, vel sine vinculo aliquo coniunget. At, quod prius attinet, videndum est, an versus aliquis revera alii adversetur; saepius enim quae interpretibus, uno vel altero loco male intellecto, repugnare videntur, optime consentiunt. Deinde non est negligendum, quod maxime de locis communibus valet, sententias interdum sibi adversari, quae nihilo minus genuinae sint. Constat enim Lucanum pro diversis hominum, quos describit, moribus, partim in narratione, partim in orationibus diversas sententias proposuisse, ita ut, quae ex accurata morum descriptione nata sint, nostro imputari non debeant, multo minus deleri. Nunquam autem, quantum scio, in rebus historicis sibi adversatur, quod ab aliis factum esse ostendit Weichert. de spur. vers. p. 145. Denique tenendum est, interdum loca sibi repugnare, quia corrupta et a librariis commaculata sint.

Eadem de altero quoque, quod diximus, de nexu versuum valent; saepe enim ab Intpp. non est intellectus; saepius negligentia librariorum, qui unum vel alterum vocabulum mutabant, intercidit. Praeterea noster singularem loquendi rationem hanc habet, ut interdum nexum sententiarum apertis verbis non indicet, sed id quod nectat, et in animo eius fuerit, omittat. Quae quidem loca, plerumque animi commotioris, non admodum multa sunt, neque tamen inter spuria referri atque damnari debent.

Loca, quorum verba aliis adversantur, vel ubi omnis nexus cum praecedentibus et sequentibus deest, et quae

Digitized by Google

merito ab Editoribus inter spuria relata sunt, haec reperi. Post VII, 302 Hamb. sec. et Langerm. a man. sec. haec addunt:

Ne vos Hispani mitis victoria Martis
Securos habeat, dedimus quod rura, quod urbes,
Et quidquid nobis post Gallica bella negatum.

Versus h. l. non quadrant, neque apti sunt; Caesar enim praemia pollicitus, recte ad poenam transit, quae milites victos secutura sit; cui rei vers. 303 servit *aut merces, aut poena paratur.* Illa autem interpolata nullum habent nexum, neque cum prioribus, neque cum sequentibus; praeterea displicent propter sensum obscuriorem, omisso verb. *hostibus* ad verb. *dedimus,* maxime propter vs. *Et quidquid,* et propter singula verba. Orti sunt versus, quum interpolator, monente v. *poena,* quod in proximo versu sequitur, aliquid h. l. deesse existimasset, et hausti sunt ex IV, 364; 384, ubi Caesar Pompeianis poenas remisisse eosque in urbes sparsisse dicitur.

X, 8

Ne populus post te Nilum Romanus haberet.

Versus merito ab Intpp. damnatur; etenim quoquo te verteris sive Ascensii et Sulpitii sententiam secutus, ubi neque sensus, quem isti volunt, neque nexus in verbis inest; sive cum Omnib., Cort., Bentl. et Dorv. *amaret* legens, quod Reg. pr., Voss. sext. et Lips. o habent, versus languidus erit atque ineptus. Quid illa h. l. *rapuere manes, ne populus Nilum haberet?* imo putaverim, ut Aegyptus in potestatem populi Romani veniret. Quid *Ne — amaret?* an Caesare ab Aegyptiis occiso Romani Nilum amaverint? Haec inepta neque Lucano digna sunt; praeterea *amaret* aperte ex coniectura ortum est. Locum sine dubio corruptum et interpolatum ostendunt plurimi atque optimi Mss. Cortii, Oudend., Burm., in quibus versus deest; alii, quorum in margine legitur; alii, in quibus versum 6 sequitur; probat silentium Scholiastae Oudend. et Lips. a, nec non fortasse scholion

Digitized by Google

Lips. c corruptum: *iste versus it* (leg. *et*) *silentio p̄ . . .* (fort. *praeteritur.*); indicant denique variae lectiones: *Nec, quisquam, habebit, habebat;* et verba in Lips. b: *Nec populum post te Romanum Nilus habebit.* Praeterea ratio interpolandi apparet; ortus enim est versus ex interpretatione vv. *regnum—iret* in margine ita scripta: *Num* vel *populusne postea Nilum Romanus haberet;* vel, quod malim, ex his: *Ut populus postea Nilum Romanus haberet*, unde in Voss. sext. *ut* pro *ne* legitur. Denique salvo sensu abesse potest. Attamen si hunc versum, non eodem iure septem priores delebimus, quod Guietus fecisse videtur, qui, versu nono et sqq. cum fine noni libri coniunctis, initium decimi libri versu 1000 ponit. Praeterquam enim quod initium novi libri ita minime iustum foret; nam nullus Lucani liber in vv. *Sic fatus* incipit, licet in Virgilio ita sit; obstant quoque versus ipsi, qui aperte a versu 950 usque ad finem libri totum aliquid efficiunt. Recte autem novus liber ab adventu Caesaris in Aegypto incipit, sicuti liber quartus ab adventu Caesaris in Hispania; cf. initium libri V. Denique causa, quae Guietum, ut aliud initium statueret, movisse videtur, nulla est; etenim ne unum quidem adest interpolationis indicium, sed sensus verborum Lucano dignus, qui Aegyptum odit vs. 2. 3; sententias de Fortuna similes pluribus in locis habet, et talia, ut de Pompeio vs. 6, amat. Neque singula verba interpolationem arguunt. *Rapuere a sanguine* dictum est, ut I, 549; VII, 746; IX, 459, pro *abripuere, abstulere.*

At sunt alia et plura loca, quae male ab Editoribus intellecta, atque inter spuria, quia nexu carere vel aliis adversari viderentur, relata, rectius explicari defendique debent; quae quidem haec sunt:

I, 63 — 66

Sed mihi iam numen: nec si te pectore vates
Accipiam, Cirrhaea velim secreta moventem
Sollicitare deum, Bacchumque avertere Nysa.
Tu satis ad dandas Romana in carmina vires.

Digitized by Google

Verba aliis locis, ubi Lucanus in Neronem invehitur, repugnare videntur et suspecta sunt, quum non facile is, qui Neroni in re poetica cedere nolebat, eum numinis instar ad vires in Romana carmina dandas invocaverit. Etiamsi non alia loca, hic unus satis probet, flagrans Lucani odium in Neronem seriori tempore, quam Pharsalia scribi coepta sit, natum esse, mutatisque poetae studiis colorem quoque Pharsaliae in hac re mutatum esse. Fuerunt quidem, qui prooemium totum ironice dictum explicarent; sed omnia docent, Lucanum revera Neroni, cuius amicitia, ut notum est, fortasse tunc utebatur, adulatum esse, sicuti a Virgilio aliisque Romanorum poetis cum aliis ex pravo et perverso more factum esse constat; ut nihil dicam, quam ineptum, incommodum, atque ab epici carminis ratione longe abhorrens eiusmodi prooemium fuerit. Si quid hac in re divinare licet, fortasse ad hunc locum verba pertinent in vita Lucani, vulgo Suetonio adscripta: *codicillos ad patrem corrigendis quibusdam versibus suis exaravit.* Ex quibus olim colligere mihi visus sum, septem priores libri primi versus a Lucano ad patrem missos esse, ut novum prooemium essent loco eius, quod a vers. 8 — 66 legitur; sed licet vs. 7 et 67 optime cohaereant, plura tamen sunt, quae opponi possunt, ut supra ostendi. Nihilominus non possum non sententiam de alio prooemio quod Lucanus elaboraverit tueri. Quid enim, quaeso, Lucano, mortis hora iam admota, cum versibus aliis expolendis meliusque constituendis? Imo tunc, ut nunquam, odio in Neronem flagrabat, neque, prooemii recordatus, hoc sui dedecus in Pharsalia amplius passus est. Misit igitur patri aliud prooemium, in quo Neronis vel nullam fecerat mentionem, vel ita ut odium suum in illum probarit. Verum haec ipsa fuit fortasse causa, cur pater prooemium novum loco eius, quod nunc habemus, substituere noluerit, vel quia initium Pharsaliae iam vulgatum atque notum. Ita exordium alterum intercidit. Quam ob rem male Guietus versus 63 — 66 ab interpolatore profectos esse contendit, qui non modo cum praecedentibus, sed etiam cum sequentibus aptissime cohaerent, invocationemque numinis continent, ex more epicorum poetarum, licet, ut plura, singulari modo a Lucano factam.

Digitized by Google

I, 227

Credidimus fatis: utendum est iudice bello.

Clercquius versum male pro spurio habet; passim enim Fortuna, fata et dii a Lucano coniunguntur, cf. I, 310; VII, 544; 47; VIII, 21; 25; 701; ita ut *Fortuna* fata quasi ministrare, et quod a diis, ab aeterna rerum serie fixum sit peragere videatur. Recte itaque Caesar *Fortunam* sequitur, quae fata perfert, unde *fata Caesaris* IV, 143; 392; IX, 558. — Neque reliqua interpolationem arguunt; saepius enim transitus fit a singulari ad pluralem, ut h. l. cf. I, 310; 550. 51; 632. 34; 687. 690; II, 286. 88; 303. 5; 512. 14; III, 365; VII, 255; et pluralis maxime Caesarem decet, sicuti totius versus sententia. Verbum *credidimus* Caesaris fiduciam, quae militibus probari debebat, notat. Quare Burm. coniectura *cedimus en* defendi non potest, partim propter particulam *en*, quae nullam h. l. vim habet, partim propter v. *cedimus*, quum omnino *cedere fatis* maximeque h. l. non sit Caesaris, qui potius confisus iis bellum incipit. Displicet quoque Heinsii *credimus*; praeteritum enim h. l. suam vim habet. Neque quid in sequentibus verbis humilis, abiecti et plebeii sit video; imo optime ex Caesaris moribus dicta sunt, qui VII, 259 sq. quoque bello iudice usus, cf. supra vs. 127 sq., apud milites talia loqui debet. Parvi autem vel nullius momenti in nostro esse καινοφωνίας vv. *fatis* et *fatus* supra ad II, 144 demonstravimus. Neque variae denique lectiones h. l. interpolationis indicium praebent, quum *iudice* et *vindice*, nec non *bello* et *ferro* saepius in libris confunduntur, cf. de hoc Burm. ad VII, 545; 549; de illo Oudend. ad IX, 971; X, 368. Locum explicat Schol. Lips. b: *fatis: i. e. diis disponentibus fata, vel fatis i. dictis ac promissis Pompeii, quibus sese amicum et fidelem mihi ostendebat;* sed prior explicatio sine dubio vera est.

I, 665

Ensiferi nimium fulget latus Orionis.

Damnat Guietus versum, ni fallor, propter verba

Digitized by Google

solus Mars coelum habet et interposita *cur — feruntur*, quibus adversari videtur. At etiamsi Mars solus habeat coelum, nihilominus latus Orionis ensiferi in parte inferiori fulgere potest, unde Schol. Lips. b: *Bene in tempore belli apparebat Mars, et illud latus Orionis, quod gladium gestabat.* Neque nexus cum praecedenti versu suspicionem interpolationis movet, quum non *cur*, sed *et* omissum sit, quod facile addere possis *Ensiferi et*, nisi saepius in nostro deesset, cf. quae collegimus ad IX, 716. Quare recte Cort. signum interrogationis, commate post v. *feruntur* posito, in fine versus scripsit; minus bene verborum positionem *nimium fulget* invitis Mss. mutavit. *Nimium* enim h. l. vim habet, et verbo *fulget* coniungi debet. De *Orione ensifero* autem cf. Heins. Advers. II, 2, p. 210; Taubm. ad Virg. Aen. III, 517; Schott. Nod. Cicer. IV, 5, p. 372.

II, 690

Neu tuba praemonitos perducat ad aequora nautas.

Versum inter spurios numerat Bentlei., verbis prioribus *ne — exagitet* male intellectis, in quibus nihil de *relicto oppido*, sed tantum ne clamor nautarum (cf. vs. 695 — 98) eos, qui in litore sint, excitet. Quod non tam de Pompeianis, quam de Caesarianis intelligo, qui litora portus Brundusini occupaverant, cf. vs. 661; 677; 680; 81. Coniuncta autem sunt *clamor*, *buccina*, *tuba*, sicuti similia VII, 475 — 480, ex more Lucani. Quod singula attinet, *neu* sine dubio recte habet; *permonitos* auctoritate aliorum destitutum est, sed bene *praemonitos*, quod res docet. *Perducat* denique in pluribus et melioribus libris legitur.

III, 190

Colchis et Adriacas spumans Absyrtos in undas.

Versum pro spurio habet Bentleius, quum *Absyrtos* insula inter populos *Enchelias*, Plin. H. N. III, 21; Mel. II, 3 et *Penei rura colentes* displiceat. Saepius noster in hac re variat, cf. 176 *Pisaeae manus*

Digitized by Google

et *Alpheos;* 214 *Syriae populi* et *desertus Orontes;* 270. 271 *Sarmata* et *Phasis;* I, 405 *Varus* et *portus Herculeus;* 434. 32 *Batavi* et *Cinga. Absyrtum* autem Schol. Lips. c fluvium dicit: *Absyrtus fuit frater Medeae, quem Medeae, interfecit, cuius sanguis mutatus est in Absyrtum fluvium, et spumeus illic est, ubi Adria est, ideo Adriacas.* Eodem modo Schol. Lips. b, et alii, cf. Oudend. ad h. l., neque male, ut voces *in undas* docent, nec non poeta ipse rariora in rebus geographicis captare solitus, ut supra VI, 556 vidimus. Aliis *Absyrtides* insulae sunt, Plin. H. N. III, 26; Strab. VII, p. 218, al. p. 484; Steph. Byzant. p. 204. Utut sit, spumare de *insula* et de *fluvio* dicitur, cf. Oudend. ad h. l.; adde Quintil. Decl. 9, 5 *spumantes scopuli. Colchis* denique sine dubio verbo *Absyrtos* coniungendum est.

V, 494 — 97

Iam voce doloris
Utendum est; non ex aequo divisimus orbem.
Epirum Caesarque tenet, totusque senatus:
Ausoniam tu solus habes.

Ab alia manu addita videntur Guieto, ni fallor, propter sententiam in fine orationis positam, quae melius abesset, praesertim quum non satis apte prioribus coniuncta sit. Verba per se non habent, cur displiceant, imo cum Caesaris moribus, ex Lucani sententia, optime conveniunt; deinde in singulis nihil, quod interpolatorem sapiat. Bene quoque cum prioribus cohaerent, modo recte intelligantur; etenim *iam*, ut verborum ordo indicat, pro *nunc* positum est. Nunc, inquit, conquerendum mihi est, quod non ex aequo orbem divisimus; nunc demum damna sentio, quod ego Epiron tantum, tu totam Italiam habes; nam si ex aequo orbis divisus esset, nunc, adventum tuum non exspectans, solus bellare contra Pompeium pergerem. Ita Schol. Lips. c quoque: *Iam conqueror, quia Epirus tenet Caesarem et Pompeium et totum senatum, tu solus tenes Hesperiam.* Vides igitur nexum inter haec, vides orationem, Antonio cunctante, et querelis de hac re effusis, recte

Digitized by Google

in hanc sententiam exire. Poeta autem, ut solet in eiusmodi orationibus, verba quae necterent non expressit. Quae quum ita sint, coniectura non opus est, neque in sequentibus *Epirumque t. C.* pro *Ep. Caesarque t.*; etenim copula inter singula membra h. l. melius abest, ut ex tota oratione apparet; deinde similia a nostro per *que — que* coniungi solent. cf. I, 201; 479; 562; II, 306; 377; 511; 520. Quod formam *Epiron* denique attinet, illata est h. l. et supra vs. 9 a Cortio invitis Codd., qui soli in hac re auctoritatem habent. Lucanus enim in formis *os* et *us* non modo in diversis nominibus propriis, sed interdum etiam in eodem fluctuat, hac vel illa usus, prouti metri ratio vel aures eum monebant; qualis tamen ratio h. l. non adest.

VI, 109. 10

Nondum surgentibus altam
In segetem culmis.

Verba suspecta sunt Guieto, ni fallor, propter praecedentia, quibus adversari videantur; cur enim *surgentibus culmis*, quum vs. 85 iam *advectos culmos* et vers. 105 *plenas peregrina messe carinas* dixisset? At illi culmi erant advecti, *novisque herbis* vers. 106 opponuntur; *messe* autem non primario significatu, sed pro frumento cuiusque generis positum est, unde male Bentl. *merce* correxit. Accedit quod Caesar ipse, postquam B. C. III, 47 de inopia narraverat, c. 49 *maturescere frumenta incipere* dicit. Rectius vero scribes *surgentibus*, quod optimi Codd. et Edd. vett. habent, verbisque *altam in segetem* probatur; unde Schol. Lips. b: *nondum erat messis;* de frumento enim maturescente, non germinante sermo est. *Turgere* et *surgere* saepius confunduntur, cf. Wakef. ad Lucret. IV, 1077; *turgere* de herbis dicitur, cf. VI, 455, neque tamen ut h. l.; alia res est in Claud. Rapt. Pros. II, 90, ubi *humus in herbas turget*. Saepissime denique *surgere* de herbis, cf. Oudend. ad h. l.; adde VII, 865; Horat. Sat. II, 2, 124; Ovid. Met. VII, 284; VIII, 192; Colum. VI, 23 *Fruticem surrecturum in altitudinem compescere;* ex quibus ap-

Digitized by Google

paret Cortium praeter necessitatem et audacter *durantibus* reposuisse.

VI, 535 — 37

Fumantes iuvenum cineres ardentiaque ossa
E mediis rapit illa rogis, ipsamque parentes
Quam tenuere facem: nigroque volantia fumo
Feralis fragmenta tori, vestesque fluentes
Colligit in cineres, et olentes membra favillas.

Suspecta sunt Guieto fortasse propter nexum sententiarum, qui inter vers. 532 et 533 nullus, inter vers. 532 et 538 optimus videtur. Quum tamen poeta varia Thessalidos munera h. l. percenseat, alius nexus fieri non potest, nisi is qui in eiusmodi rebus enumerandis adesse solet. Deinde sequentia his opposita sunt, ut bene Schol. Lips. b: *Sic de combustis, sed de sepultis aliud* docet, et particula *Ast* indicat. Tum non appareat, quid interpolatorem hos versus addere moverit, quum ne de amplificatione quidem cogitare possis. Denique in singulis nihil reperitur, quod Lucano indignum sit, modo recte constituantur. *E mediis* non *A* scribendum est, quod rei magis accommodatum saepiusque verbo *rapere* coniungitur, cf. VI, 553; VII, 741. *Illa* vs. 534 autem, non *ipsa*; *illa* enim, ut supra 510; 524; 562; 65. *Volantia*, quod plurimi et optimi Codd. habent, bene defendit Burm., praesertim quum *que* nullo modo h. l. abesse possit; respondet verbo *fluentes*, ita ut alterum alterum tueatur. *Fluere* enim et *volare* particulae illae et frusta dicuntur, quae, *accenso rogo*, (unde in Lips. a ex glossa var. lect. *ardentis* nata est) in aere feruntur; sic *fluere* i. q. *dilabi*, *dissipari* IV, 84; IX, 770. *Vestes* autem latiori significatione intellige de omnibus iis, quae ex lino et eiusmodi rebus facta rogo imponebantur; unde recte pluralis. *Torus feralis* non est *rogus*, ut Oudend. putat, sed feretrum, lectus funeris, qui in rogo erat, cf. VIII, 736 *funeris arca*, et 757 *strues*. Quare non opus est coniectura Heinsii. *Colligit in cineres* dictum est ut V, 722 *collatis in robur armis*; X, 309 *collectus in unum amnem*; quod a librariis non intellectum male

Digitized by Google

in *et* mutatum est. *Olentes membra favillas* denique, ut VIII, 751 *Ut ferat e membris Eoos fumus odores.* Schol. Lips. c: *adhuc odorem mortui testantes.*

VI, 660. 61

Iam nova, iam vera reddetur vita figura,
Ut quamvis pavidi possint audire loquentem.

Versum 661 deletum vult Heins., nimirum propter nexum cum praecedentibus. Verba genuina sunt, modo, perversa interpunctione mutata, comma post v. *figura* ponamus, quod Schol. Lips. a quoque indicat his verbis: *Talis reddetur, ut possint audire loquentem, quamvis pavidi, i. quantumcunque sint timidi.* Tota autem sententia optime ex moribus magarum taliumque hominum dicta est, qui multa gloriantes et iactitantes, mentes spectatorum obcaecant. Recte denique v. *possint;* transit enim maga ex allocutione in sententiam generalem, ut solent illi homines, ubi rem aliquam proponunt, cf. supra vs. 607 — 610; 615 — 618.

VI, 810. 11

Quem tumulum Nili, quem Tybridis adluat unda,
Quaeritur, et ducibus tantum de funere pugna est.

Haec, nec non sequentia Guietus propter verba *properate mori*, quibus adversari videantur, inter spuria refert; sed vide quam parum recte. Iubet vates Sextum mortem properare, futura autem reticet; neque, quid in his contrarium sit, intelligo. Tum vs. 827 Erichtho comes tantum Sexto viam praeit, et nimirum ad busta sua redit. Sin haec, quia e superioribus intelligi possint, delenda essent, tum multa profecto in Lucano aliisque poetis. Denique liber in vv. *calcate deorum* exiens, mancus et imperfectus sit; desiderantur enim quae cum Sexto et iuvene vate facta sint, quae noster ex more suo non facile praeterisset. Attamen ut redeam ad priores versus, ne hi quidem apertam interpolationis notam habent, sed

Digitized by Google

arcte cum praecedentibus cohaerent. Illa enim *nec gloria parvae vitae sollicitet et properate mori* probare studens vates, addit: Cur vivere? cur dimicare? res parvi momenti est, de qua pugnabitis, de sepulchro vel in Aegypto vel Romae erigendo. Ita Schol. Lips. a quoque his verbis: *Ideo hoc dico, quia videmini solummodo conqueri de sepultura, scilicet quod Pompeius tam misere sepelietur iuxta Nilum, et Caesar tam potenter iuxta undam Tiberis, et hoc aequipollenter Quem tumulum* etc. — Neque in singulis verbis est, quod interpolatorem indicet. Recte enim *Nili* verbo *unda* ex more nostri coniunctum, cf. VIII, 388; licet *Nilus* Guieti non displiceat. *Tumulus* et *abluat* autem aperte vitiosa sunt, cf. Oudend. ad h. l.

VII, 301 *Quone poli motu* usque ad vers. 510 *respexerit hoste* ab interpolatore addita videntur Guieto, fortasse propter sensum verborum et nexum cum reliquis. Displicere enim possunt verba *Caesareas — campi*; sed in tali oratione Caesar recte de se loquitur, ut infra 376 sq. Pompeius; et sicuti aliis in locis, cf. I, 340 et VII, 264, suam causam posthabet, ita hic quoque bene in verba *Vestri cura movet* transit. Eodem modo vs. 307 cum I, 326; 330; 335 comparari potest; nec non vers. 309 et 310 cum Caesaris moribus a Lucano descriptis. Versus 304 — 6 autem Lucanum exaggerantem pluribusque verbis eandem sententiam variantem ostendunt, et duplex interrogatio vs. 301 locum ex loquendi usu potius defendit; cf. Oudend. ad h. l.; adde Horat. Serm. II, 2, 107; Catull. 64, 180. Neque in reliquis quae Lucano indigna sint video. Quod nexum denique attinet, optime Caesar ex sententia *vidi nunquam tam magna daturos superos* in illa: *tantum permittitis orae* transit; eodem modo ut ex vss. 304 — 7 in vers. 311 sqq. Crudelitate enim Pompeii notata: *Dii! vincat*, inquit, qui necesse non putat in victos ferrum stringere; quae, versibus 301 — 10 deletis, cum prioribus minus bene cohaereant.

VII, 478. 79

Digitized by Google

Extremique fragor convexa irrupit Olympi:
Unde procul nubes, quo nulla tonitrua durant.

Oudend. versum 479 non desideraret, si abesset; sed neque apparet ratio interpolandi h. l., neque verborum nexus turbatur, modo recte constituantur. Addit enim haec Lucanus ex magniloquentia sua, ut clamorem pugnae eiusque magnitudinem describat. Tantus, inquit, fuit fragor, ut ipsa in loca penetraret, in quibus nulla vox antea audita; tendit ad summa Olympi cacumina, quo nulla tonitrua pervenerunt; tendit ad Aemum etc. Vides haec ad descriptionem rei multum facere et cum sequentibus cohaerere; sed singula verba depravata sunt, ut v. *quo* indicat i. e. *quem ad locum*, non *quo loco*, cf. supra ad X, 312; unde Cort. *qua*. Ego v. *durant* potius corruptum puto, cuius loco *ruunt*, *penetrant* vel simile quid exspectatur, quum *durare* de tonitru h. l. languidum, neque ex more nostri videatur. Verbum genuinum, quod, invita diva Critica, invenire non poteram, aliis animo lubenti relinquam.

Verba VII, 678 *Non tergo tela* etc. usque ad verba *felix se nescit amari* vs. 727 Guietus pro spuriis habet, quia initio libri sequentis repugnent. Hic enim Pompeius non pavens, malis non fractus, maiestate verendus describitur; ibi *fragorem nemorum et comitum post terga pavet.* Sin Lucanum eiusque studium Pompeii praedicandi recte intellexi, et de utroque loco quaestio esset, uter Lucani esset, sine dubio non hunc, sed alterum, qui ab initio libri sequentis legitur, spurium dicerem. At uterque locus genuinus est, ut omnia, sensus et verba docent, neque revera alter alteri adversatur. Qui enim hic securus sui impavidusque ex pugna aufugit, is postea, minus attonitus, ubi amor vitae et spes renovandarum rerum rediit, recte pavisse atque trepidasse dici potest; tanto magis *si scit nondum vile sui sanguinis pretium esse*, Lucan. VIII, 9.

IX, 727 — 31

Vos quoque, qui cunctis innoxia nomina terris

Digitized by Google

Serpitis, aurato nitidi fulgore dracones
Pestiferos ardens facit Africa; ducitis altum
Aera cum pennis, armentaque tota secuti
Rumpitis ingentes amplexi verbere tauros.

Versus 729 et 30 spurii sunt Guieto propter male intellectum v. *pestiferos*, quod pro *veneno repletos* positum rei, cf. Plin. H. N. 29, 4, et versui 733 repugnat. Possis cum Guieto suspicari, vers. 733 interpolatum esse, cf. supra; sed *pestiferi* sunt dracones, id est *perniciosi*, *noxii*, nempe viribus, magnitudine sua. Praeterea versus defenduntur verbis *qui — serpitis*, quibus oppositi sunt. Quod singula attinet, plures et meliores Codd. habent *letiferos*, quod magis poeticum per *pestiferos* explicatum videtur. In seqq. *ducitis* recte Burm. ex usu loquendi interpretatur, ut *spiritum*, *aquam ducere* et similia, cf. Burm. ad I, 416; Oudend. ad IV, 199 (ubi corrige Heins. ad Ovid. Met. XII, 316.) et Burm. ad Val. Flacc. IV, 536. Vulgata explicatio ad descriptionem draconum parum vel nihil facit, neque *aera ducere*, ut sit *agere*, *impellere aera* pro *volare*, memini legisse. *Cum* denique sine dubio praepositio est, ut verborum positio indicat.

XI, 21 — 24

Felix praedo iacet, terrarum vindice fato
Raptus: sacratis totum spargenda per orbem
Membra viri posuere adytis: Fortuna pepercit
Manibus, et regni duravit ad ultima fatum.

Locum Guieto male suspectum, propter verba *vindice fato*, sequentibus *fortuna pepercit* repugnare visa, Burm. bene defendit, cf. quae supra ad I, 227 dixi. *Spargenda* etc. cur ex inferioribus *Nam sibi libertas* etc. hausta, non video. Recte deinde *sacrata adyta* dicit autrum in usum tumulorum effossum, quia ex more Aegyptiorum nemo sepulchra regum aliorumque adire debebat, cf. VIII, 694; IX, 153. Denique locum ex odio tyrannorum, quod in Pharsalia spectatur, defenderim, ut nihil de ratione interpolandi, et de mutatione v. *terrarum* in *mundi* dicam. Verba

Digitized by Google

explicat Schol. Lips. a ita: *Nullus unquam potuit vindicare terram, quam subiecerat Alexander, nisi mors; sed mors i. fatum fuit vindex terrarum, h. d. Captus* (leg. *Raptus*) *fato vindice terrarum. Ille Alexander ibi iacet, qui dignus esset, ut membra sua spargerentur potius, quam ibi iacerent; sed sui viri, dicti ab eo Alexandri, posuere eum ibi, h. d. Viri posuere membra sacratis additis* (leg. *adytis*), *ne suus spargeret civis illa per totum orbem. Alexander noluit, quod unus esset heres sui regni, et distribuit in XIV viros, qui dicti sunt Alexandri, et isti eum illuc posuerunt, quibus unis non sunt ausi cives eiicere eum de templo, ideo dicit Fortuna i. prosperitas, quam ille habuit, pepercit manibus s;* (dele *s*;) *Alexandri scilicet, qui* (lege *quia*) *non fuit eiectus.* Quae falsa sint in hac Scholiastae explicatione facile apparent, sed recte *terrarum* et *vindice* coniuncta sunt, ut in nonnullis Codd. legitur; ita enim *terrarum* suam habet vim.

Verba X, 199 *Sideribus* usque ad vv. *receperit horas* vs. 218 Guietus pro spuriis habet, quippe quae versibus 262 — 67 repugnent. Possunt salvo sensu abesse; sed primum non apertum est, cur reliqua delenda sint, quum vs. 210 — 215 tantum adversari videantur. Deinde omnia, ut ipse Guietus profitetur, facilia et expedita sunt. Denique male Guietus in his causam inundationis Niliacae quaerit, quae tempus potius, quo Nilus ripas excedat, ut par est, indicant. Certa et fixa sunt, inquit, aeternis legibus tempora anni; dividuntur per sidera, et prouti singula sidera oriuntur, varia quoque naturae visa apparent. Sic quando Cyllenius, dominus aquarum, certam aetheris partem tenet, Nilus e fonte suo exit. Quae quum dixisset, recte pergit varias de incrementis Nili opiniones enumerare, refellere suamque interponere. Quare non video, quid sibi in his repugnet.

X, 518

Heu facinus! cervix gladio male caesa pependit:
Magni morte perit.

Oudend. versum 518 deletum vult, quum aperte ver-

Digitized by Google

bis *Magni morte perit* repugnet; sed omnes Mss. et Scholiastae versum defendunt, et recte. Quae enim V. D. sibi adversari putat, optime habent, si poetae in usum suum nonnulla fingere conceditur. Fingit autem h. l., ut stomachum moveat, scelestum Pothinum, non quo debebat, sed quo Pompeius occisus est modo periisse, et merito, si de ratione, qua Pothinus interfectus fuerit, nihil constabat, ut nobis certe nihil constat. Recte deinde addit *Magni morte perit*; Pompeio enim, ut Lucan. ipse VIII, 670 sqq. narrat, semianimi et spiranti colla abscisa sunt, ita ut inde periisse dici possit. Varians autem poeta in his, praecedentia explicat, ita ut versus vel hanc ob rem damnari non possit, quod ab Heins. in Advers. I, 19, p. 198 factum est. Quod singula denique attinet, mei quoque Codd. et Ed. Ascens. *gladio cervix* habent.

CAPUT II.

DE VERSIBUS IN LUCANO REPETITIS ET EX IMITATIONE ORTIS.

Vidimus supra, quomodo sensus vel per se, vel cum aliis verbis comparatus versum aliquem suspectum reddere possit; restat ut aliud interpolationis indicium, in sensu verborum positum, sed a priori diversum nunc consideremus. Cognoscitur autem in versibus, qui vel iisdem verbis ex alio poeta aut ex nostro hausti atque in Pharsalia repetiti, vel ex imitatione aliorum aut ipsius Lucani profecti sunt. Quod prius attinet, nemo, puto, sibi persuadebit, eandem sententiam in duobus auctoribus, quorum alter alterum nullo modo noverit, iisdem verbis expressam, repertum iri. Distinguenda enim sunt loca, ubi alter verba alterius aperte laudavit, vel ubi uterque sententiam aliquam ex alio haustam in sua transtulit, ut a Virgilio A. IX, 767 et ab Ovidio Met. XIII, 258 in nominibus propriis ex *Ἰλ. Ε*, 678 transscriptis factum

Digitized by Google

esse constat. Quare, licet concedam, eandem quod ad rem vel similem sententiam in duobus auctoribus, diverso tamen modo, prouti mores et ingenium eorum fuerint, expressam reperiri posse, casuique in hac quoque re multa tribuenda esse: ego tamen, quamdiu exemplum huius rei certum non constat, omnes huius modi versus vel in aliis poetis, vel in Lucano, quum non facile in duobus locis eadem interpolata sint, pro spuriis habebo. At ne in altero genuina deleas, in altero spuria restent, ante omnia de auctore eiusmodi versuum videndum est; quae quidem res non admodum difficilis factu videtur. Etenim non modo Mss., sed etiam et fortasse melius locus ipse, in quo tale quid deprehendimus, rationem indicabit. Plerumque vero eiusmodi versus comparandi causa a librariis additi sunt, ita ut in alterutro loco verba, quorum causa versus aliquis adscriptus, aliena et spuria notent; in altero autem sensus, omisso eiusmodi versu plerumque mancus, sua tueatur. Deinde sententia ipsa et verba suum auctorem sibi vindicant. Quod nostrum attinet, talem versum reperimus post

VI, 506

Addidit exceptas lunae de nocte pruinas,

qui, ut iam Oudend. monuit, haustus ex Ovid. Met. VII, 268, comparandi causa ad vers. 506 *suppositas despumet in herbas* additus est. Totus autem locus atque nexus ostendunt, versum hic scribi non posse, qui in Ovidio salvo quidem sensu abesse potest, ab omnibus vero Mss. defenditur. *Lunae de nocte* Heins. male mutavit; *de nocte* enim et *de media nocte* i. e. noctu vel media nocte transacta, saepissime dicitur, cf. Cic. ad Attic. IV, 3; VII, 4; pr. Mur. 9, 33; Iuven. 14, 190, et v. *exceptas* coniungitur. *Pruinae lunae* autem ut Val. Flacc. II, 287 *canis urebat luna pruinis*, unde luna ipsa *roscida* dicitur ap. Virg. Georg. III, 337, ubi cf. Heyn. et Taubm. ad Virg. Aen. IV, 513.

Alium locum post II, 294 ex Virgilio haustum supra vidimus.

Digitized by Google

Dixi non modo aliorum poetarum versus, sed etiam ipsius Lucani in Pharsalia interdum repetitos atque hanc ob rem in alterutro loco spurios esse. Licet enim ab Homero aliisque poetis, Homeri exemplum secutis, iidem versus vel iisdem verbis vel uno alterove mutato, passim repetantur, in Pharsalia eiusmodi loca pro interpolatis habenda sunt, quippe quae in rebus et in tota tractandi ratione a simplici atque antiquo epicae poeseos more multum recesserit. Versus autem in Homero repetiti sunt, vel quia formulis quasi stereotypicis in carmine de improviso recitando opus erat, vel quia simplicissima illa narrandi ratio, pueris, senibus et primae cuiusque fere populi aetati propria, ea quae alius vidisset atque dixisset iisdem verbis repeti flagitarat. Inde apparet eosdem versus non ubique, sed in certis quibusdam locis, maxime in orationibus, narrationibus et invocationibus deorum repetitos esse. At postquam tota epicae poeseos ratione mutata atque inversa, poetae carmina sua scripserunt; ille quoque repetendorum versuum mos mutabatur, quippe qui non amplius aptus esset. Illi tamen, qui omnia in Homero imitatione digna existimarent, neque rationem epicae poeseos sequerentur, quam res, tempora et loca flagitabant; si, de quo merito dubitare licet, epicum carmen alio tempore, quam prima populi alicuius aetate componi potest; (unde inepta carmina epica videntur, quorum res et tractandi ratio a temporibus moribusque nostris aliena vere poeticam vim non habent;) vel si, mutata illa simplicissima Homericae poeseos ratione, quod equidem nego, carmen vere epicum condi potest; illi, inquam, servi et imitatores, quia Homerus versus repetiisset, idem faciebant, atque sano lectori taedium movent. Quare si multa alia, hoc certe in Lucano non damnarim, quod in pluribus rebus a veteri epicae poeseos ratione recedens, hunc quoque repetendorum versuum morem mutavit et ablegavit. Apparet vero ex tota Pharsalia eiusque tractandi ratione, Lucanum versus repetitos noluisse, quod praeterea loca, ubi versus repetuntur, nec non versus ipsi aperte docent. Loca enim plerumque ita comparata sunt, ut non verba alius, allocutiones, vel formulas quasdam, sed descriptionem loci alicuius,

Digitized by Google

et similia contineant. Unde vel hanc ob rem eiusmodi loca suspecta sunt, etiamsi, quod in omnibus factum videbimus, alia indicia interpolationem non probarent. Quemadmodum autem supra, ita hic quoque ante omnia quaerendum est, utro loco eiusmodi versus genuini sint nec ne; qua in re non tam Mss. eorumque auctoritas, quam potius loca ipsa consideranda sunt. Plerumque enim haec comparandi causa addita sunt, ita ut in altero loco id, quocum versus aliquis comparatus sit, in altero sensus, omisso isto versu, mancus praeter alia aperte doceat, ubi eiusmodi versus germani et ubi interpolati sint. Plura huius rei exempla in Lucano leguntur, quorum nonnulla IX, 387; 499 et X, 303 supra a me notata sunt, duo alia nunc addam.

IX, 317 Cod. Lips. c versum addit:

Tellus Syrtis erit, pelago penitusque natabat,

ex vs. 312 repetitum, mutatis tamen *olim — erat* in *Tellus — erit.* Sive incuria librarii, in similibus verbis *Syrtis erat* et *Syrtis erit* errantis, sive aliam ob causam hoc factum sit, fortasse comparandi causa, ut verba: *Tellus Syrtis erit* bis posita indicare videntur, versus neque hic defendi potest, ubi sensum nullum habens reliqua turbat, neque illic deesse, ut loci sententia ostendit.

Alius locus est IX, 478, ubi in Cod. Lips. c, qui versuum ordine mutato vers. 482 inter 478 et 479 habet, idem vers. 479 in margine post vs. 478 a manu alia legitur. Putaverat enim ille, qui versum in margine scripsit, versum 479 vel omnino deesse, vel vulgatum ordinem ita restitui posse. De versu ipso autem nullo modo dubitare licet, quum omnia vulgarem ordinem singulosque versus tueantur, ut supra indicavimus.

Venio ad alterum interpolationis indicium, quod dixi positum esse in imitatione vel aliorum auctorum vel ipsius Lucani. Quod prius attinet, negari non potest, Lucanum, licet Pharsalia in pluribus rebus probari non possit, tamen inter Latinos poetas, sive

Digitized by Google

res sive componendi tractandique rationem spectes, eo excellere, quod, quantum pro Romanorum moribus atque inde nata poeseos natura omnino fieri potuerit, novam et propriam viam ingressus sit, ita ut Horatii verba de imitatoribus in eum minus quam in Virgilium cadant. Quae quum ita sint, ibi fortasse interpolationis suspicio nasci possit, ubi imitationis vestigia, utpote a nostro aliena, apparent, licet in eiusmodi locis demonstrandis facilimus sit error. Nonne enim homines inter se nullo modo coniuncti in similem sententiam incidere possunt? Nonne, qui in eadem terra, iisdem temporibus, eadem conditione vivant, eandem philosophiae scholam frequentent, eadem vel similia sentire atque mente agitare possunt? Quare nobis cavendum est, primum ne ex imitatione profectum dicamus, in quo imitatio non sit; deinde ne, etiamsi imitationis vestigia appareant, Lucano abiudicemus, quae ipsius sint. Eodem enim iure in universum contendere possis, alios auctores ex Pharsalia interpolatos esse, vel Lucanum imitatos esse, quam ex illis aliquid in Lucano interpolatum esse. Quamvis itaque res tam incerta videatur, tamen indicia quaedam habet, quibus consideratis minus facile a vero aberrabis. Ante omnia enim quaerendum existimo, quis sit cuius verba verbis Pharsaliae similia videantur, poetane an scriptor? Graecusne an Latinus? utrum ante an post Lucani tempora vixerit? Apparet autem pro diversa rerum ratione diversum quoque iudicium esse. Porro videndum est, utrum Lucanus hominis illius scripta noverit; utrum plura eiusdem auctoris ex imitatione in Pharsalia legantur nec ne? Sic aperte Lucanus Homerum sequitur, ut in catalogo populorum lib. II et III. An alios Graecorum poetas imitatus sit, mihi non liquet. Cuiusmodi loca si essent, a Lucano potius, Graecae linguae gnaro, quum a librariis profecta dixerim, quum Graecos poetas in subsidium vocare, singula in latinum sermonem convertere, textuique inserere, propter rem ipsam, a librariorum more abhorrere videatur. Virgilii vero imitatorem esse, qui gloriae cupidissimus, ipsum si non superare certe adaequare studebat, verisimile non est. Quodsi interdum tale quid factum videmus, vel non est iusta imitatio, vel inscio poeta facta. Eodem modo

Digitized by Google

Lucanus Lucretii et Ovidii vestigia non persequitur, quorum carmina, sive res sive rationem tractandi spectes, a Pharsalia, Lucani moribus et ingenio ita abhorrent, ut quod inter eos intercedat inveniri non possit. Reliqui autem Romanorum epici poetae Valerius Flaccus, Silius Italicus, Claudianus et ante omnes Statius plurimis in locis Lucanum potius imitati sunt, ut constat, quum res ab iis tractatae cum Pharsalia quodammodo coniunctae essent, et nova tractandi via, quam Lucanus praeiverat, eos movisset. Quare si qua in Pharsalia et in istis poetis inveniuntur similiter dicta, versus non pro spuriis habendi, sed inter multa alia referendi sunt, quae ex Pharsalia hausta in alios poetas transierint. Quod Senecam philosophum et tragoedum attinet, constat plura ab utroque atque a Lucano similiter dicta legi; quae res minime mira, quum Lucanus non modo Stoam professus, sed Senecae etiam discipulus esset. De Senecae tragoedi aetate nihil certi est; sed quum plurima in tragoediis aperte ex Pharsalia hausta sint, ut ratio talium locorum docet, alia quoque, ubi res incerta videtur, inter spuria non retulerim, quippe quae nihil demonstrent, nisi tragoediarum auctorem vel Lucano aequalem, ut mihi videtur, vel, ut aliis placuit, post Lucani tempora floruisse.

Deinde quaerendum est, quaenam sint, quae ex imitatione dicta videantur. Ubi enim certamina, loca, populi, mores etc. describuntur, verbaque cum aliis ita conveniunt, ut imitatio aperta sit, non est verisimile, talia ab interpolatore addita esse, ut res ipsa docet. Ubi autem sententiae generales, loca communia, quae dicunt, ex imitatione orta apparent, merito interpolationis suspicio nascitur.

Alia quaestio hac in re oritur, quomodo imitatio instituta sit? Quae res h. l. maximi momenti videtur, quum inde non modo intelligi possit, an revera imitatio sit nec ne, sed etiam utrum a poeta ipso, an ab interpolatore facta. Quod priorem rationem attinet, apertum est, eam partim in rebus, partim in verbis, interdum in utrisque simul cognosci, et quo magis locus aliquis loco alius auctoris similis sit, vel singula verba

Digitized by Google

singulis verbis respondeant, eo magis imitationis suspicionem nasci atque augeri. Qua in re, si constat nostrum imitari noluisse neque potuisse, ac si idem de aliis quoque auctoribus valet, eiusmodi versus suspecti sunt. Loca enim a poetis, qui imitantur, fere semper ita variari solent, ut, singulis mutatis, rei accommodata et apta sint, atque in mutatione ipsa ingenium poetae cognoscere possis. Interpolator autem, plerumque aliorum vestigia in eiusmodi locis persecutus, ut sorex sibilo, singulis verbis ipse se prodit.

Denique videndum est, quo in loco imitatio facta sit. Etenim si qua hac ex ratione ab interpolatore addita esse dicuntur, causam imitationis adesse oportet, quae vel in verbis vel in rebus plerumque comparandis posita est. Ubi itaque eiusmodi causa non apparet; ubi neque sensus, neque singula verba indicant, quid interpolatorem moverit, ut talia ex aliis auctoribus hausta adderet; ibi interpolationis suspicioni nullus est locus.

Quae si bene considerantur, aliisque, quae omnino interpolationem arguant, coniunguntur, eiusmodi loca sine dubio vel spuriis adnumerabimus, vel auctori suo restituemus. — In Lucano quae ex imitatione aliorum interpolata essent, non reperi; sed sunt loca viris doctis hanc ob rem male suspecta.

Verba I, 160 — 182 Guieto spuria et ex Petronii specimine belli civilis hausta videntur, qui omissa tantum a Lucano exhibere voluerit. Verum quis recte haec dixerit, quum constet, Petronium non tam omissa a Lucano, quam potius fragmentum epicum de bello civili „*per ambages, deorum ministeria et fabulosum sententiarum tormentum praecipitatum*“ exhibuisse? Deinde etiamsi priora concedamus, quis affirmaverit, haec ex Petronio sumta atque interpolata esse? vel concedat necesse est, alia quoque Petronii verba inter Lucanea relata esse; verbi causa prodigiorum enumerationem I, 522 sqq. petitam ex Petronii 126 — 143; Caesaris orationem I, 195 — 203, ex Petron. 156 — 175; deinde quae de urbe attonita

habet I, 469—489, ex Petron. 209—220; et quae denique de urbe deserta narrat I, 490—522, ex Petron. 220 — 231, ut de singulis sententiis taceam. At hoc ne ipse quidem Guietus contenderit. Quare Petronium potius in hoc quoque loco nonnulla a Lucano mutuatum, quam Pharsaliam ex eo interpolatam esse puto, ut nihil dicam de loco ipso, qui neque in Mss., neque in singulis verbis ullum interpolationis vestigium ostendit, imo Lucani moribus atque ingenio aptissimus videtur. Denique reliqua sine his manca, ut partim ex ratione totius exordii apparet, in quo poeta, causas huius belli se enumeraturum pollicitus, cf. 67, publicas, in quibus maximum momentum est, non facile praeterierit; partim ex ipsis Lucani verbis vs. 158, 159, quae nullo modo tam abrupte a poeta posita esse possunt.

X, 313 — 15

Mox te deserta secantem,
Qua dirimunt nostrum rubro commercia pontum,
Mollis lapsus agit.

Locum difficiliorem plures sed nimis audacter restituere tentarunt; Oudend. et Burm. versum 314 spurium et ex Seneca philosopho haustum putant. Quum tamen omnia aperte doceant, Lucanum inde a vers. 309 — 331 Senecae locum N. Q. IV, c. 2 *Nunc vero magnas solitudines pervagatus — per totam discurrit Aegyptum,* ante oculos habuisse, mutuatum ab illo quae ad describendum Nili cursum facerent, mirum foret, si poeta illa de desertis arenis inter Philas et cataractas dicta omisisset, praesertim quum in decribendis locis, doctrinam suam ostentans, fere semper magnam gerat curam. Potest quidem versus 314 salvo sensu abesse, et locus eiusmodi est, in quo facile aliquid additum esse possit; haec vero ad delenda verba minime sufficiunt. Quod reliqua attinet, *commercia* non sunt *confinia*, quod glossa Lips. c habet, sed proprie dicta; et *nostrum* non de mari Aegyptiorum, sed de Aegyptiis ipsis intelligo. Maxime offendit v. *dirimunt* repetitum ex vers. 312 in eadem versus sede, cum eodem verbo *Qua* ab initio. Unde

Digitized by Google

olim in mentem venerat *Qua* redimunt *nostri* (scil. cives) *rubri commercia ponti*, quum *rubri ponti* in pluribus melioribusque Codd. scriptum sit; *dirimere* autem et *redimere* facile confundi potuerint. Verum displicent verba pluribus de causis. Possis quoque Quae *dirimunt* nostris *rubri commercia ponti*; sed vulgata bene habet, uno tantum verbo mutato. In libris enim omnibus legitur *nostrum*, in plurimis et optimis *rubro — ponto*; unde scribas: *Quae dirimunt nostrûm rubro commercia ponto*; i. e. quae separant nostra, nostrorum civium commercia a commerciis rubri maris; ita ut Lucanus Senecae verba variet, *per quas iter ad commercia Indici maris est*. *Quae* autem et *Qua* saepissime confusa sunt, praesertim h. l., ubi *Qua dirimunt* antecedunt. Deinde repetitio v. *dirimunt*, ut in sequenti capite videbimus, licet h. l. merito offendat, in nostro corrigatur non necesse est. *Dirimere* denique ablativo coniunctum supra X, 312 vidimus. — Schol. Lips. b locum ita explicat: *hypallage, nostrum pontum i. noster pontus cum rubro, haec duo dirimunt* etc. *commercia, transitus difficilis.*

Restat, ut de illo interpolationis indicio videamus, quod supra in imitatione ipsius Lucani positum esse dixi. Valent autem in eo plurima, quae de versibus repetitis atque ex imitatione aliorum ortis disputavimus; quibus tamen nonnulla alia, ut res ipsa docebit, nunc addam. Sententiae similiter ab aliquo repetitae, si omnino offendunt, quippe quae ingenii penuriam animique inopiam testentur, vel maxime in poetis, quos ingenii fertilitate et copia aliis antecellere oportet. Constat vero Lucanum divite vena praeditum sententiarum copia et ingenii ubertate ita insignem esse, ut merito aliquis offendere possit, si qua similiter dicta in Pharsalia repetita sint. Nihilo minus magna cautione in hac re opus est, et ante omnia demonstrandum, duo loca in Lucano vere similia esse. Deinde locorum rationem consideremus necesse est, quum alia sint, quae non nisi magno cum taedio repeti possint; alia, quae pro ipsorum natura, etiamsi saepius legantur, taedium nobis non moveant. Ad priora omnes fere sententiae, quas generales di-

Digitized by Google

cunt, et loca communia pertinent. Apparet enim, quae inter reliqua stellarum instar emineant, memoriaque melius conserventur, repetita displicere. A quibus tamen distinguenda sunt loca, quibus descriptio terrarum, hominum, morum etc. continetur; quorum repetitionem res ipsa flagitat. Etenim quum Caesar e. g. ubique idem sit acer et indomitus, mare ubique fremat atque in litora saeviat: apparet iteratam eiusdem rei descriptionem necessariam esse, neque, mutatis singulis eius partibus, cur displiceat habere. Hoc ipsum vero nos monet, ut videamus, quomodo similia illa repetita sint. Quo minus enim variata sunt; quo saepius eadem vel similia verba redeunt, eo magis suspicio interpolationis nascitur, quum Lucanus, ut saepius a nobis notatum est, variare amet; interpolator plerumque aliorum vestigia persequatur. — Denique, quod Lucanum attinet, nos negligere non oportet, imperfectum eius opus esse, neque secundis poetae curis limatum atque perpolitum, ita ut interdum repetita sint, quae, si per fata licuisset, emendaturus fuisset. Ad quae tamen loca referri non possunt, in quibus odium tyrannorum, amor patriae atque libertatis et alia, quae animo moribusque Lucani infixa fuerint, apparent. Saepissime enim eiusmodi res a Lucano repetitae sunt, licet variatis, ut par erat, verbis; neque mirum in eo, cuius animus iuvenilis multumque agitatus his rebus exardescebat. Itaque non multum huic interpolationis indicio tribuerim, nisi aliae vel externae vel internae causae accedant, ut supra I, 436 — 44 vidimus, ubi, denuo Aquitaniae mentione facta, singula adeo verba repetuntur. Quae tamen res interpretes, maxime Guietum saepius in errorem induxit, ut germana damnarent, quemadmodum pluribus exemplis nunc ostendam.

I, 441 — 43

Tu quoque laetatus converti proelia Trevir:
Et nunc tonse Ligur, quondam per colla decora
Crinibus effusis toti praelate comatae.

Suspecta sunt Guieto, quia poeta iam supra vs. 404

Galliae Cisalpinae meminisset. In enumerandis vero locis populisque Lucanus, iustum ordinem h. l. non secutus, ad eandem regionem redit, cf. vers. 400 et 433 de Rhodano. Praeterea Galliam Cisalpinam non per Varum, sed per Ligures notasse videtur. Eodem modo vers. 441 defenderim, quamquam concedo Trevirum, inter Gebennas et Ligures positum, non admodum placere; sed vide Cingam vs. 432 inter Batavos et Rhodanum. Talia, quae ingenium fervidius liberiusque se ferens probant, poeta si licuisset sine dubio mutasset, neque tamen a nobis corrigi debent. Quod singula attinet, *Ligur* in omnibus Mss. legitur, et *Ligures* Gallia oriundos, *Κομήτας*, Dio Cass. LIV, p. 538. ab Augusto victos, mores suos mutasse, satis constat; unde recte *nunc* et *quondam* sibi opponuntur, cf. Oudend. in Epist. II ad Schraderum. *Liger*, quod Sulpitius correxit, ne recte quidem habet, quum non gentis, sed fluminis nomen sit, quantum scio, et fluminis nomen pro accolis, licet aliis in locis, h. l. propter v. *tonse* et seqq. *per colla* poni non possit. *Decora*, quod versus, ordo verborum et v. *colla* flagitant, sine dubio ex antiquissimo Cod. Put. aliisque, e Priscian. et Edd. vett. restituendum est. Schol. Lips. b de Ligure ita: *Ligur populus Aurelianensis;* et man. al.: *Ligures, quorum metropolis est Mediolanum, qui praeponebantur omnibus Gallis Cisalpinis. Nam Gallia alia comata, quae nobis est transalpina; alia togata ab Alpibus usque ad mare Britannicum; alia braccata* (male in Cod. *brachata*), *quae Rheno adiacet, ut pars Burgundiae, Lotheringia, Flandria.* Lips. c: *O Ligur tu; praelatus Burgundiae quondam, crinibus effusis per d. colla, non tonsus; qui devicti a Caesare coacti sunt tondi.* —

Versus IV, 98 — 120 pro spuriis habet Guietus, interpolatorem, quae a Lucano supra vs. 76 — 97 exposita sint, in his repetiisse contendens. Quod etiamsi de versibus 98 — 105 concedam, quid in reliquis inest, quod ex superioribus apertum sit? Nonne clausula vs. 120 optime ex mente Lucani bellum civile detestantis? quacum conferri possunt II, 48 seqq. Nonne Lucanus in eiusmodi rebus describendis sibi indulgere, et variando luxuriari amat? Praeterea ver-

Digitized by Google

sus 98 — 105 ne similia quidem prioribus continent, ut apertum est. Poeta enim singula huius diluvii momenta enarrat, ita ut aquarum paulatim crescentium vim, et coeli magis magisque obnubilati faciem describat. Nubes pressae vs. 76, quae aerem obducebant, paulatim ita densatae sunt, ut nox subtexta polo Phoebum surgentem non sentiret. Imbres autem ruunt vs. 76, Pyrenaeis nivibus adaucti vs. 83; unde flumina ripis excedunt vs. 86, campos aqua implent vs. 87, et castra Caesaris impellunt vs. 89. Inde pabula deesse coeperunt vs. 90, et saevit fames vs. 94. Nondum aquae decurrunt, imo tumulos obruunt vs. 98, paludem unam ex cunctis fluminibus efficiunt vs. 99, rupes absorbent vs. 100, et ipsos Oceani aestus repellunt vs. 102. Nonne haec singula aptissime cohaerent, diluviumque magis adauctum ostendunt? Quod poeta per vv. *iam*, *iamque*, *tunc* interposita indicasse videtur. Quare male deleveris, quae neque in rebus, neque in verbis habent, quod Lucano indignum sit.

V, 357. 58.

Discedite castris,
Tradite nostra viris ignavi signa Quirites!

Versus 358 a Guieto damnatur, quum Lucanus iam supra 325, 26 similia dixerit. Verba vero cum reliquis bene cohaerent et aptissime e superioribus, mutata tamen ex parte, repetuntur. Nihil enim militum animos magis commoveat, quam quod Caesar, postquam dixisset, quid ipsi discedentes perdituri sint, seque sine iis, Fortuna favente et milite mutato, bellum gesturum esse, denuo eos discedere armaque tradere iubet. Praeterea singula verba Lucano digna sunt. Vide opposita inter *viris* et *ignavi*; considera v. *nostra*. Ita enim ex optimis plurimisque Mss. legendum est, quum in v. *nostra* maior vis insit, et Caesarem ita dicere deceat, qui *his armis* vs. 326 *veluti imperat*, *invito moturus milite ferrum* vs. 366. Observa denique v. *Quirites*, ignominiose de iis dictum, quos proprie *milites* IV, 273; supra vs. 320 et VII, 251, vel *socii*, ut I, 299, appellare debebat.

Digitized by Google

VI, 89. 90

Traxit iners coelum fluidae contagia pestis
Obscuram in nubem;

et

VI, 93. 94

Coeloque paratior unda
Omne pati virus duravit viscera coeno.

Utrumque locum interpolatum et ex alio haustum, qui infra vs. 107 legitur, *Aere non pigro, nec inertibus angitur undis*, propter similem sententiam Guietus putat. Quae causa si iusta foret, versum 107 potius ex his ortum dicerem, mutatoque uno verbo *sed* vs. 108 delerem. Qua ratione enim hi abesse atque reliqua sine his recte constitui possint, nisi quis totum locum 88 — 94 deleverit, quod ne Guietus quidem ausus est, non intelligo. Haec omnia vero cohaerent, et se invicem tuentur. Poeta enim in prioribus pestem, coelo tabem trahente undaque paratiori virus pati, paulatim auctam ostendit, et comparat in vs. 107. quae Caesariani perpessi sint. Deinde versus 104 quodammodo prioribus respondet. Denique, quod singula attinet, non video, quid Lucano indignum sit, vel interpolatorem arguat. *Fluvidae* vs. 89 pro *fluidae* habent plures melioresque Codd., formam antiquam et Lucretio propriam, cf. Gifan. Ind. s. v.; sed quum noster antiquis formis non usus sit, nisi ubi Editores eas interpolarunt, *fluidae* hoc quoque loco tueor.

VI, 438 — 42

Thessala quin etiam tellus herbasque nocentes
Rupibus ingenuit, sensuraque saxa canentes
Arcanum ferale Magos. ibi plurima surgunt
Vim factura deis, et terris hospita Colchis
Legit in Haemoniis, quas non advexerat herbas.

E superioribus repetita esse contendit Guietus. Variat noster, ut solet, recte de Thessalia afferens, quae multum ad h. l. faciunt, optimeque cum prioribus cohaerent, ut iam Schol. Lips. a indicat: *Quicquid*

Digitized by Google

videtur aliis impossibile, illis est ars, et habent unum: possunt exercere illam artem ibi, h. e. q. d. Thessala quin etiam etc. Particulae *quin etiam* enim, ut germanicum *ja auch*, duo membra ita nectunt, ut in altero membro ratio alterius reddita sit. Quod non creditur, efficiunt Haemonides, quia Thessala terra herbas nocentes et saxa sensura gignit; quare mirum esse non debet. — Quae denique de v. *Magos* monuit V. D., aperte falsa sunt; coniungenda enim sunt *ingenuit saxa, quae Magos arcanum ferale canentes sensura sunt*, ut iam copula in *sensuraque* indicat. Neque accusativi illi offendunt passim ita a nostro coniuncti, cf. I, 268; IV, 751. Quod reliqua attinet, de v. *sensura* usu plura collegit Heins. in Advers. II, 12 p. 301. *Ubi*, quod pro *ibi* in nonnullis Codd. et Edd. vett. legitur, praecedentia arctius coniungit; sed, ut iam supra dixi, Lucanus orationem in eiusmodi rebus a novo incipere amat. Ceterum versus 440, in Cod. Lips. c a manu alia additus, excidit, quia reliqua sine eo quodammodo intelligi poterant. — Quod ad formas *Deis* et *Diis*, in nostro constat formam priorem semper bisyllabam esse, et a plurimis optimisque Mss., imo VI, 599 ab omnibus servari; alteram formam *Diis*, sicuti nominativum *Dii*, semper esse monosyllaba, cf. VII, 77, X, 417. *Advexerat* denique vs. 442 optime a Burm. defenditur, quum *evexerat* h. l. dici non possit, et *adduxerat* potius glossa videatur.

VI, 517. 18

Terribilis Stygio facies pallore gravatur,
Impexis onerata comis.

Hausta ex vs. 655, qui sequitur, et ab interpolatore profecta Guietus putat. Ut nihil de interpolationis ratione dicam, vide, cur V. D. locum, cui alter optime respondet, ita ut nostrum confirmare potius quam infirmare videatur, deletum velit. Nonne Thessalis, cuius facies h. l. pallore gravata impexisque comis onerata dicitur, vultus crine remoto aperire potest? *Aperitur* enim infra legendum esse omnia docent, quum *operitur* nullum habeat sensum. Nonne h. l. descriptio Thessalidos requiritur, quam vv. *tenet ora*

Digitized by Google

ete. inceptam esse indicant? At fortasse singula interpolatorem arguunt; unde Bentl. quoque plura h. l. mutasse videtur. Displicet v. *Stygio*, repetitum ex vers. 514, sed talia noster non curat, ut nihil de audacia coniecturae Bentleianae dicam. Displicent *pallore gravatur facies* coniuncta; attamen dicta sunt, ut vs. 808 *Cornelia somno gravatur*, multaque alia, cf. Heins. ad Ovid. Met. VII, 19. *Gravatur* autem et *onerata* se invicem tuentur atque explicant, ita ut neutrum corrigi possit. Fingitur enim Thessalis *habere magnas comas*, ut Schol. Lips. b dicit, quas poeta *impexas* nominat, i. e. non pexas, inornatas, incultas, ut Ovid. Met. I, 529; Fast. III, 398.

VI, 655—56

Si tollere totas
Tentasset campis acies, et reddere bello,
Cessissent leges Erebi, monstroque potenti
Extractus Stygio populus pugnasset Averno.

Ex superiori vs. 620 ab interpolatore repetita esse contendit Guietus; sed prioribus potius respondent, ut iam oppositio inter *unum corpus* et *totas acies* docet. Poeta, ut Thessalidos potentiam describat, ab ista unum tantum ex mortuis vatem sibi esse electum, sed si multos, si totas acies vitae reddere tentasset, Erebi leges non cessuras fuisse dicit. Neque video quid in his offendere possit, quae optime ad rem faciunt. *Totas* sine dubio scribendum est, quum in eo vis totius sententiae insit. *Campo* pro *bello* in Fragm. S. Germ. ex solenni errore propter praecedens v. *campis* ortum est.

VII, 19

Sedit adhuc Romanus eques.

Guietus ex alio loco, qui infra VIII, 810 sequitur, hunc effictum putat, sed quo iure non video. Etenim si propter vv. *currus* et *eques*, alterum potius locum damnaverim, simulque cum illo omnia, in quibus triumphi Pompeiani meminerit, cf. supra ad

Digitized by Google

VII, 14. Alia autem, quae h. l. displiceant, non video.

VII, 49 — 52

Magnoque accensa tumultu
Mortis vicinae properantes admovet horas.
Dira subit rabies: sua quisque ac publica fata
Praecipitare cupit.

Ex inferioribus vs. 127 sqq. sumta et interpolata Guietus putat. At multum differunt, quae ibi leguntur, ab his, ita ut nostrum locum fulcire potius, quam infirmare videantur. H. l. enim milites accensi sunt tumultu magno, pugnam postulantes; ibi autem, venia pugnae data, castra tumultu confusa fremunt. Neque intelligo, cur haec suspecta sint, quae Lucani ingenio dignissima optime cum reliquis cohaerent, ita ut ne recte quidem sequentia, nisi verbis *dira subit rabies* positis, stare possint. Singula autem verba optime habent, recte ab Editt. constituta; adde de verbo *admovere* Curt. VIII, 9 fin., et quae Grentmenillaeus in Epist. ad Palmer. p. 960. ed. Oudend. et Heins. Advers. I, 14, p. 145 dixit. Schol. Lips. a locum ita explicat: *Cum quisque habeat mortem prope, illa* (leg. *illi*) *laborant* (leg. *laborarunt*), *ut adiungerent sibi mortem, non quod hanc intenderent, sed quantum ad hoc, quod post secutum est; et non mirum, nam dira rabies subit.*

VII, 574. 75

Ipse manu subicit gladios ac tela ministrat,
Adversosque iubet ferro confundere vultus.

Versus 575 Cortio suspectus est, ut videtur, propter sententiam ex superiori loco vers. 322 *vultus gladio turbate verendos* male intellecto repetitam. Constat vero Caesarem hoc strategemate usum fuisse, cf. Rutgers. var. lect. I, c. 4, et Barth. Advers. VI, 26 p. 304. Deinde, si Lucani odium atque invidiam in Caesarem bene novi, non est verisimile, haec ab eo praetermissa esse. Versum autem ex superioribus

Digitized by Google

non haustum esse, sensus utriusque loci et singula verba docent.

IX, 529

Truncum vix protegit arbor,
Tam brevis in medium radiis compellitur umbra.

Ex inferiori loco X, 305 haec sumta putat Guietus; sed licet in utroque loco de umbra sermo sit, quis alterutrum recte spurium dixerit, qui se invicem potius explicent et tueantur. Verba per se placent et loco apta sunt. *Compellere* proprie h. l. dictum est, ut sit diversas umbrae partes in unum locum cogere, quod saepissime legitur. Reliqua ex facili errore librariorum orta sunt.

IX, 590. 591

Somni parcissimus ipse est,
Ultimus haustor aquae.

Guietus ex inferiori vs. 617 haec inculcata putat, haud considerans, Catonem in itinere molestissimo ita optime describi. Praeterea hic et vers. 617 ita sibi respondent, ut alter alterum tueri potius, quam infirmare videatur. Quod singula attinet, recte Burm. *somni* defendit. *Parcus* enim fere semper a scriptoribus et poetis genitivo, nunquam ablativo coniungitur, nisi praepositione addita. *Ipse* denique recte h. l. ponitur, ubi oppositio est inter Catonem ducem et milites.

CAPUT III.

DE VERSIBUS PROPTER SINGULA ET CONIUNCTA VERBA SUSPECTIS.

Ventum est ad ultimum huius dissertationis caput, in quo, quum supra duplex internarum notarum genus ad indicandos spurios versus esse contendissem, alterum in sensu, alterum in verbis positum, et quum

Digitized by Google

capite primo et secundo de priori quae mihi viderentur exposuissem, restat, ut quomodo verba ipsa interpolationis indicium sint nunc dicam.

Si a quovis auctore requiritur, ut pure emendateque scribat, verba ad rem accommodet, atque elegans sit, ac si quem his scribendi virtutibus excellere constat: iis in locis interpolationis suspicionem merito nasci oportet, in quibus aliquid in has leges et virtutes peccatum reperimus. Facilius enim talia ab interpolatoribus, bene scribendi plerumque ignaris, quam ab ipso auctore commissa esse possunt. Qua tamen in re, ne quae auctoris ipsius sint damnemus, ante omnia videndum est, utrum auctor, cuius in verbis aliquid peccatum esse dicitur, virtutibus bene scribendi excellens inter meliores referatur nec ne. Quae res, licet maximi momenti sit, non semper ab Intpp., ut par est, considerata videtur. Deinde bene notandum est, optimum quemque auctorem interdum in leges bene scribendi peccasse erroresque admisisse, maxime in scriptis, quibus ultima lima non admota sit. Tum singula verba interdum a librariis corrupta sunt, quae, si facili negotio corrigi et emendari possunt, minime versum aliquem suspectum faciunt. Denique tenendum est, quod ex his rebus sequitur, hoc interpolationis indicium non tale esse, quod per se versum aliquem de loco movere possit, sed aliis tantum coniunctum potestatem aliquam huius rei habere.

Lucanum quod attinet, res eo difficilior est, quo minus sibi in scribendo constat. Interdum enim satis pure et emendate loquitur, verbis rei aptis atque accommodatis usus; interdum simpliciter et eleganter, ita ut vere antiquum habeat colorem. Quam plurimis vero in locis exquisite atque tumide loquitur, impropria verborum significatione multisque metaphoris usus. Amat argutias atque omnia exaggerat, ita ut verba rebus minime respondeant. Quae quum ita sint, facillimus foret error in hac re, nisi suppeditarent, quae veram rationem nos docerent. Primum enim tenendum est, Lucanum, quaecunque eius loquendi ratio fuerit, usu linguae latinae semper servato, raro in hunc aliquid commisisse. Deinde orationes in Pharsalia magis quam reliqua elaboratae et

Digitized by Google

perfectiores videntur, ita ut iudicium de iis diversum fieri oporteat. Denique reliqui poetae, Lucani imitatores, magno nobis usui sunt, vel confirmantes vel infirmantes, quae in Pharsalia singulari modo dicta sunt.

Verum, ut ad rem redeam, apparet, quod iam indicavimus, vel in verbis singulis, vel in nexu eorum peccari posse. Displicent verba singula, suspicionemque interpolationis movent, si omnino loco non apta sunt. Requiritur enim ut verbum rei conveniat, et quod in mente auctoris sit exprimat. Inde sequitur, ut verba accommodata sint loco, quo ponantur, et homini, qui loquatur; ut in re gravi grave sit, neque ridiculum sonet. Quare a Pharsalia sicuti omnino a carmine epico humilia atque plebeia verba aliena sunt, ut supra VI, 152 vidimus *famuli turpes* et *servum pecus*, neque Scaeva, qui loquitur, neque loca digna esse. Alia, male ab Intpp. hac de causa damnata, a me supra passim defensa sunt, quibus addam haec exempla:

V, 306

Tarpeiamque Iovis sedem, matresque senatus.

Ineptam et Lucano indignam esse phrasin *matres senatus* pro *matronas* Guietus dicit. At recte habet *matres*, ut iam Schol. Lips. c ostendit: *i. senatorias, quod dicit, nec anus, nec iuvenes.* Sunt seniores et iuniores feminae, quas dicit, matronae et uxores, ut v. *nurus* oppositum indicat. Coniungit enim utrumque ex more poetarum, cf. Burm. ad Val. Flacc. II, 247 et ad h. l., cui adde III, 757. *Matres senatus* autem pro *matronis senatorum* posita, cf. Heins. ad Ovid. Her. 8, 66, scelestam Caesaris mentem notant, qui nobilissimas feminas vilissimis militibus stuprandas non negaverit. Constat enim *matronas* et *uxores senatorum* in maximo honore apud Romanos fuisse. Similem locum habes III, 110.

V, 625. 26

Tunc quoque tanta maris moles crevisset in astra,
Ni superum rector pressisset nubibus undas.

Digitized by Google

Damnat versus Guietus, ni fallor, propter vv. *tunc quoque* male intellecta. Etenim si *tunc* de eo tempore intelligis, ut Glossa Lips. b *vel in ipso diluvio*, ubi Iupiter fulmen lassatum adiuvit fraterna cuspide, apparet *quoque* h. l. non quadrare, totamque sententiam prioribus inepte additam esse. *Tunc* vero de eo tempore intelligendum est, ut idem Schol. Lips. b: *quum Caesar periclitabatur*. Ita omnia optime cohaerent, et transitus fit ex more Lucani, ita ut *Sic* et *Tunc quoque* sibi respondeant. Rectius tamen *Nunc* ex nonnullis libris repones, quum *Tunc* propter praecedentia, ubi oppositio inter diluvium prioris et tempestatem huius temporis requiritur, non satis aptum videatur, atque res pro praesenti descripta sit, ut vv. *latet*, *deprimitur* etc. ostendunt. *Nunc* quoque Schol. Lips. a probat: *Nunc est mare contentum litore, sed tunc non erat contentum alio litore, nisi coelo. Ad quid istud praemisit*, (leg. *praemiserit*) *subiungit: Nunc quoque idem esset, nisi Iupiter compressisset undas cum nubibus*. In reliquis verbis non video, quid Lucano indignum sit. De *maris mole* cf. Wakef. ad Lucret. VI, 404.

IX, 852 — 854

Ire libet qua zona rubens atque axis inustus
Solis equis: iuvat aetheriis adscribere causis
Quod peream, coeloque mori. nil Africa de te.

Versus Guietus deletos vult, ni fallor propter v. *inustus* male intellectum. Totus autem locus, ut recte Schol. Lips. c notat, ironice dictus cum superioribus ita cohaeret: Cur segnia fata a serpentibus patimur, neque, quae nos decet, mortem pugnae; quia scilicet placuit coelo serpentibusque causam mortis adscribere, non Caesari. Ita, interrogatione in vers. 849 ex more oratorum posita, haec responsionem continent, ut supra vidimus, neque recte abesse possunt. Singula vero verba proba atque Lucano digna sunt, ut *zona rubens*, cf. X, 274, cuius loco Cort. male *rubet*, quum *est* h. l., ut saepissime, omissum sit; neque melius Heinsius *statque* pro *atque*, adversante usu loquendi, correxit. *Axis inustus* denique non est *non ustus*,

ut Guietus intellexisse videtur, loco VIII, 787 fortasse, ubi est pro *non bene ustis*, in errorem inductus; neque *valde ustus*, quod glossa Lips. a et c habet, sed ut IV, 675 *Exusta zonae calentis*, et supra 314 *zonae perustae*, pro *urere*, *deurere*.

Deinde singula verba interpolatorem arguunt, si non ex usu auctoris, in quo leguntur, dicta sunt. Etenim si quaeque cogitandi sentiendique ratio, quod omnes merito contendunt, suam quoque exprimendi et repraesentandi rationem habet, ab aliis diversam, ita ut altera alteri coniuncta respondeat, altera ex altera demonstrari probarique possit, atque inde auctoris cuiusque loquendi usus oriatur, ad quem ubique Intpp. provocant: (eodem modo, ut in re historica singula hominis alicuius facta cum tota agendi ratione moribusque eius comparantur, ut veritas vel falsitas facti singuli appareat) verba singula quoque auctoris alicuius cum usu loquendi eius conferri atque comparari possunt, ut de iis, utrum genuina et ab auctore profecta sint nec ne, quaeri ac iudicium fieri possit. Ubi itaque comparatione instituta apparet, verba cum usu loquendi auctoris alicuius non convenire, sed ex usu esse grammaticis et scholiastis proprio, merito ibi interpolationis suspicio nascitur. Etenim quemadmodum animus unus idemque, ita loquendi usus semper idem erit. Ante omnia autem necesse est, hunc loquendi usum indicare atque demonstrare, quod quomodo fieri possit, non est huius loci. Cognoscitur partim in singulis verbis, sive formas eorum sive significationem spectes; partim in nectendi atque coniungendi ratione. Tum videndum est, ut ea tantum comparentur, quae similiter dicta inter se comparari possint. Denique tenendum est, usum loquendi non modo in diversis eiusdem auctoris scriptis interdum variare, ut ab optimis auctoribus nunc quoque fit; sed etiam in uno eodemque opere, vel diversis temporibus scripto, pro humana nostra conditione; vel ubi diversa oratio diversos hominum mores et ingenia discernit; licet ita quoque fere semper aliquid reperiri possit, quod sibi constet neque fluctuet. Lucanum quod attinet, Pharsaliam intra paucorum annorum spatium scriptam

Digitized by Google

fuisse constat, et, quamvis Pompeii, Caesaris aliorumque mores tam in narratione, quam in orationibus distincti sint, id magis in sententiis quam in usu loquendi factum esse. Quare merito loca suspecta sunt, quae cum usu loquendi Lucaneo non conveniant, ut supra VI, 152 v. *absque*, et I, 456 — 440 plura versus spurios notasse vidimus. Alia loca, quae Intpp. hanc ob causam male delerunt, supra defendimus, quibus nonnulla nunc addam:

IV, 30

Dum primae praestant acies, hostemque fefellit.

Guieto versus spurius videtur, ni fallor, propter v. *praestant*, quod pro *ante stant*, ut vulgo explicatur, neque in Lucano, neque in alio auctore legitur, atque ex usu glossatorum dictum est. Quum tamen *perstant* in pluribus libris sit, et *p* (*per*) *p̄* (*prae*) saepissime in libris confundantur, quidni cum Intpp. *perstant* restituamus? Possit praeterea versus salvo sensu abesse, ortus ex eo, quod interpres aliquis, Caesarem fossa agmina circumdare potuisse, ostendisset; sed Lucanus ipse talia explicare solet. Neque denique variae lectiones ex solenni errore natae suspicionem interpolationis movent.

VIII, 410. 11.

Proles tam clara Metelli
Stabit barbarico coniux millesima lecto.

Heinsio versus suspectus est, Burm. auctore, haerenti in v. *stabit*. Fortasse quoque v. *millesima* offendit; sed *millesima*, ut saepissime ap. Lucan. cf. II, 115; 208; VI, 104; VII, 238, notat: inter multas una stabit; uxor amata inter mille nurus, cf. 401, millesima pellex erit; quod h. l. multum ad commovendum Pompeii animum facit. Ex eadem causa *stabit* quoque h. l. tueor, quod Burm. nisi pro simplici *erit* poni posse negat, optime ex more meretricum dictum, ut Schol. Oudend. recte monet, cf. Horat. I, sat. 2,

Digitized by Google

30; Ovid. Trist. II, 310; Am. I, 10, 21; Iuvenal. 10, 238; Senec. Controv. I, 2; Intpp. ad Petron. c. 14; 16. Plus enim ignominiae habet, quam simplex v. *esse*. Neque quid in hoc verbo contra usum loquendi Lucaneum sit video. Quodsi non saepius legitur, meminisse iuvat, Lucanum bellum civile, non certamina pellicum descripsisse.

Denique, quod singula verba attinet, repetitio eiusdem vocabuli in proximis versibus, sicuti supra repetitio eiusdem sententiae, indicium interpolationis fieri potest. Ubi enim idem vocabulum repetitur, nisi res ipsa flagitat, v. c. in anaphora, cf. Oudend. Ind. Verb. s. v. *Repetitio*, et in similibus figuris, de quibus Rhetores disputant, necesse est vel lingua, vel is qui lingua utitur verborum inops sit. Quum tamen neque lingua latina tam egena verborum sit, neque melior quisque auctor verborum penuriam ostendat: tanto magis in poeta repetitio eiusdem vocabuli offendit, a quo requiritur, ut ditissimus verborum sit. Quare optimus quisque Latinorum poeta (nam de Graecis hic sermo non est, ubi rem aliter habere plurima exempla docent;) maxime curavit, ut ne idem vocabulum in proximis versibus rediret. Merito igitur, ubi eiusmodi quid factum reperimus, suspicio interpolationis nascitur. Quae tamen lex non de omnibus Latinorum poetis valet, sive nomen poetae falso acceperint, sive inter meliores recte referantur. De repetitione in aliis poetis cf. Weichert. Dissert. de spur. vers. p. 93 et ad Valer. Flacc. Epist. p. 45; Burm. ad Propert. I, 5, 32; Schrader. in Collectt. ineditis, cuius tamen non omnia ad rem faciunt; Iuvenal. 2, 24; 7, 198; 13, 33; Stat. 12, 277; Gronov. ad Stat. Theb. 10, 131; Ovid. Her. 8, 21; Trist. 2, 5; Lucret. 2, 42. Quod Bentleium summum virum saepius in errorem induxit, ut, quod a Virgilio, Horatio aliisque poetis observatum vidisset, ubique, et maxime in Lucano adhiberet, plurima loca sana vel corrigens, vel interdum adeo expungens. Etenim quum Lucanus is sit, qui talem repetitionem non curet, non, quia vitium illud non animadvertisset atque sensisset, sed quia Pharsaliam relegere atque emen-

Digitized by Google

dare, ut constat, per fata non poterat: saepissime idem vocabulum in proximis versibus repetitum videmus minime corruptum, vel interpolationem arguens, ut ex sexcentis locis apparet. Adponam praeter loca, supra a me commemorata, tantum ea quae obiter in fine versuum observavi, ubi repetitio eiusdem vocabuli in eadem sede sine dubio magis offendit, quam ubi sedes variata est: I, 135 *umbra* 140 *umbras*; 213 *undis* 217. 222 *undas*; II, 367 *maritum* 369 *maritus*; II, 399. 407. 415. 420 *undas*; III, 647 *carinae* 650 *carina* 654 *carinae*; IV, 631. 638. 643 *artus*; V, 335. 359 *putatis*; VI, 362. 364 *undis*; 767 *umbra* 771 *umbris* 775 *umbram* 779. 784 *umbris*; VII, 255. 259 *arma*; VIII, 100, 102 *armis*; 754. 757 *ignes*; IX, 32 *carinis* 35. 37 *carinas* 45 *carinae* 48 *carina*; X, 478 *bellum* 481 *belli*; 497 *ignis* 499 *ignem*; cf. Oudend. ad V, 170; VI, 683. Quae loca facillimo negotio augeri possunt, ita ut appareat, quam temere Bentleius interdum in eiusmodi locis versatus sit, cf. Weichert. Dissert. de spur. vers. p. 95 not.

Alia loca, ubi idem vocabulum repetitur, non tam spuria quam corrupta sunt, et auxiliantibus Mss. indicari atque corrigi possunt. Talia plerumque in orationibus reperiuntur, quae magna cum arte et diligentia a Lucano elaboratae raro exempla repetiti verbi praebent. In aliis denique locis repetitio eiusdem vocabuli sine dubio signum interpolationis est; quod tamen per se non sufficit, ut versum aliquem eiiciamus, nisi causae aliae accedunt. Cuiusmodi loca plerumque interpretationem continent, et facile ex sententia atque repetitionis modo agnosci possunt, ut supra VI, 187 vidimus. Alia a Bentleio maxime hanc ob rem damnata passim defendi, quibus nunc nonnulla addam.

I, 675 — 78

Incessitque fretum rapidi super Hellesponti,
Non Eurum Zephyrumque timens, quum vela ratesque

Digitized by Google

In medium deferret Athon: sic ora profundi
Artantur casu nemorum.

Bentleio verba *sic ora — nemorum* spuria sunt, assentiente Clercquio, qui, audacia Bentleii in constituendo hoc loco superata, adeo verba *super Hellesponti — nemorum casu* damnat, quippe quae ad h. l. nihil faciant. Saepius vero in Lucano comparationes leguntur, quarum singulae partes, non tam comparandi, quam ornandi causa additae, ex tota Lucanea loquendi ratione explicandae sunt. Quis autem poetam hac in re cohibere ausit? Conferri possunt II, 718 sq.; VI, 277 sq. et saepius. *Super* ter h. l. in eadem sede positum displicet; sed in nostro, ut demonstravimus, excusatur. Quomodo *Athos* menti auctoris adversetur, intelligere non possum, quum verba *quum — Athon* ad Xerxis magna ausa cum Caesaris audacia in universum comparata multum faciant, modo, quod a Cortio recte factum est, comma post v. *timens* ponamus. Maiorem veri speciem habent, quae de versibus sequentibus dicuntur. *Sic*, quod post v. *tales* in comparatione displicet, duplici modo explicari potest, vel puncto posito post v. *Athon* et post verb. *nemorum*, ut particula sit, quae pergenti in narrando serviat, cf. II, 290; vel, quod malim, colo posito post v. *Athon*, ut *sic* apodosin indicans verbo *tales* respondeat, quod *tunc* flagitare videtur. Neque opus est *tales* in *quales* mutato, quum saepius Lucanus, comparanda re posita, post comparationem particulam *sic* addat, priorem verborum quasi oblitus. Quae loquendi ratio ad anacolutha pertinet, quorum plura, ut alio loco demonstrabimus, in nostro leguntur, cf. V, 186 nostro loco simillimum, ubi Cort. male v. *Talis* vs. 183 contra Mss. in *qualis* mutavit. *Ora profunda* repetita sane displicent, sed excusantur, quum sensus verborum in his finitus sit, et narratio repetitionem flagitet. *Nemorum casu* Bentleio ex vers. 670 repetita et Clercquio invenuste dicta sunt; sed vide quomodo *casus* ex v. *caesis* repetitum esse possit. Neque verbum invenustum, sed poeticum est. Quis enim interpolatorum *casus nemorum* dixerit, ut sit *strages, ruina arborum?* cf. Horat. Od. II, 10,

Digitized by Google

10; Iuven. X, 105; quum *caesis arboribus* eorum ingenio magis accommodatum sit. *Cursu* autem pro *casu* ex facili errore librarii in Voss. uno ortum est, cf. Burmann. ad VI, 423. Quod reliqua attinet, Clercq. *Incessitque* mutat, comparationem in his quoque verbis cum opere Caesaris quaerens. Attamen v. *admovit* posito, variata sententia non opus est, praesertim quum haec a poeta addita sint, ut non tam similitudo operum Caesaris et Xerxis, quam simile eorum conamen appareret. Alio modo, sed audacter, ut solet, Bentleius locum correxit, offensus fortasse in verbi *super* positione, cuius loco *simul* in Edd. Brix. et Mediol. hic languet vimque totius sententiae, quae in v. *super* inest, infirmat. Saepius autem *super* a nostro post substantivum ponitur, cf. IV, 310; 431; VIII, 226. *Incedere* deinde optime de Xerxe tumido magnaque cum pompa super Hellespontum invadente dicitur, et in hac re proprium est, cf. Virgil. Aen. I, 46, ubi Heyne; Horat. Ep. 15, 18; Sallust. Iug. 31. *Rapidus* de Hellesponto saepius, sicuti de aquis omnino, cf. III, 256; V, 234; VIII, 227; 445; Burm. ad Val. Fl. V, 189. *Ponti super Helles* in Lips. c ortum est, quum versus spondiacos in nostro non tulissent; sed cf. I, 329; 665; 689; II, 396; V, 598; VIII, 697; IX, 329; 719; 836; 918; X, 216. In seqq. *deferret* recte ab Ascens. et Sulpit. ad *Persen* subiectum refertur, ita ut *quum — deferret* causam contineant, cur Xerxes *Eurum Zephyrumque* (ita enim legendum est) non timuerit. *Deferret* pro *ferret*, *ablegaret* positum est, quod iam Sabell. in Annotat. Grut. Lamp. T. I p. 183 voluit.

IV, 571 — 73

Bustisque remittunt
Corpora victores, ducibus mirantibus, ulli
Esse ducem tanti.

Guieto verba *ducibus — tanti* suspecta sunt, fortasse propter sensum, vel propter v.v. *ducibus* et *ducem* repetita; sed non vidit vir doctus, Lucanum in hac

Digitized by Google

repetitione acumen captasse, mihi tamen minime probatum. Quod sensum loci attinet, *ducibus* non de Pompeio et Caesare intellexerim, quod nimis exquisitum foret; sed, ut verba praecedentia quibuscum recte coniunguntur docent, de ducibus qui ibi fuerunt, de *Antonio*, *Octavio*, et si qui alii. Unde Schol. Lips. c: *Mirabantur enim duces ibi praesentes, quod dominus a militibus adeo diligebatur*. *Ulli* sine dubio recte habet, quod Lucanus amat, cf. IX, 595; X, 295. *Ullis* praecedenti *ducibus* coniungi non potest; neque *ullum*, quod in uno tantum Rottend. sec. a man. sec. legitur, placet, quum non *ducem*, sed illos, qui ducem tanti faciebant, de quibus h. l. sermo est, mirati sint. *Ducem* deniqüe in universum intelligo, ut solet noster in eiusmodi sententiis, non de singulo Caesare.

IV, 750—52

Quippe ubi non sonipes, motus clangore tubarum,
Saxa quatit pulsu, rigidos vexantia frenos
Ora terens.

Verba *pulsu—terens* Guietus pro spuriis habet, causa tamen non addita, quae in repetitione v. *Ora* vers. 755, et in sententia ex vers. 755 vel 758 hausta fuisse videtur. De repetitione nunc non est quod moneam; versus laudati autem nostrum locum potius tuentur. Etenim singula singulis in toto loco respondent, ita ut, verbis *pulsu — terens* omissis, aliquid deesse videatur. Fortasse quoque virum doctum varia lectio movit, quae tamen ex solenni librariorum errore orta est. Bene *terens* ab Oudend. defenditur, quod v. *rigidos* quodammodo flagitat; *tenens* h. l. languet. Locum ipsum recte explicat Oudend., quocum conferri possunt VI, 398; Virg. Aen. IV, 135.

V, 254

Scit non esse ducis strictos, sed militis enses.

Digitized by Google

Güietus versum damnat, ni fallor, propter sententiam ex superiori vs. 248 haustam, docente v. *enses* repetito; praeterea versus quodammodo abesse potest. De repetitione eiusdem verbi in nostro vidimus; versus autem ne recte quidem abesse potest, quum versus 252 et 255 praecedentibus coniuncti h. l. langueant, sententiamque requirere videantur, quam vers. 254 habemus. Denique sententia ipsa loco aptissima est, a superioribus potius probata, atque a Schol. Lips. b ita explicata: *Intelligit potestatem non esse in se, sed in milite; ad hoc respicit quod dixit: gladio suo relictus.* Schol. Lips. c ita: *strictos, denudatos. Comperiit se nil valere sine illis, quia milites sunt ea* (an *ii?*), *quare dux timeatur.*

IX, 435. 36

Temperies vitalis abest, et nulla sub illa
Cura Iovis terra est.

Cortio verba *et nulla — terra est* suspecta sunt, ut videtur, propter repetitionem *et nulla* e vers. 434, vel propter sonum ingratum *nulla sub illa.* Utrumque in nostro non offendit, cf. de ingrato sono, quae supra ad VII, 259 diximus. Quid praeterea locum suspectum reddere possit, non video, quum verba apta sint, neque in Mss. interpolationis indicium appareat. Locum explicat Schol. Lips. c: *Iupiter non curat de hac terra i. haec terra non habet temperiem aeris.* Etenim non de pluviis h. l. sermo est, neque *Iupiter* pro *aere* simpliciter ponitur, ut Heins. in Advers. I, 16, p. 182 putat, sed *temperies vitalis* ex more poetae variatur, ita ut Iupiter is sit, qui vitam praebeat, *Ζεὺς* a *ζῆν*. Recte autem Omnibonus *sub* per *in* explicat; neque intelligo, cur Burm. in h. l. haeserit, quum *sub* saepissime a poetis pro *in* dicatur. Conferri possunt e nostro IV, 465; V, 609; VI, 646; VII, 817; X, 66. Neque tamen *sub* idem est quod *in*; sed simul indicat, rem aliquam in media alia, et pro rei natura ab alia obrutam esse. Sic h. l. *vitalis temperies* in media terra non fuisse dicitur.

Digitized by Google

IX, 723

Ossaque dissolvens cum corpore tabificus seps.

Versus spurius est Cortio, ni fallor, propter simile huius et praecedentis versus initium *Oraque distendens* et *Ossaque dissolvens*. Cur vero poeta sepa, vers. 764 commemoratum, h. l. in enumerandis serpentibus praetermisisset, non apparet. Deinde Isidor. quoque Orig. XII, 4 p. 1124 Godofr., cf. et p. 1123, versus meminit. Similes vel easdem voces ab initio proximorum versuum in Pharsalia repetitas esse, plura exempla docent, cf. I, 184. 186 *Ingentesque*, *Ingens*; 424. 28 *Optimus*, *Optima*; IV, 752. 755 *Ora*, *Oraque*; V, 166. 169 *Pectore*; 434. 40. 44. 49 *Aequora*; X, 312. 14 *Qua dirimunt*, *Quae dirimunt*. Quae omnia ex negligentia Lucani in componendis versibus explicanda non correxerim. In reliquis autem verbis quid Lucano indignum non video. *Dissolvens*, ut *solvere* VI, 88; VII, 809, de *tabe*; *tabificus*, ut V, 111 de aere; *pectore* pro *corpore* e correctione in Voss. uno ortum est, verbo *corpore* non intellecto. *Corpus* enim h. l. non est sepis, sed eius quem *seps* momordit; et v. *ossa* singulatim dictum vim tabifici sepis ostendit. Monosyllabon denique fine versus hunc in modum positum neutiquam offendit, cf. Herm. Elem. Metr. II, 26 p. 342; multo minus in Lucano, cuius incuria hac in re satis nota est, licet simile exemplum in Pharsalia non legatur.

X, 347. 48

Tantum animi delicta dabant, ut colla ferire
Caesaris, et socerum iungi tibi, Magne, iuberet.

Ab interpolatore profecta esse, qui verb. *iubet*, ut in Oisel. vs. 349 pro *monet* legitur, propter suum *iuberet* mutaverit, contendit Guietus. Neque negari potest repetitionem h. l. offensioni esse; sed non est iusta causa, cur hi versus eiiciantur, sive spectes rationem, qua in textum venerint, sive versus ipsos, Lucano, quod ad sententiam et ad verba, dignissimos. Ferri possit *iuberet* et *iubet*, ut sexcenta alia;

Digitized by Google

sed cur, quod in uno Ms. legitur, contra omnes Mss. tueamur? Quod singula attinet, *tantum animi dabat* dictum est, ut supra 68 *Hoc animi nox illa dabat. Feriret* propter seq. *iuberet* ortum probari nequit; mutatum *ferire* autem propter v. *iungi* recte ab Oudend. defenditur. Saepissime enim v. *iubere* infinitivo activi et accusativo, rem faciendam notanti, coniungitur; cf. Lucan. II, 632; IV, 149; IX, 670; Seyfert Lat. Gram. §. 2090, 9; unde Drakenb. ad Sil. VI, 413 corrigendus est. Eo tamen discrimine, ut activum ponatur, si actio rei, passivum, si rei effectus consideratur. Quare utrumque activum et passivum coniungi possunt, ita ut vel activum vel passivum primum locum teneat, prouti res cogitetur; cf. praeter loca a Burm. laudata Lucan. I, 589 — 91 *iubet monstra rapi* et *urere flammis*; IX, 687. 88 *Pallas frugiferas iussit non laedere terras, Et parci populis.* — *Et* in seqq. sine dubio recte habet; *ut* enim ex praecedd. ortum est, sicuti *iuberes* propter v. *Magne. Putares* et *iuberes* facile in libris confunduntur. Explicat Schol. Lips. a locum ita: *Quod fecit de Pompeio, dabat animum, quod ipse vellet socerum iungi Magno.*

Quae quum de singulis verbis disputata sint, superest ut videamus, quomodo nexus verborum, de quo supra diximus, indicium interpolationis fieri possit. Sicuti autem in vestibus pannos assutos ex sutura facile agnoveris, eodem modo interpolata et ab aliena manu addita ex nexu. In opere enim perfecto atque omnibus numeris absoluto omnia arcte cohaerent, ita ut alterum ab altero pendeat, sequens in praecedenti causam suam habeat, totumque opus fluminis instar sit, cuius undae coniunctae ruunt, neque, nisi quid iniicitur, separari possunt; quo facto ipsae in voluminibus et circellis turbam ostendunt. Facile itaque in eiusmodi opere vel e nexu aliena discerneres, etiamsi alia interpolationis indicia non adessent. Quum tamen eiusmodi opus adhuc non factum sit, lex de nexu verborum non ubique valet, ita ut, quo minus aliquod opus perfectum sit, eo minus lex illa stare possit. Tanto magis in Lucano cavendum est, ne quae

Digitized by Google

nexu careant, pro spuriis habeamus atque damnemus, quum Pharsaliam imperfectum esse opus inter omnes constet. Lucanus enim ardens et vehemens poeta, maxime ubi oratorem agit, saepius sententiam, quae interposita alias necteret, omisit, verborum vel sententiarum ordine id, quod in mente habebat, neque tamen expressit, indicans. Male igitur ageres, si eiusmodi loca inter spuria referres. Nihilo minus interdum nexus interruptus et turbatus indicium interpolationis fieri potest. Ubi enim uno vel pluribus versibus omissis reliqua melius cohaerent, sensusque verborum hanc sententiarum cohaerentiam probat, ibi merito interpolationis suspicio nascitur. Turbatur autem series primum tota aliqua sententia interposita, ubi suspicio interpolationis maior est. Cuiusmodi exemplum post VI, 479 legitur, ubi versus in Cod. Regio prim. et in nonnullis Cortii additi,

Nec secus obseptos, quam si spiramina clausa,
Ventorum rabie vastum tremefacta per orbem,
Oceani tenuere fugam, solitasque reliquit
Unda vices, vento terris adfixa, relapsus

sine dubio spurii sunt, quod e nexu verborum reliquorum et comparatione vv. *repulit impulsam sidere Tethyn defenso litore* apparet. Verba *Nec secus obseptos* aperte ostendunt haec e medio aliquo opere hausta; sicuti sensus totius loci et singula verba satis proba poetae alicuius, non interpolatoris esse. — Quod singula attinet, correxi *rabie*, quum *rabiem* Cortii, nisi est error typothetae, et *rabies* Reg. pr. sensum aptum non praebeant.

Turbatur deinde nexus uno alterove verbo, ubi maiori cum cura agere, neque hac de causa totum aliquem versum damnare oportet, praesertim si ex facili coniectura locus restitui, vel ex loquendi usu Lucaneo probari potest, quod factum est a nobis supra I, 227 et VI, 661. Itaque non mirum, in hac quoque re Intpp. Lucani male versatos fuisse, ut su-

Digitized by Google

pra VII, 154 et IX, 490 vidimus, quibus nunc plura exempla addam.

II, 365 — 67

Sicut erat, moesti servat lugubria cultus,
Quoque modo natos, hoc est amplexa maritum.
Obsita funerea celatur purpura lana.

Versum 367 propter seriem meliorem Cort. ante vs. 366 ponit, qua in ratione subiecti mutatio displicet; Burm. ante vers. 365, ubi sine dubio punctum post v. *lacertos* ponendum erat. At vel sic nexus displicet, quum verba *sicut erat* melius cum verbis praecedentibus, quam cum sequentibus cohaerere videantur, neque copula abesse possit. Bentleius versum deleri iubet; sed non intelligitur unde ortus sit, nisi forte ex interpretatione vs. 365. Deinde, quod singula attinet, *obsita* optime pro *tecta*, *obtecta*, cf. Ovid. Met. IV, 724; Virgil. A. VII, 790; Lucan. V, 627. Recte *purpura* i. e. stola purpurea, quam Marcia ex more matronarum gestabat, obtectam propter luctum lana funerea i. e. pulla veste, seu palla pulli coloris, ut recte Burm. explicat; cf. Rosin. Antiquit. V, 32 p. 568. *Celatur* autem recte h. l. dictum est, modo colon post v. *lana* ponamus, ut versus *Obsita* etc. sequentibus coniunctus sit, priora ex more Lucani varians.

III, 48. 49

Non illum gloria pulsi
Laetificat Magni.

Damnat versum Guietus, ni fallor, quia structuram turbat; *Caesar* enim vs. 46 verbo *queritur* coniungitur. Eadem fuit causa, cur Clercquius satis audacter *Mox furit* pro *Dux stetit* corrigeret; quibus tamen non opus est, quum plura anacolutha, ut infra videbimus, in Lucano legantur. Quae loquendi ratio ingenio nostri aptissima h. l. poeticam quandam vim habet. Amat autem noster, ut alio loco demon-

Digitized by Google

stravi, sententiam aliquam ita variare, ut quae negative dixerit affirmative repetat. Denique non apparet, cur versus h. l. additus sit, qui praeterea versu II, 708 probatur.

III, 250 — 52

Quorum iam flexus in Austrum
Aether non totam mergi tamen adspicit Arcton;
Lucet et exigua velox ibi nocte Bootes.

Versum 252 spurium existimat Bentl., quippe qui male cum prioribus cohaereat, neque verb. *ibi* ad *Carmanos duces* referri possit. Qua re permotus Clercq., versum defensurus, *at* pro *et* contra usum loquendi correxit. Optime autem omnia cohaerent, modo coniungamus, *quorum Auster iam flexus adspicit* etc., *et quorum Bootes velox ibi nocte exigua lucet*, ita ut *et* copula secundo loco, ut saepissime, scripta sit. Neque *ibi* offendere potest, quod non ad v. *lucet*, sed ad v. *velox* pertinet, transitu a populo ad terram sive ad locum, ut saepius, recte facto. *Velox* vero nominatur, ut Schol. Lips. c habet, *quia cito videtur eis vergi ad occasum.* Locum contra Scaligerum bene defendit Palmer. in Apolog. p. 925 ed. Oudend. quem vide.

III, 594 — 96

Nec lux est notior ulli
Crastina, seu Phoebum videat, seu cornua lunae,
Semper venturis componere carbasa ventis.

Guietus vers. 596 spurium putat, ut videtur, propter nexum cum prioribus. Quem Burm. quoque desiderans, nescius unde infinitivus *componere* pendeat, satis audacter et ne recte quidem *Certus* pro *Semper* corrigit. Cuius audaciam Clercquius, discipulus eius non degener, adeo superans, pluribus mutatis atque parenthesi, nullum hic locum habente, imo sensum turbante, posita, *Sollers* vult. Male vero *Semper*

Digitized by Google

sollicitant, quod ad describendam Telonis dexteritatem in re nautica multum facit. Deinde omnia aptissime cohaerent, ut iam Ascens. et Oudend. recte viderunt, infinitivo ab adiectivo *notior* pendente, cf. Oudend. ad h. l., cui adde nostrum I, 164 et quae ibi diximus; Sanctii Minerv. III, c. 6 T. I, p. 602 ed. Bauer. ibique Perizon.; Bentl. ad Horat. Od. I, 1, 5 et ad Serm. II, 3, 313. Neque quid in hac structura duri sit, nisi quod in omnibus eiusmodi hellenismis, video. Versus 594 et 595 autem, qui in Voss. sec. a man. sec. leguntur, negligentia librarii, quum sensus quodammodo pro captu illius hominis sine iis constitisset, exciderunt. Hoc locus quo serius illati sunt ostendit, nec non Cod. Voss. pr., in quo iidem versus eodem loco post vers. 599 repetuntur, qui ultimus in margine alicuius Codicis fuisse videtur.

IV, 526 — 28

Sol Ledaea tenebat
Sidera, vicino quum lux altissima canero est;
Nox tum Thessalicas urgebat parva sagittas.

Versum 528 cum praecedentibus non satis cohaerere visum Guietus pro spurio habuit. Lucanus, hic quoque doctrinam suam in rebus astronomicis ostentans, ex more poetarum oppositionem inter *diem* et *noctem* facit, ita ut verba *Sol* — *sidera* verbis *Nox* — *sagittas* respondeant, et verba *vicino* — *est* priora accuratius definiant. Male itaque *quum* pro *tum* defenditur, quod h. l. stare non potest; sed recte *tum*, quod cum prioribus bene cohaeret, ut ostendimus. Sensum explicat Schol. Lips. a ita: *Cum parva nox urgebat etc. quasi dicat, per hoc patet quod* (Berol. *quam*) *nox parva erat, quia erat in sagittario, quod signum est oppositum per diametrum. Chiron fuit de Thessalia, qui interfecit draconem portantem* (ita Berol. pro corrupto *pererrantem*) *filium, salvo cum filio, et ideo dii* (deest in Berol.) *transtulerunt eum in coelum, et factus est signum.* Et Schol. Lips. b: *Par Geminis Chiron; dum* (leg. *cum*) *Gemini diem, tunc Sagittarius noctem affert.*

Digitized by Google

V, 530. 31

Fatis debentibus annos
Mors invita subit.

Suspecta sunt Guieto, ni fallor, propter nexum verborum, subiecto *mors* intercedente, turbatum; sed vidimus supra talia a Lucano passim admissa esse. Deinde multum faciunt verba ad rem, variata in his praecedenti sententia, ex more Lucani, atque sequentibus opposita. Quare non est, cur in sensu verborum offendas, neque in singulis verbis. *Debentibus* ut II, 82 dictum est; *invita*, „utpote ante tempus, et quum fata adhuc annos deberent. Manil. IV, 21; Stat. Theb. X, 809." Erfurdt. in nott. mss. Locum explicat Schol. Lips. a ita: *Et corpora illorum, qui quantum ad aetatem deberent vivere, illos interfecit, et hoc aequipollent: Mors invita subit fatis debentibus annos.*

Ex eadem causa Guietus versus VII, 139 — 150 damnasse videtur, quippe qui interpositi nexum verborum vs. 138 et 151 turbarent. Ita vero particula *tamen* vs. 151 non quadrat, quae nexum cum superioribus facit hunc: Quamquam his omnibus tantum laboris impendebant, atque ab his salutem sibi sperabant, varia tamen signa infelicem pugnae exitum notarunt. Id quod Schol. Lips. a quoque vidit: *Licet tantum conarentur ad bellum civile, tamen multis modis per signa conata est Fortuna retrahens eos.* — Praeterea ratio interpolandi h. l. non apparet, etiamsi plures interpolatores ponamus. Locus ipse autem, sive res sive verba spectes, optimus Lucanoque dignissimus est, qui studium militum in armis componendis atque rei futurae magnitudinem declaraturus, comparatione magnifica, ut I, 34, utitur.

IX, 777 — 80

Vincula nervorum et laterum textura, cavumque
Pectus et abstrusum fibris vitalibus omne;

Digitized by Google

Quidquid homo est, aperit pestis. natura profana
Morte patet.

Offendunt in h. l. nominativi, qui a quo pendeant verbum non habent. Qua de causa Oudend. vv. *cavumque — natura* pro spuriis habuit, recte tamen a Burm. refutatus, quum neque in Mss. interpolationis vestigium appareat, neque in versibus ipsis, sive sententiam sive singula verba spectes, Lucano indignum quid inveniatur. At ne corruptus quidem est locus; neque Burmanni coniecturae h. l. admodum placent, quum parenthesis (*aperit pestis matura*) vel (*aperit pestis*) per se intellecta nihil ad locum faciat. Praeterea Lucani singularis loquendi ratio ita turbatur, qui paucis verbis priora per *ἀνακεφαλαίωσιν* comprehendere solet. Sic h. l. sententiam vv. *vincula — pestis* repetit in verbis *Natura — patet*, unde apparet, non punctum, sed colon potius post v. *pestis* ponendum esse. Ex eadem causa verba *Vincula* etc. haud dubie verbo *aperit* coniungenda sunt. Etenim eodem modo ut poeta in versibus prioribus illud *membra notant* per singula exposuit, et sententiae clausulam *in minimum — virus* addidit, quae verbis *natura — patet* respondet: sic illud *Quidquid — pestis* in singulis partibus ostendit. *Vincula* etc. nominativi per anacoluthon, ut recte monuit Oudend., cum v. *aperit* cohaerent, neque video, cur de hac re dubitari vel soloecismus quaeri possit. Exempla, ut constat, plurima in auctoribus leguntur, cf. Sanct. Minerv. IV, c. 11, T. II, p. 383 ed. Bauer. Lucanum autem anacolutha admisisse, etiamsi exempla rem non declararent, vel ex tota eius sentiendi dicendique ratione et ingenio, quod torrentis instar exundat atque modum saepius excedit, demonstrari potest. Anacolutha in Lucano observata vide ap. Burm. ad III, 46; 663; adde VIII, 244, quae ex rei natura probanda sunt. Ubi enim plures res numerantur, poeta effervescens et verborum priorum oblitus structuram facile mutat. Sic h. l. v. *quidquid* interpositum, quod cum pronomine *illum* III, 44 comparari potest, praecedentia quoad sensum comprehendit, et quoad structuram verbo *aperit* accommodat; modo, ut iam ab aliis factum

Digitized by Google

est, post v. *virus* puncto et post v. *vitalibus* semicolo posito, *illud* cum Dorvill., quod saepissime ita omittitur, ad v. *aperit* intelligamus. Quod singula attinet, tueor *iunctura* cum plerisque et optimis Codd., cf. Oudend. et adde Heins. Advers. III, 1. p. 385; Ovid. Met. II, 575. *Tunc exta* neque per se dici potest, neque h. l. aptum est; supra vs. 774 enim dixerat *ruunt viscera*. *Omne* denique et *omen* ex solenni errore librariorum confunduntur, cf. supra VI, 813.

IX, 946 — 47

Quanta dedit miseris melioris gaudia terrae,
Quum primum saevos contra videre leones.

Mirum in modum Burm. ipse h. l. se torquet, qui cum Guieto versum utrumque prius pro spurio habuit, tum, mutata sententia, audacter *tum primo — vidisse*, vel *Quinta* pro *Quanta* scribi iubet. Quod neque per se placere, neque h. l. stare posse primus intuitus ostendit. Quod structuram v. *dedit* attinet, neque *Libye* subiectum est, quod Sulpitius vult; interposita enim sunt *Iamque — culmo;* neque versus praecedentes, quod Burm. putat adversante usu loquendi, ut nihil dicam de nexu inter verba *Quum primum* et *Leptis erat*. Neque v. *dedit* absolute positum est; sed subiectum suum sine dubio in versu seq. *quum — leones* habet, quod Ascensius recte monuit, ita ut versus loco substantivi sit, *adspectus leonum dedit gaudia melioris terrae*. Sententiam Lucano dignissimam esse bene ostendit Oudend. h. l., neque in singulis video, quid indignum sit. *Vitae* h. l. acumen sententiae turbat, atque ex coniectura eius, qui *terrae* non intellexerat, ortum videtur. *Gaudia terrae melioris* enim non significant spem iis fuisse melioris terrae obtinendae, ut Ascens. explicat; sed, ut recte Schol. Lips. c ad v. *Leones* dicit, *per hoc cognoscebatur, sed ad meliorem terram venisse*. Gaudebant, visis leonibus, meliori terrae adpropinquasse, quam quae nunc ab iis relicta esset.

His, quae de nexu verborum dixi, aliud interpolationis indicium, quod in ordine verborum posi-

Digitized by Google

tum est, coniungitur. Quemadmodum enim in scriptoribus verborum certum quendam ordinem animadvertimus, qui, sicuti usus loquendi, non modo omnibus secundum linguae leges communis est, sed in quo mutando variandoque quisque peculiarem sequitur rationem, ita ut ex hac quoque re scriptorem quemque noscere et ab aliis distinguere possis: sic in poetis verborum quidam ordo agnoscitur, licet a viris doctis minus adhuc quam fieri par erat, constitutus legibusque circumscriptus sit. Neminem enim puto nunc fore, qui poetas, sola metri ratione habita, verba collocasse sibi persuadeat. Quaenam est alia lex, quam in scribendo sequi oporteat, si non illam a sensu recti et veri datam? Num vero poeta in componendis carminibus illam negliget? num metri rationem maiorem habebit, quam rei et verborum? Imo ab optimo quoque poeta requiritur, ut metra et verba consentiant, neque inter ea sit dissensio. Requiritur, ut omnia sint aptissima atque composita, ut ingenium poetae, quod verbis et rebus quasi imperat, agnoscamus. In vero enim poeta non studium componendorum versuum, sed liber animi impetus et poetica quaedam vis, neque metris, neque verbis inhibita, apparet. Quare is optimus erit poeta, in quo verba cum rebus optime congruant, quod non modo in eligendo et componendo, sed etiam in ordine verborum cognoscitur. Is autem iustus est ordo verborum, quem sensus flagitat, non metrum solum. Quum tamen metra quoque maximeque hexameter versus suas habeat leges, quae non minus servandae sint, apparet optimum esse versum, cuius verba ordinem, a sensu constitutum, ita cum metri legibus coniunctum habeant, ut, alterutro non posthabito, utrumque se invicem sustineat et inter se congruat. Quae summa in componendis versibus lex ab iis maxime observatur, in quibus illum animi impetum, libere et sine impedimento regnantem, conspicimus, uti in plerisque Graecorum poetis. Alia est res apud Romanos, quorum lingua, quia gens ipsa minime poetica fuit, sed in omnibus rebus usum earum spectabat, omninoque magis agebat, quam cogitabat et sentiebat, eorum lingua, inquam, minus rei poeticae apta atque accom-

modata videtur, quam Graecorum. Sicuti autem Romani poetae Graecis omnino posthabendi sunt: sic in excolenda quoque lingua poetica, et in componendis versibus multo sunt inferiores. Quare inter eos, excepto fortasse Horatio et Virgilio, non facile ullum reperias, de quo affirmari possit, summam illam componendi versus legem servasse. Prouti enim cuiusque ingenium fuerit, ita in versibus conformandis vel verborum sensusque rationem habuit, vel metrorum leges secutus est.

Quod Lucanum attinet, iam saepius monuimus in versibus faciundis negligentiorem fuisse, neque multam operam iis navasse; licet negari non possit, versus eius satis faciles et rei quam describant satis aptos esse. Multa tamen in hac re nostro condonanda, quae, si per fata licuisset, correcturus erat; alia cum ingenii eius natura ita coniuncta sunt, ut ab ipso non fuerint mutata. Quare factum est, ut in hac quoque re sibi non constet; in plurimis Pharsaliae locis hexametri rationes cum verbis eorumque ordine optime congruant; aliis in locis, verborum ordine posthabito, metrum recte procedat; aliis in locis verborum ordo bene habeat, sed neglectis hexametri legibus. Quae quum ita sint, apparet interpolationis indicium, hac ex re haustum, valde incertum et dubium esse, quum interdum id, quod in plurimis locis non factum a Lucano observatur, locum habere possit, ut nihil moneam de librorum inconstantia. Itaque non multum huic rei tribuerim, nisi alia accedunt indicia interpolationis. Nihilominus sunt loca, ubi non tam verborum ordo, quam metri rationes interpolationem indicent. Apparet enim Lucanum non ita metri leges posthabuisse, ut syllabarum quantitatem, hexametri caesuras modosque neglexerit; sed illa quae diximus de iis hexametri legibus intelligenda esse, quae minime apertae, in sensu cuiusque hominis politioris positae, magis in singulis locis demonstrari, quam in universum constitui possint. Merito autem iis in locis offensio atque suspicio interpolationis nascitur, in quibus aliquid eorum, quae supra commemorata sunt, inveniamus. Quibuscum coniungi pot-

Digitized by Google

est una eademque syllaba mox pro brevi mox pro longa posita. Etenim non est verisimile, poetam hac in re variasse, nisi forte causa permotum; quae si latet, merito suspicio oritur corrupti verbi vel interpolati versus.

Haec a me disputata ut comprobata dem, nonnulla exempla afferam, in quibus partim ex metri rationibus, partim ex aliis causis interpolatio versuum apparet.

Ita supra vidimus versum inter I, 423 et 424 *Et Lemoris audax nimium levitate movetur* spurium esse. V. *Lemoris* enim suspicionem movet, quum Lucanus nunquam, nisi ubi Intpp. correxerunt, syllaba *is* in eiusmodi verbis pro longa utatur, praesertim si non est in caesura heroica. Corruptum tamen esse verbum et fortasse *Lemovix* scribendum, supra ostendimus.

Alius versus, in quo metrum aperte interpolationem indicat, inter vers. 426 et 427 eiusdem libri legitur, ubi Ms. unus Cortii addit haec:

Quamvis non parva retinens sui pectoris arma.

Caesura heroica nullo modo syllabam brevem v. *parva* producit, neque *sui* in Lucano unquam monosyllabon est. Praeterea versus ipse displicet; neque quid *quamvis* h. l. sibi velit apparet. Orta autem sunt a sciolo, qui doctrina sua Lucanum ditavit.

Alium versum spurium post V, 321

Si non feminei vultus linguaeque tumultus,

supra perpendimus, eiusque interpolationem ex rhythmico exitu membrorum *vultus* et *tumultus* demonstravimus.

Exemplum denique observatae syllabae ancipitis, quod defendo, in versu:

Digitized by Google

Constituam sparsas arces, replebo ruinas,

inserto post IX, 997 in Voss. prim.; Lips. b; c; Barb.; Thuan. tert. a man. sec., et quinque Cortii, si diversi sunt, legitur. Offendit syllaba *re* in v. *replebo* pro longa posita, quum *re* fere semper in Pharsalia ante *pl* brevis sit; cf. quae supra dixi. Verum recte Weichert. in epist. de spur. vers. p. 116 sqq. versum nullo modo abesse posse, sed incuria librariorum excidisse ostendit; praeterea nulla interpolandi ratio apparet. De syllaba *re* itaque ante *pl* ancipite in Lucano non licet dubitare.

Digitized by Google

INDEX

LOCORUM PHARSALIAE, QUAE IN PRAEFATIONE ET DISSERTATIONE EXPLICANTUR VEL CORRIGUNTUR.

(*Numerus Romanus Praefationem, Arabicus Dissertationem indicat.*)

Lib. I.

1—7. p. 425.
8. 15. 21. 24. 39. 41. p. VII.
45. 50. p. IX.
51. p. VI.
53. p. VI.
58. p. IX.
63—66. p. 592 sq.
74—76. p. 571.
98. p. IX.
111. p. VI.
115. p. IX.
153. p. 460.
155. p. X.
160—82. p. 610.
162. p. 496.
163. p. X.
164—66. p. 572.
170. p. X.
177. p. 408.
186. 189. p. X.
204. p. XI et p. 512.
209. p. XI.
227. p. 594.
229. 232. p. XI.
238. p. XII et p. 490.
245. p. 454.
267. p. XII.
268. 69. p. 471 sq.
275. p. XXI.
282. p. 555.
287. p. XII, bis.
298. 305. 319. 320. 328. p. XIII.
334. 335. p. XIV.
346. p. 573.
354. 360. p. XIV.
364. p. 512 sq.
372. 381. p. XIV.
396. p. 525.
423. p. 400.
425. p. 499.
426. p. XV et p. 643.
427. p. XV.
431. sqq. p. XVI.
436 — 40. p. 429. 531.
442. p. XVI et p. 613.
444 — 46. p. 408.
448. p. XVI.
462. p. 491.
465. 478. 484. p. XVII.
489. p. 491.
504. 506. 531. 533. p. XVII.
536. p. 552.
538. 548. 554. p. XVIII.
566. p. XIX.
569. 70. p. 461.
580. p. XIX.
599. p. 409.
600. p. XIX et p. 409.
612. p. 472.
642. 647. 651. p. XIX.
657. p. XX.
665. p. 594 sq.
676. p. 542.
681. 684. 694. p. XX.

Lib. II.

54. 55. p. 574.
72 — 75. p. 401.

Digitized by Google

79. 80. p. 411.
84. 85. p. 575.
108. p. 399.
144. p. 462.
195. p. 556.
212. p. 401. 575 sq.
251. p. 553.
265. p. 472 sq.
290. — 92. p. 576 sq.
294. p. 593. 434. 605.
299 — 301. p. 411 sq.
525. p. 463.
354. p. 506.
362. p. 473.
365. 67. p. 635.
384. 85. p. 413.
409. p. 474.
524 — 26. p. 501.
526. p. 571.
629. p. 492.
635. 36. p. 553.
675 — 78. p. 627.
690. p. 595.
709. 10. p. 534.

Lib. III.

48. 49. p. 635.
66. p. 510.
115. p. 502.
122. p. 474.
150. p. 556 sq.
153. p. 475.
160. p. 577.
190. p. 595 sq.
233. 34. p. 557.
249. p. 558.
250 — 52. p. 636.
308. 9. p. 542.
326. 27. p. 543.
357. p. 526.
549 — 52. p. 558 sq.
594 — 96. p. 636.
600 — 46. p. 577.
630. 31. p. 534.
659 — 69. p. 413.
725. p. 520.

Lib. IV.

30. p. 625.
43 — 47. p. 413 sqq.
54. 55. p. 535.
66. p. 475.
77. 78. p. 521.
84. p. 526.
88. p. 476.
98 — 120. p. 614.
129 — 31. p. 515.
141. 42. p. 543.
165. 66. p. 578.
169. p. 516.
171. p. 476.
251. p. 440.
282. p. 503.
328 — 31. p. 560.
383. p. 478.
526 — 28. p. 637.
562. p. 478.
571 — 73. p. 629.
625. p. 579.
672 — 74. p. 502.
677. 78. p. 401. 479.
747. p. 479.
750 — 52. p. 630.
778. 79. p. 415.
803. p. 480.
805. 6. p. 544.
816 — 24. p. 523.

Lib. V.

26. p. 511.
79. 80. p. 506.
106 — 11. p. 416.
164 — 89. p. 417.
209. p. 507.
254. p. 630.
268. 69. p. 544 sq.
281 — 83. p. 417.
306. p. 622.
321. p. 406. 436. 643.
324. p. 524.
357. 58. p. 615.
400. 1. p. 545.
425. p. 516.
450 — 55. p. 579.
494 — 97. p. 596.
515. p. 480.
539. p. 526.
572. 73. p. 580.
625. 26. p. 622.
650. 51. p. 581.
694. p. 503.
719 — 21. p. 386.
795. 96. p. 551.
812. 13. p. 535.

Lib. VI.

45 — 47. p. 561 sq.
78. 79. p. 581 sq.

Digitized by Google

89. 90. p. 616.
93. 94. p. 616.
104. p. 495.
109. 10. p. 597.
129. p. 499.
152. p. 401. 511. 570.
154. p. 418.
186 — 88. p. 430. 531.
193 — 95. p. 582.
207. p. 442. p. 531.
256. p. 583.
355 — 59. p. 584.
374. p. 419.
388. p. 481.
438 — 42. p. 616.
442. p. 407.
479. p. 634.
488 — 91. p. 492.
506. p. 605.
517. 18. p. 617.
530. 51. p. 638.
533 — 37. p. 598.
554. 55. p. 433.
618. p. 504.
633 — 36. p. 618.
660. 61. p. 599.
684. 85. p. 464. sq.
689 — 93. p. 444.
696. p. 419.
810. 11. p. 599.
816. p. 481.

Lib. VII.

14. p. 562.
19. p. 618.
28 — 44. p. 585.
49 — 52. p. 619.
90. p. 585.
103. p. 454.
139. p. 638.
154. p. 482.
162 — 64. p. 465.
179. p. 563.
197. p. 408. p. 455 sq.
200. p. 408. 433.
212. 13. p. 466.
235 — 49. p. 401.
257. 58. p. 456.
259 — 61. p. 513.
272. p. 524.
277. 78. p. 545 sq.
301 — 10. p. 600.
302. p. 401. 591.
303. p. 591.
369. 70. p. 514.
461 — 64. p. 449.
478. 79. p. 600 sq.
489. p. 548.
504. 5. p. 483.
510 — 20. p. 548.
513. p. 393.
560. 61. p. 536.
574. 75. p. 619.
658. p. 493.
666. p. 505.
678 — 727. p. 601.
703. 4. p. 546.
709. p. 457.
715. p. 437.
725. p. 452.
740. p. 458.
746. p. 550.
747. p. 494.
767. p. 528.
785. 86. p. 546.
796. p. 453.
820 — 22 p. 445.
824. p. 396.
841. p. 494.
851. 52. p. 485.
858. 59. p. 537.
860 sqq. p. 585.

Lib. VIII.

25. 26. p. 538.
72. p. 546 sq.
121. p. 499 sq.
124. p. 408. 451.
161. p. 507.
241 — 43. p. 587.
253. 54. p. 467.
266. p. 495.
298 — 310. p. 588.
319. p. 419 sq.
410. 11. p. 625.
477 — 79. p. 420.
480. 81. p. 402.
483. 84. p. 505.
548 — 52. p. 509.
602. p. 461.
618. p. 529 sq.
695. p. 458.
734. p. 538.
785. p. 485.
804. p. 399.
859. p. 399.

Digitized by Google

Lib. IX.

27. p. 496.
52. p. 500.
56. 57. p. 467 sq.
73. 74. p. 438.
80. p. 384.
83. p. 451. 531.
86. 87. p. 468.
100. p. 486.
124. p. 525.
159. 60. p. 539.
170. p. 396.
253. 54. p. 486.
317. p. 607.
319 — 21. p. 469.
329 — 32. p. 507 sq.
334. p. 495.
338 — 40. p. 563 sq.
373. p. 487.
387. p. 514. 607.
409. 10. p. 403.
435. 36. p. 631.
438 — 41. p. 517.
478. p. 607.
482. p. 540 sq.
485 — 88. p. 517 sq.
490 — 92. p. 588 sq.
493 — 95. p. 388.
499. p. 435. 607.
500 — 3. p. 551.
515 — 18. p. 470.
529. p. 620.
542. p. 589.
590. 91. p. 620.
615. p. 505.
632. p. 589 sq.
664. p. 384.
684. p. 541.
691 — 95. p. 404.
716. p. 488.
723. p. 632.
727 — 31. p. 601 sq.
732. p. 404.
733. p. 459.
777 — 780. p. 638.
805. p. 488.
849. p. 497.
852 — 854. p. 623.
870. 71. p. 547.
886. p. 509.
907. p. 469.
918. p. 500.
924. p. 391. 565.
946. 47. p. 640.
958 — 60. p. 421.
997. p. 644.
1000. p. 592.
1031. 32. p. 460.
1060. p. 399. p. 506.
1074. 75. p. 519.
1104. p. 515.

Lib. X.

1. p. 592.
8. p. 511. 591 sq.
11. p. 494.
21 — 24. p. 602.
122 — 24. p. 552.
138. p. 488.
199 — 218. p. 603.
217. p. 529.
290. 91. p. 389.
295 — 98. p. 390.
303. p. 541 sq. p. 607.
306. p. 391.
312. 13. p. 500. p. 612.
313 — 15. p. 611.
340. p. 459.
342. p. 489.
347. 48. p. 632.
407. p. 437.
419. p. 385.
472 — 74. p. 396.
512 — 16. p. 553 sq.
518. p. 603 sq.
542. p. 489.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google